

1
6
477







24

XV

APIC. C. L.
HVM. et
DVRANT. de
AG. O.
1542

IN HOC OPERE CONTENTA.

APICII CAELII

DE OPSONIIS ET CONDIMENTIS, SIVE ARTE COQVINARIA, LIBRI X.

ITEM,

Gabrielis Humelbergij Medici, Physici Isnensis in Apicij Cælij libros X. Annotationes.

TIGVRI IN OFFICINA Froschouiana. Anno, M. D. XLII.

IOACHIMVS EGELLIVS
Rauenspurgensis Medicus ad
Lectorem.

Condimenta bonus quæ scripsit APICIVS olim
Adfectis ægre commoda uentriculis,
Illa diu uarijs iacuerunt obruta mendis
Et propter longum puluerulenta situm:
Sed GABRIEL medica præpollens clinicus arte
Adposuit doctas alter Apollo manus,
Et castigauit compluscula, restituitq;
Non sine difficili manca labore loca.
Quæ capias animo Lector suauißime grato,
Nam multis sapient fercula tanta modis.

REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. VVOLFGANGO A Grinenstain Abbati Monasterij Campidonensis dignissimo & Domino suo colendissimo, Gabriel Humelbergius medicus, Physicus Isnensis. S.P.D.

QVAE doctis & bonis omnibus facilem salutandi te dant aditum, eruditio & animi candor atq; humanitas tua, ea me quoq; allectione sua blandiuscula animarũt, quo confidentius amicitiæ tuæ, sed non nisi ut humilem clientulum insinuare non puduerit, Princeps & Abba reuerendiss. idq; non uacuis, quod dicitur, manibus, sed Parthorum regum more patrio, reuerenter munere quod me tibi conciliet parario, non tamen eo pecuniario & circa diuitiarum ostentationem ambitioso, quale dare non est facultatis meæ, sed literario, & quidem meo iudicio non uili nec spernendo, sed precioso admodum, ut per quod & indigentiæ rei familiaris & saluti corporis humani consuli possit, aut adde insuper, si libet, precioso etiam ut multa alia, quæ, ut Plinius ait, ualde preciosa ideo uidentur, quia sunt templis dicata, & quale me dare posse & intelligere & ueluti rem tibi honorificam gratũ habere potes, APICIVM CAELIVM scilicet de arte coquinaria, & in hunc ipsum Annotationes nostras, quas in publicum editurus nomini tuo dedico, ut sic tuo patrocinio præsente felicius omnium conspectui se offerant. Vbi tamen hoc unum ambigebam, uti id nihil non carpentes acciperent maleuoli & rigidi quidam morum censores. Sed non est cur metuam illos, etiam si obiecerint rem hac dedicatione me ausum & attentatum te indignam, ut pote, ac si uoluptati lasciuæ & ganeatæ, gulositatiq; patrocinari uelim tuo sub nomine uenerando, cum talis tu sis qui omnem semper perosus sis intemperantiam uitæ homo temperantissimus. Sed longe aliter res se habet. Non enim hijs libris de helluonum & quorum deus uenter est, opsonijs & condimentis agitur, aut uoluptate illa turpi & perniciosa, quæ omnium malorum mater & fomentum est, atq; unde morbi prorumpunt innumeri atq; grauissimi, supplicia luxuriæ: sed de uoluptate honesta & sæpius necessaria, qua tum sanorum tum ægrorum fastidio & saluti consulitur, & quam uel seuerissimus uiciorum

castigator non declinaret Seneca. Quare hanc APICII lucubratiunculæq; nostræ defendendæ prouinciam audacter subito, & tibi dicatos libellos ab aduersarijs acriter defendito & tuetor. Sic enim futurum spero ut temerarij critici, suis peruersis iudicijs retusi, uel obmutescant, uel re sanius perpensa, syncerius pronuncient, præstante id tum modestia tum authoritate tua apud omnes. Nec ipse tam munus hocce quàm beneuolum offerentis animum expendere & gratum habere uelis, cum & dijs lacte rustici, quod Plinius ait, multæq; gentes supplicent, & mola tantum salsa litent, qui thura nō habent. Sed ne te alijs serijs & arduis negotijs occupatum diutius morer, hijs de non plura. Tu cum per ocium licet, hæc nostra legere non digneris. Bene ualeat Reuerendiss. D. T. Domine colendissime, & incolumis uiuat Nestoreos in annos: cui etiam semper commendatum me uelim. Isnæ Algoiæ, mense Maio,

Anno à Christo nato,

M. D. XLII.

GABRIELIS HVMELBERGII MEdici in APICII CAELII de Arte coquinaria libros & Annotationes suas ad honestæ & frugi uitæ amatores

PRAEFATIO.

TAMETSI non ignoro quàm sinistre à plurimis excipiar, si de Arte coquinaria & condiendorum opsoniorum disciplina sub APICII nomine conscriptos libros in publicum edam, ac si non satis sit deliciarum, cum tamen hoc sæculo lasciuo nihil desit uoluptatum quibus delicato uentri saginando, curandæq; cuticulæ poßit inseruiri. Non possum tamen eosdem diutius supprimere, sed citra longiorem dilationem in frugi uitæ hominum gratiam publicare. Non quidem ut delicatis gulæ proceribus & uentri deditis helluonibus luxus & libidinis suæ adaugendæ darem ansam, & materiam subministrarem cumulatiorem, atq; malū malo augerem. (Quid autem augerem? cum nunc quo gulæ satis fiat & ad hanc rerum perditionem reliqui fiat & intentatum relinquatur nihil, omnia quæ ad intemperantiam & luxum requisita instrumenta affatim uel cum puluisculo ab omnibus undiq; conuerrantur, adeo ut uix quicquam palato sapidius & delicatius amplius addi & apparari poßit.) Non inquam ut luxum augerem hijs libris publicandis operam locandam dignum putaui: sed ea tantum causa quo tum rem familiarem & domesticam adiutarem, tum quo nunc sanis uel æstu uel labore defatigatis & lassatis, nunc ægrotantibus & morbo aliquo confectis, uiribusq; destitutis auxilio essem, & uti haberent ipsi quibus amissam & intermortuam appetentiam excitare & restaurare ac inde uires resumere & reparare commodius & celerius possent omnes. Quæ res tota spectat ad medicinæ partem quæ διαιτητικὴ appellatur & uictu medetur. In qua, quod Celsus medicinæ lib. 4. præcipit, & æque ad omnes affectus pertinet, maxime obseruandum est, ut cum pleraq; utilia insuauia sint, ea potißimum dentur quæ maxime æger uolet: deinde si omnia ista fastidiet, ad excitādam cibi cupiditatem interponatur aliquid minus utile, sed magis gratum. Siquidem parum deterior potus aut cibus, Aphorismorum li. 2. testante Hippocrate, suauior autem, melioribus quidem sed minus suauibus est præferendus. Quod tamen non ob id solum faciendum est, ut ait Galenus, quo ægro gra-

tificemur, ſed etiam quia utilius ipſi exiſtit. Nam *quæcunq; cum uoluptate aſſumuntur, iſta uentriculus amplexatur & magis cõcoquit, ſicuti illa quæ diſplicent, refugit.* Et *in hac* περὶ διαιτητικῆς parte *totus eſt* Apicius *no=ſter, horum librorum author &* Cælius *cognominatus, longe alius à* Roma*no illo qui à* Plinio Marci *prænomine indicatur, & cuius tanquam guloſi & uentri mancipati, inter* Latinos *celeberrimi meminerunt ſcriptores, aut altero à* Græcis *celebrato & opſophagi nomine inſignito, unoq́; luxu nobilitato.* Quorum *hic poſterior à* Græcis *in* Traiani Imp. *tempora reijcitur, & illi in* Parthis *agenti, ut in libris* Dipnoſophiſtarum *refert* Athenæus, *cum multorum dierum itinere abeſſet à mari, oſtrea recentia miro ingenio ſeruata ſummiſiſſe traditur.* Ille *uero prior* Romanus *opulentus & uolu=ptuarius, eodem* Athenæo *ſcribente,* Tiberij *principatu ſua dilapidauit bo=na, & in uentrem uoraciſſimum immerſit, tandemq́; uitam ueneno finiuit: cuius ut iam fato perfuncti, cœnas pollucibiles & maximã ingluuiem* Stoi*co ſupercilio conuellit in conſolatione ad* Albinam Seneca: *& is eſt qui à* Plinio *in naturali hiſtoria nepotum omniũ altiſsimus gurges appellatus, & eodem teſtante, artis ſuilli iecoris ſaginãdi inuentor, phœnicopteri linguam præcipui ſaporis eſſe docuit, & ad omnem luxum ingenio mirus mullos in ſaciorum garo necari præcellens putauit, atq; è iecore eorum alecem exco=gitare procurauit: quarum tamen rerum nulla in hijs libris fit mentio.* Præ=*terea citat hic noſter aliquando ceu tempore multo poſterior, aliorum* Api=*ciorum & ipſorum in patinis imitatorum complurium opſonia & condi=menta.* Quibus *omnibus conſideratis & diligenter expenſis, facile conijci poteſt & liquido conſtat, horum librorum authorem illorum præmemora=torum neutrum eſſe, ut fermè omnes hucuſq; opinati ſunt, ſed longe alium & diuerſum, ceu frugi hominem, cui non luxus, ut alijs, ſed bona ualetudo & humani corporis ſalus curæ fuerit.* Ipſum *itaq; ob* Apicianum *nomen & opſoniorum coquinariæq́; artis profeßionem, à malignis rerum æſtima=toribus, qui nihil non calumniari ſolent, male audire neutiquam certe ſine=mus.* Et *hæc de* Apicio *noſtro ceu rationi conſentanea & uera ſtat cordi ſententia noſtro: cuius & alios monitos uolui.* Si *cui aliter uiſum fuerit, ma=neat uel illi iudicium ſuum.* De *uita eius quod in præſentia dicam, nihil oc=currit.* Verum *quia deprauatiſsimi ſunt eius libri, ut in quibus nulla ſit pagi na, imò uix una aut altera quaſi linea non mendoſa & prodigioſe corrupta, adeo quidem ut nullus inde ſenſus elici, nec authoris mens intelligi poßit,*

hinc

hinc operæpretium esse duxi; castigandi onus suscipere & emendare illos. Quod si hac castigatione, qua etiam minutula quædam, sed quæ Lectorem remorentur, annotauimus, & plæraq; conniuentibus oculis transmisimus, uniuerso operi nondum forte ad plenum satisfactum fuerit, tamen nemo id sanæ mentis, puto, uitio uertet, cũ homines simus & nulla sit disciplina aut ars quæ, ut lib. 5. testatur Columella, singulari consummata sit ingenio. Qua propter ut in magna sylua boni uenatoris est indaganter feras quàm plurimas capere, nec cuiquam culpæ fuit non omnes cepisse: ita nobis satis abundeq; fuerit pro ingenij nostri uiribus maximam partem & quantum potis fuit præstitisse, cum etiam non assecutis uoluisse, abunde pulchrum atq; magnificum sit, ut ait Plinius, præsertim in re tam ardua, in qua uel Lynceus quispiam perspicacissimus aut Argus oculatissimus, nedum lusciosus aliquis oculis lippiens plurimum cæcutire possit. Quare si quid reliquum est & à nobis prætermissum, alij qui uegetiore sunt ingenio, id suppleant, & quæ minus bene à nobis sunt tradita, fidelius præstent. Non enim me præterit esse nonnullos qui uel ubi abiecerint cerui cornua, ut Prouerbio dicitur, non nunquam aliquid inueniunt: quibus etiam cedere haudquaquam uerebor, sed gratiam insuper illis habiturus sum quàm maximam. Nos interim Apicio hocce nostro (qui prius multifariam & prodigiose saucius erat & lacerus, nunc autem opera nostra qualicunq; & quantum licuit medicatus & resartus splendidiore habitu ingreditur) ob oculos posito, contenti oblectemur.

NOMINA LIBRORVM APICII.

CAPITA LIBRI PRIMI.

APICII CAELII EPIMELES LIBER I.

Conditum Paradoxum. CAP. I.

CONDITI paradoxi cōpositio. Mellis partes xv. in æneum uas mittuntur, præmissis uini sextarijs duobus, ut in coctura mellis uinū decoquas: quod igni lento, & aridis lignis calefactum, commotum ferula dum coquitur, si efferuere cœperit, uini rore cōpescitur, præter quod substracto igni in se redit: cum perfrixerit, rursus accenditur: hoc secundo, ac tertio fiet. Ac tum demum remotum à foco postridie despumatur. Tum addes piperis uncias iiij. iam tritas mastiches scrupulos iij. folij & croci drachmas singulas, dactylorum ossibus torridorū quinq;, ijsdemq; dactylis uino mollitis, intercedente prius suffusione uini de suo modo ac numero, ut tritura lenis habeatur. His omnibus paratis supermittes uini lenis sextaria xviij. Carbones perfecto aderunt duo millia.

Conditum melizomum, CAP. II.

Viatorum conditum melizomum perpetuum, quod subministratur per uiam peregrinanti. Piper tritum cum melle despumato in cupellam mittis conditi loco, & ad momentum quantum sit bibendum, tantum aut mellis proferas aut uini misceas, sed suaserit, nonnihil uini melizomo mittas adijciendum propter mellis exitum solutiorem.

aliâs inferas.

Absinthiatum Romanum. CAP. III.

Absinthiatum Romanum sic facies, condito camerino, recepto utiq; pro absinthiato, cessante, in cuius uicem absinthij pontici purgati, tunsiq; unciam thebaicam

baicam dabis, masticheſ, folij ſcrupulos iij. coſti ſcrupulos ſenos, croci ſcrupulos iij. uini ueteris ſextarios decem & octo. Carbones amaritudo non exigit.

Roſatum & uiolatium. CAP. IIII.

Roſatum ſic facies. Folia roſarum albo ſublato lino inſeres & ſutiles facies, & uino quàm plurimas infundes, ut ſeptem diebus in uino ſint: poſt ſeptem dies roſam de uino tollis, & alias ſutiles recentes ſimiliter mittis, ut per dies ſeptē in uino requieſcant, & roſam eximis ſimiliter: & tertio facies, & roſam eximis, & uinum colas: & cum ad bibendum uoles uti, addito melle, roſatum conficies. Sanè cuſtodito ut roſam à rore ſiccam & optimã mittas. Similiter ut ſupra & de uiola uiolatium facies, & eodem modo melle temperabis. Roſatum ſine roſa ſic facies. Folia citri uiridia in ſportella palmea in dolium muſti mittes antequã ferueat, & poſt quadraginta dies exime: cum neceſſe fuerit, mel addes, & pro roſato utere.

Oleum Liburnicum. CAP. V.

Oleum Liburnicum ſic facies. In oleo Hiſpano mittes helenium & ciperum, & folia lauri non uetuſta, tunſa omnia & cribellata ad leuiſſimum puluerem redacta, & ſales frictos & tritos, & per triduum uel plus permiſce diligenter: poſt hæc aliquanto tempore patere requieſcere: & liburnicum omnes putabunt.

Vinum ex atro candidum. CAP. VI.

Vinum ex atro candidum ſic facies. Lomentum ex faba factum, uel ouorum trium alborem in lagenam mittis, & diutiſſime agitas, alia die erit candidũ. Et cineres uitis albæ, idem faciunt.

De liquamine emendando. CAP. VII.

Liquamen ſi odorem malum fecerit: uas inane inuerſum fumiga lauro & cupreſſo, & in hoc liquamen

funde ante uentilatũ: si salsum fuerit, mellis sextariũ mittis & moue spica, & emendasti. Sed & mustum recens idem præstat.

Vt carnes sine sale quouis tempore sint recentes.

CAPVT VIII.

Carnes recentes quales uolueris melle tegantur, sed uas pendeat, & quando uolueris, utere. Hoc hyeme melius fit: æstate paucis diebus durabit. Et in carne cocta itidem facies.

Callum porcinum uel lumbulum & Vngellæ coctæ ut diu durent. CAP. IX.

In sinapi ex aceto, sale & melle facto mittis ut tegantur, & quando uolueris, utere: miraberis.

Vt carnem salsam dulcem facias. CAP. X.

Carnem salsam dulcem facies, si prius in lacte coquas, & postea in aqua.

Pisces fricti ut diu durent. CAP. XI.

Eodem momento quo friguntur & leuantur, ab aceto calido perfunduntur.

Ostrea ut diu durent. CAP. XII.

Vas ab aceto aut ex aceto uasculum picatum laua, & ostrea compone.

Vt uncia laseris toto tempore utaris. CAP. XIII.

Laser in spaciosum doliolum uitreum mittis, & nucleos pineos utputa uiginti: cumq; utendũ fuerit lasere, nucleos conteres & in cibos miscebis & in sapores, & tantum numerum nucleorum doliolo referentur.

Vt dulcia de melle diu durent. CAP. XIIII.

Accipies quod Græci dicunt nechon, & facies farinam, & admisces cum melle eo tempore quo dulcia facturus es.

Vt mel malum bonum facias. CAP. XV.

Mel

Mel malum bonum facies ad uendendũ, si unam partem mali & duas boni simul miscueris.

Mel corruptum ut probes. CAP. XVI.

Helenium infundes in melle, & incende: Si incor ruptum est, lucet.

Vuæ ut diu seruentur. CAP. XVII.

Accipies uuas de uite illæsas: & aquam pluuialem ad tertias decoques, & mittis in uas in quo & uuas mittis: uas picari & gipsari facies, & in locum frigidum, ubi sol accessum non habet, reponi facias: & quando uolueris, uuas uirides inuenies. Et ipsam aquam pro hydromeli ægris dabis. Et si in hordeo obruas, illæsas inuenies.

Vt mala granata diu durent. CAP. XVIII.

In calidam feruentem merge, & statim leua, & suspende.

Vt mala cydonia diu seruentur. CAP. XIX.

Eligis mala sine uitio cum ramulis & folijs, & condies in uas, & suffundes mel & defrutum, & diu seruabis.

Ficum recentem, mala, pruna, pira, cerasia, ut diu serues. CAP. XX.

Omnia cum petiolis diligenter legito, & in melle ponito ne se contingant.

Citria ut diu durent. CAP. XXI.

In uas citrum mitte, gipsa, suspende.

Mora ut diu durent. CAP. XXII.

Ex moris succum facito, & cum sapa misce, & in uitreo uase cũ moris mitte, custodies multo tempore.

Olera ut diu seruentur. CAP. XXIII.

Olera electa non satis matura in uas picatum repone.

Rapæ ut diu seruentur. CAP. XXIIII.

Ante accuratas & compositas perdes myrthæ bac

cis cũ melle & aceto. ALiter. Sinapi tempera melle, aceto, sale: & super compositas rapas infundes.

Tubera ut diu seruentur. CAP. XXV.

Tubera quæ aqua non uexauerit componis in uas alternis, alternis scobem siccam mittis, & gipsas, & loco frigido pones.

Duracina persica ut diu durent. CAP. XXVI.

Eligito optima & mitte in muriam, postera die exime, & spongiabis diligenter & collocabis in uas, fundens salem, acetum, satureiam.

Sales conditi ad multa. CAP. XXVII.

Sales conditi ad digestionem, ad uentrem mouendum, & omnes morbos, & pestilentiam, & omnia frigora prohibent generari. Sunt autem & suauissimi ultra quàm speras. Salis communis fricti lib. j. Salis hammoniaci fricti lib. ij. piperis albi unc. iij. Zingiberis unc. ij. ammeos unc. j. semis. Thymi unc. j. semis. Apij seminis unc. j. semis. Si apij semen mittere nolueris, petroselini mittis unc. iij. Origani unc. iij. erucæ seminis unc. j. semis. Piperis nigri unc. iij. cnici seminis unc. j. semis. Hyssopi cretici unc. ij. folij unc. ij. petroselini unc. ij. anethi unc. ij.

Oliuas uirides seruare, ut quouis tempore oleum facias.
CAP. XXVIII.

Oliuas de arbore sublatas in muriam mittis, & erunt tales quouis tempore quasi mox de arbore demptę, de quibus si uolueris, oleum uiride facies.

Cuminatum in ostrea & conchylia. CAP. XXIX.

Piper, ligusticũ, petroselinum, mentham siccam, folium, malobathrum, cuminum plusculum: mel, acetum, & liquamen. ALiter. Piper, ligusticum, petroselinum, mentham siccam, cuminum plusculũ: mel, acetum, liquamen.

Laseratum. CAP. XXX.

Laser Cyrenaicum uel Parthicum tepida dissoluis cum aceto, liquamine temperatum. VEl. Piper, petroselinum, mentham siccam, laseris radicem: mel, acetum, liquamen. ALiter. Piper, careum, anethum, petroselinum, mentham siccam, sylphium, folium, malobathrum, spicam Indicam, costum modicum: mel, acetum, liquamen.

Oenogarum in tubera. CAP. XXXI.

Piper, ligusticum, coriandrum, rutam: liquamen, mel & oleum modice. ALiter. Thymũ, satureiam, piper, ligusticum: mel, liquamen & oleum.

Oxyporum. CAP. XXXII.

Cumini unc. ij. Zingiberis unc. j. rutę uiridis unc. j. nitri scrupulos vj. dactylorum pinguium scrupulos xij. piperis unc. j. mellis unc. ix. Cuminum uel Aethiopicum aut Syriacum aut Libyum aceto infundes: siccas, & sic tundes, postea melle comprehendis. Cum necesse fuerit, oxyporo uteris.

Hypotrimma. CAP. XXXIII.

Piper ligusticum, mentham aridam, nucleos pineos, uuam passam, cariotam, caseum dulcem: mel, acetum, liquamen, oleum, uinum, defrutum, aut caraenum.

Oxygarum digestibile. CAP. XXXIIII.

Piperis semunciam, silis Gallici scrupulos iij. cardamomi scrupulos vj. cumini scrupulos vj. folij scrupulum j. menthæ siccæ scrupulos vj. tunsa cribrataq́ꝫ melle colligis: cum opus fuerit, liquamen & acetum addis. ALiter. Piperis unc. j. petroselini, carei, ligustici uncias singulas, melle colligis: & cum opus fuerit, liquamen & acetum addes.

Moretaria. CAP. XXXV.

Mentham, rutam, coriandrum, fœniculum, omnia uiridia: ligusticum, piper, mel, liquamen: si opus fuerit, acetum addes.

FINIS.

CAPITA LIBRI SECVNDI.

APICII CAELII SARCOPTES LIB. II.

Isicia. CAP. I.

ISicia fiunt marina de Cammaris & astacis: de loligine: de sepia: de locusta. Isicium condies pipere, ligustico, cumino, laseris radice. Isicia de loligine. Sublatis crinibus in pulmentum tundes, sicuti assolet pulpa: & in mortario & in liquamine diligenter fricatur: & exinde Isicia plassantur. Isicia de Squillis, uel de cammaris amplis. Cammari uel squillæ de testa sua eximuntur: & in mortario teruntur cum pipere & liquamine optimo pulpæ: isicia plassantur. Omentata ita fiunt. Assas iecur porcinum & tum eneruas: ante tamen teras piper, rutam, liquamen, & sic superimmittis iecur & teres, & misces, sicut assolet pulpa, in omentũ, & singula inuolutantur folia lauri, & ad fumum suspenduntur quàm diu uoles. Cum manducare uolueris, tolles

de

de fumo, & denuo assas, & siccum adijcies in mortarium, piper, ligusticũ, origanum, fricabis: suffundes liquamen: adijcies cerebella cocta, teres diligenter ne assulas habeat: adijcies oua quinque & dissolues diligenter ut unum corpus efficias: liquamine temperas, & in patella ænea exinanies, coques: cum coctum fuerit, uersas in tabula munda. Tessellas concides, adijcies in mortarium piper, ligusticum, origanum: fricabis in se: cõmisces in caccabum: facias ut ferueat, cum ferbuerit, tracta confringes, obligas, coagitabis, & exinanies in boletari: piper asperges, & appones. Isicia ex spongiolis. Elixatos spongiolos conteres, & neruos eorum eximes: deinde cum eis alicam elixatam & oua cõteres & pipere in omento assabis: œnogaro profundes: & pro isicijs inferes. Isicia omentata. Pulpam concisam teres cum medulla siliginis in uino infusi: piper, liquamẽ, si uelis, & baccam myrtheam exenteratam simul conteres: pusilla isicia formabis, intus nucleis & pipere positis: inuoluta omento subassabis cum caræno.

Hydrogaratum & apodermum & amylatum. CAP. II.

Isicia plena. Accipies adipes phasiani recentes præduras, & facis ex eis tessellas, cum pipere, liquamine, carꝫno in isicio includes, & hydrogaro coques, & inferes. Hydrogarata isicia sic facies. Teres piper, ligusticum, pyrethrum minimum: suffundes liquamen: temperas aqua cisternina dum inducet: exinanies in caccabo, & tum isicia ad uaporem ignis pones, & caleat, & sic sorbendum inferes. In isicia de pullo. Olei floris lib. j. liquaminis quartarium, piperis semuncia. ALiter de pullo. Piperis grana xxxj. conteres, mittis liquaminis optimi calicem, caræni tantundem, aquæ xj. mittes, & ad uaporem ignis po-

nes. Isicium simplex. Ad unum liquaminis acetabulum aquæ septem mittes, modicum apij uiridis, triti piperis cochleare, isiciola incoques, & sic ad uentrem soluendum dabis, hydrogaro sales conditos addes. Isicia de pauo primum locum habent, ita si fricta fuerint ut callum uincant. Item secundum locum habent de phasianis. Item tertium locum habent de cuniculis. Item quartum locum habent de pullis. Item quintum locum habent de porcello tenero. Isicia amylata sic facies. Teres piper, ligusticum, origanum modicum, silphion, Zingiber minimum: mellis modicum, liquamine temperabis, misces, adijcies super isicia: facies ut ferueat, cum bene ferbuerit, amylo obligas spisso, & sorbendum feres amylatum. ALiter. Piper teres pridie infusum, cui subinde liquamen suffundes, ita ut bene tritum ac lutulentum facias piperatum, cui defrutũ admisces, quod fit de cotoneis, quod sole torrente in mellis substãtiam cogitur: quod si non fuerit, uel caricarum defrutum mittes, quod Romani colorem uocant. Accipe deinceps amylum infusum, adijcies uel orizæ succũ: & lento igni ferue re facias amylatum. ALiter. Ossicula de pullis expromas, deinde mittis in cacabum porros, anethũ, salem: cum cocta fuerint, addes piper, apij semen: deinde orindam infusam teres: addes liquamen & passum uel defrutum, omnia misces & cũ isicijs inferes.

Apodermum sic facies. Alicam elixatam nucleis & amygdalis depilatis & in aqua infusis & lotis ex creta argentaria ut ad candorem pariter perducãtur, cum iam miscebis, uuam passam, carænum uel passum desuper confractum asperges, & in boletari inferes.

Vuluulæ, Botelli. CAP. III.

Vuluulæ isiciata sic fiunt. Piper tritum & cuminum,

num, capita porrorum breuia duo à mole purgata, ruta, liquamen, admiſcentur pulpæ bene tunſæ & fricatæ. Denuo ipſo ſubtrito ita ut commiſceri poſſit, mittas piperis grana & nucleos, & calcabis in mortario bene loto, & ſic coquuntur ex aqua, oleo, liquamine, faſciculo porrorum & anetho. Botellum ſic facies. Ex oui uitellis coctis, nucleis pineis conciſis, cepam addes, porrum conciſum, ius crudum miſces, piper minutum, & ſic inteſtinum farcies, adijcies liquamen & uinum, & ſic coques.

Lucanicæ. CAP. IIII.

Lucanicas ſimiliter ut ſupra ſcriptum eſt. Lucanicarum confectio. Teritur piper, cuminum, ſatureia, ruta, petroſelinum, condimentum, baccæ lauri, liquamen, & admiſcetur pulpa bene tunſa, ita ut denuo bene cum ipſo ſubtrito fricetur cum liquamine admixto pipere integro & abundāti pinguedine & nucleis farcies inteſtinum perquam tenuatim productum, & ſic ad fumum ſuſpenditur.

Farcimina. CAP. V.

Oua & cerebella teres, nucleos pineos, piper, liquamen, laſer modicum, & his inteſtinum implebis, elixas, poſtea aſſas, & inferes. ALiter. Coctam alicam & tritam cum pulpa conciſa & trita unà cum pipere & liquamine & nucleis farcies inteſtinum & elixabis, deinde cum ſale aſſabis, & cum ſinapi inferes: uel ſic conciſum in diſco. ALiter. Alicam purgas & cum liquamine inteſtini & albamine porri conciſi minutatim ſimul elixas. Elixato tolles pinguedinem, concides & compendia pulpæ, in ſe omnia commiſces. Teres piper, liguſticum, oua tria: hæc omnia in mortario permiſces cum nucleis & pipere integro, liquamen ſuffundes, inteſtinum imples, elixas & ſub-

aliâs capadia.

assas, uel elixum tantum appones. ALiter. Circellos isiciatos. Reples intestinum impensa isicij & circellum facies rotundum, fumas, cum fumauerit, subassas, exornas, œnogaro phasiani profundes, sed cuminum addes.

FINIS.

CAPITA LIBRI TERTII.

APICII CAELII CEPV-ROS LIB. III.

De oleribus. Vt omne olus smaragdinum fiat. CAP. I.

OMne olus smaragdinum fiet, si cum nitro coquatur.

Pulmentarium ad uentrem. CAP. II.

Betas minutas & porros requietos elixabis, in patina compones. Teres piper, cuminum, suffundes liquamen, passum ut quædam dulcedo sit: facias ut ferueat, cum ferbuerit, inferes. Similiter polypodium in tepidam mittis, ubi mollierit, rades: & minutũ cum pipere & cumino trito in patinam feruentem mittes, & uteris. ALiter ad uentrem. Facies betaceorum fasces, deterges, laues, in eorum mediũ nitrum asperges, & adligas singulos fasces, mittes in aquam, cum coxeris condies patinam, cum eadem passum uel carænum & cuminum & piper asperges & oleum modicum, ubi ferbuerit polypodium & frusta nucũ cum liquamine teres, in feruentem patinam fundes, coope ries, statim depones, & uteris. ALiter betaceos Varronis. Varro. Betaceos, sed nigros, quorum detersas radices & mulso decoctas cũ sale modico & oleo: uel sale aqua & oleo in se coques, iusculum facies & potabis: melius erit, si in eo pullus sit decoctus. ALiter ad uentrem. Apios uirides cum suis radicibus lauabis & siccabis ad solem, deinde albamen & capita porrorum simul elixabis in caccabo nouo, ita ut aqua ad tertias deferueat, postea teres piper, liquamen, & aliquantum mellis humore temperabis, & aquam apiorum decoctorum colabis in mortario, & superfundes apio, cum simul ferbuerit, appones: & si libitum fuerit, apios adijcies.

Aſpharagi. CAP. III.

Aſpharagos ſiccabis, rurſum in calidã ſubmittes.

Cucurbitæ. CAP. IIII.

Calloſiores reddes cucurbitas ad guſtum. Cucurbitas coctas expreſſas in patinam compones, adijcies in mortarium piper, cuminum, ſilphion modicum, rutam modicum, liquamine & aceto temperabis, mittes defruti modicum ut coloretur: ius exinanies in patinam: cum ferbuerit iterum ac tertio depones, & piper minutum aſperges. ALiter cucurbitas iure colocaſiorum. Cucurbitas coquas ex aqua in modum colocaſiorum: teres piper, cuminum, rutam, ſuffundes acetum, liquamine temperabis in cacabum, cui adijcies, & eas cucurbitas inciſas expreſſas in ius mittes ut ferueant, amylo obligas, piper aſperges, & inferes. ALiter cucurbitas more Alexandrino. Elixatas cucurbitas exprimis. Sale aſperges, in patina compones: teres piper, cuminum, coriandri ſemen, mentham uiridem, laſeris radicem: ſuffundes acetum: adijcies caryotam, nucleum, teres: melle, aceto, liquamine, defruto & oleo temperabis, & cucurbitas perfund[illegible] um ferbuerint, piper aſperges, & inferes. ALi[illegible] ucurbitas elixatas, ex liquamine, oleo, mero. [illegible]er cucurbitas frictas, œnogaro ſimplici & pipere. ALiter cucurbitas elixatas & frictas, in patina compones, cuminatum ſuperfundes, modico oleo ſuperadiecto, feruere facias, & inferes. ALiter cucurbitas frictas tritas: piper, liguſticum, cuminum, origanum, cepam, uinum, liquamen & oleum, amylo obligabis in patina, & inferes. ALiter cucurbitas cum gallina. Duracina, tubera, piper, carẹum, cuminum, ſilphion: condimenta uiridia, mentham, apium, coriandrum, pulegium, calamentham: mel, uinum, liquamen,

quamen, oleum, acetum.

Citrini. CAP. V.

Sil montanum, silphium, mentham siccam, acetum, liquamen.

Cucumeres. CAP. VI.

Cucumeres rasos siue ex liquamine, siue ex œnogaro sine ructu & grauitudine teneriores senties. ALiter. Cucumeres rasos elixabis cum cerebellis elixis, cumino & melle modico. Vel, apij semine, liquamine & oleo elixabis, obligabis, piper asperges, & inferes. ALiter cucumeres. Piper, pulegium, mel uel passum, liquamen & acetum, interdum & silphion accedit.

Pepones & melones. CAP. VII.

Piper, pulegium, mel uel passum, liquamen, acetum, interdum & silphium accedit.

Maluæ. CAP. VIII.

Maluas minores œnogaro & liquamine, oleo, aceto. Maluas maiores in œnogaro, pipere, liquamine, caræno uel passo.

Cimæ & coliculi. CAP. IX.

Cimas, cuminum, salem, uinum uetus, oleum si uoles addes, piper & ligusticum, mentham, rutam, coriandrum, folia coliculorum: liquamen, uinum, oleũ. ALiter. Coliculos elixatos mediabis, summa foliorum teres cum coriandro, cepa, cumino, pipere, passo uel caræno & oleo modico. ALiter. Coliculi elixati in patina compositi condiuntur liquamine, oleo, mero, cumino, piper asperges, porrum, cuminum, coriandrum uiridem super concides. ALiter. Coliculi conditi, ut supra cum elixis porris coquantur. ALiter. Coliculos condies ut supra, admisces oliuas uirides, & simul ferueant. ALiter. Coliculis condi

tis ut ſupra ſuperfundes alicam elixam cum nucleis, & uuam paſſam ſuperaſperges.

Porri. CAP. X.

Porros maturos fieri, pugnum ſalis, aquam & oleum mixtum facies & ibi coques, & eximes: cum oleo, liquamine, mero inferes. ALiter. Porros opertos folijs coliculorum in prunis coquas, & ut ſupra inferes. ALiter. Porros in caccabo coctos, ut ſupra inferes. ALiter. Porri cum elixati erunt, fabæ nondum conditæ plurimum admiſce conditura in qua eos manducaturus es.

Betæ. CAP. XI.

Concides porrum, coriandrum, cuminum, uuam paſſam, farinam, & omnia in medullam mittes, obligabis, & ita inferes ex liquamine, oleo & aceto. ALiter. Betæ elixę ex ſinapi, oleo modico & aceto bene inferuntur.

Oliſatra. CAP. XII.

Oliſatra in faſciculum redacta manu ex liquamine, oleo & mero bene inferuntur: uel cum piſcibus aſſis.

Rapæ ſiue Napi. CAP. XIII.

Rapas ſiue napos elixatos exprimes: deinde teres cuminum plurimum, rutam minus, laſer Parthicum, mel, acetum, liquamen, defrutum & oleum modice: feruere facies, & inferes. ALiter. Rapas ſiue napos, elixas: inferes: oleum ſuperſtillabis: ſi uoles, acetum addes.

Raphani. CAP. XIIII.

Raphanos cum piperato ita ut piper cum liquamine teras.

Olus molle. CAP. XV.

Olus molle ex oliſatro cocto ex aqua nitrata, ex-

preſſum

pressum concides minutatim: teres piper, ligusticum, satureiam siccam cum cepa sicca: liquamen, oleum & uinum. ALiter olus molle. Apium coques ex aqua nitrata, exprimes & concides minutatim: in mortario teres piper, ligusticum, origanum, cepam: uinum, liquamen & oleum coques in pultario, & sic apium commisces. ALiter olus molle ex folijs lactucarum cum cepis, coques ex aqua nitrata, expressum concides minutatim: in mortario teres piper, ligusticum, apij semen, mentham siccam, cepam: liquamẽ, oleum & uinum. ALiter olus molle ne acescat, summa quæq; amputantur, & purgamenta & caules madefactos in aqua absinthij contegito.

Herbæ rusticæ. CAP. XVI.

Liquamine, oleo, aceto à manu: uel in patina pipere, cumino, baccis lentisci.

Vrticæ. CAP. XVII.

Vrticam fœminam sole in ariete posito aduersus ægritudinem sumes si uoles.

Intuba & lactucæ. CAP. XVIII.

Intuba ex liquamine & oleo modico, modice cepa concisa pro lactucis uere: hyeme intuba ex embamate uel melle & aceto. Agri lactucas cum oxyporo & aceto & modico liquamine ad digestionem & inflationem & ne lactucę lædant. Cumini unc. ij. Zingiberis unc. j. Rutæ uiridis unc. j. dactylorum pinguium scrupulos xij. piperis unc. j. mellis unc. ix. cuminum aut Aethiopicum aut Syriacum aut Libycum: tundis cuminum & postea infundis in aceto; cum siccauerit postea melle omnia comprehendis, cum necesse fuerit, dimidium cochlearium aceto & liquamine modico misces, & post cœnam dimidium cochleare accipies.

Cardui. CAP. XIX.

Carduos liquamine, oleo & ouis concisis. ALiter carduos. Rutam, mentham, coriandrum, fœniculum, omnia uiridia teres: addes piper, ligusticũ: mel, liquamen & oleum. ALiter carduos elixos. Piper, cuminum, liquamen & oleum.

Spongioli uel funguli. CAP. XX.

Spongioli fricti ex œnogaro simplici. ALiter. Spongioli elixi ex sale, oleo, mero: coriandro uiridi conciso & pipere integro. ALiter. Spongiolos elixos perfundes amylato infra scripto. Apij semen, rutam, mel, piper teres: passum, liquamen, & oleum modice: amylo obligas: piper asperges, & inferes. ALiter spongiolos. Teres cuminum, rutam, liquamen, carænum modice, oleum, coriandrum uiridem & porrum, & spongiolos inferes pro salso. Aliter. Spongiolos elixatos prædurabis, mittes in cacabum oleũ, liquamen, piper: passo colorabis, & obligas. ALiter. Spongiolos elixatos conteres & neruos eorum eximes: deinde cum eis alicam elixatam & oua conteres, liquamen, piper: isicia ex his facies cum nucleis & pipere in omento: assabis: œnogaro continges, & pro isicijs inferes.

Carotæ seu pastinacæ. CAP. XXI.

Carotæ seu pastinacæ frictæ œnogaro inferuntur. ALiter. Carotas sale, oleo puro & aceto. ALiter. Carotas elixatas concisas in cuminato, oleo modico coques, & inferes: cuminatum coloratum facies.

FINIS.

CAPITA LIBRI QVARTI.

Minutal

APICII CAELII PANDECTER LIBER IIII.

Salacacabia. CAP. I.

SAlacacabia. Piper, mentham, apium, pulegium aridum, caseum, nucleos pineos: mel, acetum, liquamen, ouorum uitella, aquam recentem conteres: panem ex posca maceratum exprimes: caseum bubulum: cucumeres in cacabulo compones, interpositis nucleis, mittes concisas cepas aridas minutim, iecuscula gallinarum, ius profundes, super frigidam collocabis, & sic appones.

ALiter salacacabia Apiciana. Adijcies in mortario apij semen, pulegium aridum, mentham aridam, zingiber, coriandrũ uiridem, uuam passam enucleatam: mel, acetum, oleum & uinum: cõteres. Adijcies in cacabulo panis picentini tria frusta: interpones pulpas pulli, glandulas hedinas, caseum uestinum, nucleos pineos, cucumeres, cepas aridas minute concisas: ius supra perfundes. Insuper niuẽ sub ora asperges & inferes. ALiter salacacabia. Panem alexandrinũ excauabis, in posca macerabis, adijcies in mortarium piper, mentham, allium, coriandrũ uiridem, caseum bubulum sale conditum: aquam, oleum, insuper uinum: & inferes.

Patina piscium, olerum & pomorum. CAP. II.

Patina cottidiana. Cerebella elixata teres, tum piper, cuminum, laser cum liquamine, carænum cum

lacte & ouis ad ignem lenem uel ad aquam calidam coques. ALiter patina uersatilis. Nucleos, nuces fractas, torres eas, & teres cum melle, pipere, liquamine, lacte & ouis, olei modicũ. ALiter patina. Thyrsum lactucæ teres cum pipere, liquamine, caræno, aqua, oleo: coques: ouis obligabis: piper asperges, & inferes. Aliter patina frictilis. Accipies olisatra, purgas, lauas, coques: refrigerabis, & friges. Accipies cerebella iiij. eneruabis, coques. Adijcies in mortario piperis scrupulos vj. suffundes liquamen, fricabis: postea adijcies cerebella, fricabis: interim adijcies olisatra & simul cõteres: postea franges oua viij. Adijcies cyathum liquaminis, uini cyathum, passi cyathum: contrita simul temperabis: patinam perunges, impones in thermospodio: posteaquam coctum fuerit, piper asperges, & inferes. ALiter patina de asparagis frigida. Accipies asparagos purgatos, in mortario fricabis: aquam suffundes, perfricabis: per colum colabis: & mittes ficedulas curatas: teres in mortario piperis scrupulos sex: adijcies liquamen, fricabis, uini cyathum j. passi cyathum j. olei unc. iij. mittes in cacabum, illic ferueant: perunges patinam: in ea oua vj. cum œnogaro misces: cum succo asparagi impones cineri calido: mittes impensam supra scriptam: tunc ficedulas compones: coques: piper asperges & inferes. ALiter patina de asparagis. Adijcies in mortario asparagorum præcisuras quæ proijciuntur, teres, suffundes uinum, colas. Teres piper, ligusticum, coriandrum uiridem, satureiam, cepam: uinum, liquamen & oleum: succum transferes in patellam perunctam: & si uolueris, oua dissolues ad ignẽ ut obliget: piper minutum asperges. ALiter patinam ex rusticis, siue cymis, siue sinapi uiridi, siue cucumere, siue

coliculis

coliculis ita facies: si uolueris substernes pulpas pisciũ uel pullorum. ALiter patina de sambuco calida & frigida. Accipies semẽ de sambuco, purgabis, ex aqua decoques, succum per colum colabis, patinam perunges, & in patinam compones, ad succũ illum adĳcies piperis scrupulos vj. suffundes liquamen, fricabis: postea adĳcies liquaminis cyathum unum, uini cyathũ, passi cyathum: teres tantum, in patinam mittes olei unc. iiĳ. pones in thermospodio & facies ut ferueat, cum ferbuerit, franges postea oua vj. agitabis, & patinam sic obligabis, cum obligaueris, piper asperges & inferes. Patina de rosis. Accipies rosas & exfoliabis, album tolles, mittes in mortarium, suffundes liquamen, fricabis: postea mittes liquaminis cyathum unum semis, & succum per colum colabis. Accipies cerebella iiĳ. eneruabis: & teres piperis scrupulos viĳ. suffundes ex succo, fricabis: postea oua octo franges, uini cyathum unum semis & passi cyathum unũ, olei modicum: postea patinam perunges, & eam impones cineri calido, & sic impensam supra scriptam mittes: cum cocta fuerit in thermospodio, piperis puluerem super asperges, & inferes. ALiter patina de cucurbitis. Cucurbitas elixas & frictas in patina compones, cuminatum superfundes, modico oleo super adiecto: feruere facias, & inferes. Patina de apua. Apuam lauas, ex oleo maceras, in cumana cõpones: adĳcies oleum, liquamen, uinum. Alligas fasciculos rutæ & origanum: & subinde fasciculos cum apua elixabis: cum cocta fuerit, proĳcies fasciculos, & piper asperges, & inferes. ALiter patina de apua sine apua. Pulpas piscis assi uel elixi minutatim facies ita abundanter ut patinam qualem uoles adimplere possis: teres piper & modicum rutæ: suffundes liqua-

men quod satis erit, & olei modicum, & commisces in patina cum pulpis, sic & oua cruda confracta, ut unum corpus fiat: desuper leuiter compones urticas marinas ut non cum ouis misceantur: impones ad uaporem ut cum ouis bullire possint, & cũ siccauerint, super asperges piper tritum, & inferes ad mensam: nemo agnoscet quid manducet. Patina ex lacte. Nucleos infundes & siccas eos, recentes, præparatos habebis. Accipies patinam & in eam compones singula infra scripta: mediana maluarum & betarum & porros maturos, apios, olus molle, & uiridia elixa, pullũ raptum & iure coctũ, cerebella elixa, lucanicas, oua dura per medium incisa mittes: longanones porcinos farsos, ex iure tarentino coctos, cõcisos, iocinora pullorum, pulpas piscis aselli fricti, urticas marinas, pulpas ostreorum, caseos recentes alternis compones: nucleos & piper integrum asperges. Ius tale perfundes: piper, ligusticum, apij semen, silphium coques, & ubi cocta fuerint, lac colas cui cruda oua commisces ut unum corpus fiat, & super illa omnia perfundes: cum cocta fuerint, echinos recentiores, piper asperges & inferes. Patinam apicianam sic facies. Frusta suminis cocti, pulpas piscium, pulpas pulli, ficedulas uel pectora turdorum cocta, & quæcunq; optima fuerint: hæc omnia concides diligenter preter ficedulas: oua uero cruda cum oleo dissoluis: teres piper, ligusticum: suffundes liquamen, uinum, passum: & in cacabum mittes ut calefiat, & amylo obligas: antea tamen pulpas concisas uniuersas illuc mittes, & sic bulliat. At ubi coctum fuerit, leuabis cum iure suo: & in patella alternis de trulla refundes cum piperis granis integris & nucleis pineis, ita ut per singula coria substernas diploidem in laganum, similiter quotquot lagana

posueris

posueris tot trullas impensæ desuper adijcies, unum uero laganum fistula percuties & super impones: piper asperges: ante tamen illas pulpas ouis confractis obligabis, & sic in cacabum mittes, tum impensam. Patellam æneam qualem debes habere, infra ostenditur. Patina cottidiana. Accipies frusta suminis cocta, pulpas pisciũ coctas, pulpas pulli coctas: hæc omnia concides diligenter. Accipies patellam æneam, oua confringes in cacabum & dissolues: adijcies in mortarium piper, ligusticum, origanum, fricabis: suffundes liquamen, uinum, passum & oleum modice: reexinanies in cacabum: facies ut ferueat, cum ferbuerit, amylo obligas: pulpas quas subcultrasti in ius mittis: substernes diploides, patinam æneam & trullam plenam pulpæ, & disperges oleum & laganum ponis, similiter quotquot lagana posueris tot trullas impensæ adijcies: unum laganum fistula percuties, à superficie uersas in discum, insuper in superficiem pones: piper asperges, & inferes. Patina uersatilis uice dulcis. Nucleos pineos, nuces fractas & purgatas: attorrebis eas: teres cum melle, pipere, liquamine, lacte, ouis, modico mero & oleo modico. Patella tyrotaricha ex quocunq; pisce salso uolueris: coques ex oleo, exossabis, & cerebella cocta, pulpas piscium, iecuscula pullorum, oua dura, caseum mollem excaldatum: hæc omnia calefacies in patella: teres piper, ligusticum, origanum, rutæ baccam, uinum, mulsum, oleum: patellam ad lentũ ignem, ut coquatur, ouis crudis obligabis, adordinabis: cuminum minutum asperges, & inferes. Patella sicca. Isicia de tursione. Eneruabis, cõcides minutatim: teres piper, ligusticum, origanum, petroselinum, coriandrum, cuminum, rutæ baccam, mentham siccam, ipsum tursionem: isicia de-

formabis, uinum, liquamẽ, oleum coques, coctum in patellam collocabis, ius in ea facies: piper, ligusticum, satureiam, cepam, uinum, *acetũ, oleum, in patellam pones ut coquatur, ouis obligabis, piper asperges & inferes. Patella ex olisatro. Elixas ex aqua nitrata, exprimis in patellam, teres piper, ligusticum, coriandrum, satureiam, cepam, uinum, liquamen, acetum, oleum, transferes in patellam, coques: amylo obligas: thymum & piper minutum asperges: & de quacunq; herba si uolueris facies ut supra. Patina de apua fricta. Apuam lauas, oua confringes & cum apua commisces: adijcies liquamen, uinum, oleum: facies ut ferueat, & cum ferbuerit, mittes apuam, cũ duxerit subtiliter uersas, facies ut coloret, œnogarũ simplex perfundes, piper asperges & inferes. Patina ex lacertis & cerebellis. Friges oua dura, cerebella elixas & eneruas, gigeria pullorũ coques: hæc omnia diuides præter piscem: compones in patina præmista, salsum coctum in medio pones: teres piper, ligusticũ, suffundes passum uel mulsum ut dulcis sit: piperatum mittes in patinam, facies ut ferueat, cum ferbuerit, ramo rutæ agitabis, & amylo obligabis. Patina mullorũ loco salsi. Mullos rades, in patina munda compones, adijcies liquamen ut ferueat, cum ferbuerit, mulsum mittes aut passum, piper asperges & inferes. Patina piscium loco salsi. Pisces qualeslibet curatos friges, in patinam compones, adijcies olei quod satis est, & salsum interpones, facies ut ferueat, cũ ferbuerit, mittes mulsum, & ius agitabis. Patina piscium. Pisces qualeslibet rades & curatos mittes, cepas siccas ascalonias uel alterius generis concides in patinam, & pisces super compones: adijcies liquamen, oleum: cum coctum fuerit, salsum coctum in medio pones: addendum

alias liquamen.

dum

dum acetum: aſperges & coronam bubulam. Patella Lucretiana. Cepas pallacanas purgas, uiridia earum proijcies, in patinam concides, liquaminis modicum, oleum & aquam: dum coquitur ſalſum crudum in medium ponis. At ubi cum ſalſo prope cocta fuerit, mellis cochleare aſperges, aceti & defruti puſillũ: guſtas, ſi fatuum fuerit, liquamen adijcies: ſi ſalſum, mellis modicũ, & coronam bubulam aſperget ut bulliat. Patina de lacertis. Lacertos rades, lauas: oua confringis & cum lacertis commiſces: adijcies liquamen, uinum, oleum: facies ut ferueat, cum ferbuerit, œnogarum ſimplex perfundis, piper aſperges & inferes. Patina piſcium zomoteganite. Crudos quoslibet piſces in patina compones: adijcies oleum, liquamen, uinum coctũ: faſciculum porri, coriandri: dum coquitur, teres piper, liguſticum, origani faſciculum, de ſuo ſibi fricabis: ſuffundes ius de ſuo ſibi: oua cruda diſſolues, temperas, exinanies in patinam, facies ut obligetur, cum tenuerit, piper aſperges & inferes.

Patina ſolearum. Soleas battues, & curatas compones in patina: adijcies oleum, liquamen, uinũ: dum coquitur teres piper, liguſticum, origanum, fricabis: ſuffundes ius, oua cruda, & unum corpus facies, ſuper ſoleas refundes, lento igni coques, cum duxerit, piper aſperges, & inferes. Patina de piſcibus. Piperis unciam, caræni heminam, conditi heminam, olei unc. ij. Patina de piſciculis. Vuam paſſam, piper, liguſticum, origanũ, cepam: uinum, liquamen, oleũ: transferes in patellam: cum cocta fuerit adijcies in ipſam piſciculos coctos, amylo obligas, & inferes.

Patina de piſcibus dentice, aurata, & mugile. Accipies piſces curatos, ſubaſſabis: poſtea eos in pulpas carpes: deinde oſtrea curabis. Adijcies in mortarium

piperis scrupulos vj. suffundes liquamen, fricabis: postea adijcies liquaminis cyathum unũ, uini cyathum unum: mittes in cacabum, & olei unc. iij. & ostrea, œnogarum facias feruere, cũ ferbuerit, patinam perungis, & in pulpam supra scriptam mittes, & in conditura de ostreis: facias ut ferueat, cũ ferbuerit, franges oua xl. infundes super ostrea, cum strinxerint, piper asperges & inferes. Patina de pisce lupo. Teres piper, cuminum, petroselinum, rutam, cepam: mel, liquamen, passum, olei guttas. Patina de sorbis calida & frigida. Accipies sorba, purgas, in mortario fricabis, per colũ colabis: cerebella eneruabis quatuor cocta, mittes in mortario piperis scrupulos viij. suffundes liquamen, fricabis: adijcies sorba, in se contemperabis: franges oua viij. adijcies cyathũ liquaminis unum: patinam mundam perunges & in thermospodio pones, & sic eam impensam mittes: ac subtus supra thermospodium habeat, cum cocta fuerit, piper minutum asperges, & inferes. Patina de persicis. Persica duriora purgabis, frustatim concides, elixas, in patinam compones: olei modicũ super instillabis, & cum cuminato inferes. Patina de pyris. Pyra elixa & purgata è medio teres cum pipere, cumino, melle, passo, liquamine, oleo modico: ouis mixtis patinã facies, piper super asperges & inferes. Patina urticarum calida & frigida. Vrticam accipies, lauas, colas per colum, exiccabis in tabula, eam cõcides: teres piperis scrupulos x. suffundes liquamen, fricabis: postea adijcies liquaminis cyathos duos, olei unc. vj. Cacabus ferueat, cum ferbuerit, coctum tolles ut refrigescat: postea patinam mundam perunges, franges oua octo & agitas, perfundes, subtus supra cinerem calidum habeat, cum coctum fuerit, piper minutũ asperges,

ges, & inferes. Patina de cydonijs. Mala cydonia cum porris, melle, liquamine, oleo defricato, coques, & inferes: uel elixata ex melle.

Minutal de piscibus uel isicijs. CAP. III.

Minutal marinum. Pisces in cacabum mittes: adijcies liquamen, oleum, uinum, cocturam: porros capitatos, coriandrum, minutatim concides: isiciola de piscibus minuta facies: & pulpas piscis cocti concerpis, urticas marinas bene lotas mittes: hęc omnia cum cocta fuerint, teres piper, ligusticum, origanum, fricabis: suffundes liquamẽ, ius de suo sibi, exinanies in cacabum: cum ferbuerit, tractam cõfringes, obligas, agitas: piper asperges, & inferes. Minutal Tarentinum. Concides in cacabum albamen de porris minutatim: adijcies oleum, liquamen, cocturam, isiciola minuta & sic temperas, ut tenerum sit, isicium tarentinum facies. Inter isicia cõfectionem inuenies. Ius tale facies. Piper, ligusticum, origanum, fricabis: suffundes liquamen, ius de suo sibi: uino & passo temperabis, mittes in cacabum: cum ferbuerit, tractam confringes, obligas: piper asperges & inferes. Minutal Apicianum. Oleum, liquamen, uinum, porrum capitatum, mentham, pisciculos, isiciola minuta, testiculos caponum, glandulas porcellinas, hęc omnia in se coquantur. Teres piper, ligusticum, coriandrum uiridem uel semẽ: suffundis liquamen: adijcies mellis modicũ & ius de suo sibi: uino & melle temperabis: facias ut ferueat, cum ferbuerit, tractam confringes, obligas, coagitas: piper asperges & inferes. Minutal matianum. Adijcies in cacabum oleum, liquamen, cocturam: concides porrum, coriandrum: isicia minuta: spatulam porcinam coctam tessellatim concides cum sua sibi tergilla: facies ut simul coquantur media coctura: mala ma-

tiana purgata intrinsecus, concisa tessellatim mittes, dum coquitur, teres piper, cuminum, coriandrum uiridem uel semẽ, mentham, laseris radicem: suffundes acetum, mel, liquamen, defrutum modice, & ius de suo sibi: aceto modico temperabis, facias ut ferueat, cum ferbuerit, tractam confringes & ex ea obligas, piper aspergis & inferes. Minutal dulce ex citrijs. Adijcies in cacabum oleum, liquamen, cocturam, porrum capitatum, coriandrum cõcides minutatim, spatulam porcinam coctam, isiciola minuta: dum coquitur, teres piper, cuminum, coriandrum uel semen, rutam uiridem, laseris radicem: suffundis acetum, defrutum, ius de suo sibi: aceto tẽperabis, facias ut ferueat, cum ferbuerit, citrium purgatum intro foras, tessellatim cõcisum & elixatum in cacabum mittes: tractam confringes & ex ea obligas: piper aspergis, & inferes.

Minutal ex præcoquis. Adijcies in cacabum oleũ, liquamen, uinũ: concides cepam ascaloniam aridam, spatulam porcinam coctam tessellatim concides: his omnibus coctis, teres piper, cuminum, mentham siccam, anethum: suffundis mel, liquamen, passum, acetum modice, ius de suo sibi, tẽperabis: præcoqua enucleata mittes: facies ut inferueant donec percoquantur: tractam confringes, ex ea obligas: piper aspergis & inferes. Minutal ex iocinoribus & pulmonibus leporis. Inuenies inter lepores quemadmodũ facies. Adijcies in cacabum liquamen, uinum, oleum, cocturam porrorum, & coriandrum concisum, isicia minuta, spatulam porcinam coctam tessellatim cõcisam & in eundem cacabum mittes: dum coquitur, teres piper, ligusticum, origanum, ius de suo sibi: uino & passo temperabis: facias ut ferueat, cũ ferbuerit, tractam confringes & ex ea obligas: piper asperges, & inferes.

Minutal.

Minutal ex rosis. Eodem iure supra scripto, sed passum plus adijcias.

Ptisana uel succus. CAP. IIII.

Ptisanam sic facies. Ptisanam lauando fricas, quam ante diem infundes: impones supra ignem calidum, cum ferbuerit mittes olei satis, & anethi modicum fasciculum, cepam siccam, satureiam, & colocasium ut ibi coquantur: propter succum mittes coriandrum uiridem & salem simul tritum, & facies ut ferueat: cum bene ferbuerit, tolles fasciculum & transferes in alterum cacabum ptisanam sic ne fundum tangat propter combusturam, Lyas, & colas in cacabo supra acronem colocasium: teres piper, ligusticum, pulegij aridi modicum, cuminum, & sil frictum ut bene tegatur: suffundis acetum, defrutum, liquamē: refundis in cacabum, sed colocasium acronem facias ut ferueat super ignem lentum. ALiter. Ptisanam taricham infundis, cicer, lenticulam, pisa: defricas ptisanam & cum leguminibus elixas: ubi bene bullierit, olei satis mittis, insuper uiridia concidis porrum, coriandrum, anethum, fœniculum, betam, maluam, coliculum mollem, & uiridia minutatim concisa in cacabum mittis, coliculos elixas, & teres fœniculi semen satis, origanum, silphium, ligusticum: postquam triueris, liquamine temperabis, & super legumina refundis, & agitas: coliculorum minutias super concidis.

Gustum. CAP. V.

Gustum uersatile. Albas betas minutas, porros requietos, apios, bulbos, cochleas elixas, gigeria pullorum, auicellas, isicia coquas ex iure perungis patinā, & folia maluarum substernis, & præmixta olera componis, sic ut laxa permisces, bulbos inuersos, damascena, cochleas, isicia, lucanicas breues concidis: liqua-

mine, oleo, uino, aceto ponis ut ferueat: cum ferbuerit, teres piper, ligusticum, zingiber, pyrethrum modicum, fricabis, suffundis, & facies ut bulliat, patina oua complura confringis, & ius mortarij reliquum commoues, commisces, patinam obligabis: dum ducit, œnogarum ad eam sic facies. Teres piper, ligusticum, fricabis: suffundis liquamen & uinum: passo uel uino dulci temperabis in cacabulo, olei modicum mittis: facies ut ferueat: cum ferbuerit, amylo obligas: patinam uersas in lancem: folia maluarum ante tollis, œnogaro perfundis, insuper piper aspergis, & inferes. Gustum de oleribus. Condies bulbos liquamine, oleo & uino: cum cocti fuerint, iocinora porcelli & gallinarum & ungellas & auicellas diuisas, hęc omnia cum bulbis ferueant: cum ferbuerint, teres piper, ligusticum: suffundis liquamen, uinum & passum ut dulce sit: ius de suo sibi suffundis, reuocas in bulbos, cum ferbuerint ad momentum amylo obligas. Gustum de cucurbitis farsilibus. Cucurbitas à latere subtiliter ad modum tessellæ oblongę decidas & excauas & mittis in frigidam: Impensam ad eam sic facies. Teres piper, ligusticum, origanum: suffundis liquamen: cerebella cocta teres: oua cruda dissolues & mittes ut unum corpus efficias: liquamine temperabis: & cucurbitas supra scriptas non plene coctas, ex ea impensa imples, & de tessella sua recludis: surclas, & coctas eximes & frigis: œnogarum sic facies. Teres piper, ligusticum: suffundis uinum & liquamen: passo temperabis: olei modicum mittis in cacabum, & facias ut ferueat: cum ferbuerit, amylo obligas, & cucurbitas frictas œnogaro perfundis: & piper asperges & inferes.

Gustum de præcoquis. Duracina primotica pusilla præcoqua purgas, enucleas, in frigidam mittis, in

patina componis. Teres piper, mentham siccam: suffundis liquamen: adijcies mel, passum, uinum, acetũ: refundis in patina super præcoquia: olei modicũ mittis & lento igni ferueat: cum ferbuerit, amylo obligas: piper aspergis & inferes.

FINIS.

CAPITA LIBRI QVINTI.

APICII CAELII OSPRIOS LIB. V.

Pultes. CAP. I.

PVltes Iulianæ sic coquuntur. Alicam purgatam infundis: coques: facies ut ferueat: cum ferbuerit, oleum mittis: cum spissauerit, obligas diligenter. Adijcies cerebella duo cocta: & selibram pulpæ quasi ad isicia lyatæ cum cerebellis teres, & in cacabum mittis. Teres piper, ligusticum, fœniculi semen: suffundis liquamen & uinum modice, mittis in cacabum supra cerebella & pulpam: ubi satis ferbuerit, cum iure misces: ex hoc paulatim alicam condies & ad trullam permisces, & lyas ut quasi succus

uideatur. Pultes cum iure œnogari cocti. Pultes œnogari bene cocti iure condies, copadia, similam, siue alicam coctam hoc iure, & cum copadijs porcinis apponis œnogari cocti iure conditis. Pultes tractogalatæ. Lactis sextarium & aquæ modicum mittis in cacabo nouo, & lento igni ferueat: tres orbiculos tractæ siccas & confringis, & partibus in lac summissis, ne uratur, aquam miscendo agitabis, cum cocta fuerit, ut est, super ignem mittis, melle ex musteis cum lacte similiter facies, salem & oleum minus mittis.

Lenticula. CAP. II.

Lenticula ex spongiolis siue fungulis. Accipies cacabum mundum, mittes, coques: adijcies in mortarium piper, cuminum, semen coriandri, menthæ, rutæ, pulegij, fricabis: suffundis acetum: adijcies mel, liquamen, & defrutum: aceto temperabis: reexinanies in cacabum spongiolos elixatos, teres & mittis ut ferueant, cum bene ferbuerint, obligas: adijcies in boletari oleum uiride. Lenticula de castaneis. Accipies cacabum nouū & castaneas purgatas diligenter mittis, adijcies aquam & nitrum modice: facias ut coquatur: cum coquitur, mittes in mortario piper, cuminū, semen coriandri, rutæ, laseris radicem, mentham, pulegium, fricabis: suffundis acetum, mel, liquamen: aceto temperabis, & super castaneas coctas refundis: adijcies oleum: facies ut ferueat, cum bene ferbuerit, tudiculabis & in mortario teres. Gustas: si quid deest, addes: cum in boletari miseris, addes oleum uiride.

ALiter. Lenticulam coques: cum despumaueris, porrum & coriandrū uiridem supermittis: coriandri semen, pulegium, laseris radicem, semen menthæ & rutæ, fricabis: suffundis acetum: adijcies mel, liquamen, acetum: defruto temperabis: adijcies oleum, agitabis:

si quid

si quid opus fuerit, mittis: amylo obligas: insuper oleũ uiride mittis: piper aspergis, & inferes.

Pisa. CAP. III.

Pisum coques, cum despumauerit, porrum, coriandrum & cuminum supra mittis. Teres piper, ligusticum, careum, hoc est careotã, careum, anethum, ocymum uiridem, suffundis liquamen: uino & liquamine temperabis: facies ut ferueat, cum ferbuerit, agitabis: si quid defuerit, mittis & inferes. Pisa farsilis, coques, cui oleum mittis, abdomen, & mittis in cacabum liquamen & porrum capitatum, coriandrum uiridem: imponis ut coquatur. Isicia minuta facies quadrata, & coques simul turdos uel auicellas, uel de pullo conciso, & cerebella prope cocta cum iuscello coques lucanicas assas, petasonẽ elixas, porros ex aqua coques, nucleorum heminam frigis: teres piper, ligusticum, origanum, zingiber: ius abdominis fundis, lyas, angularem accipies, conuersari potest, & omento tegis, oleo profundis, deinde nucleos aspergis, & supra pisam mittis ut tegas fundũ angularis: & sic componis supra petasonis pulpas, porros, lucanicas concisas: iterum pisam supermittis: item alternis aptabis opsonia quousq; impleatur angularis: nouissime pisa mittis, ut intus omnia contineat: coques in furno, uel lento igni imponis ut ducat ad se deorsum: oua dura facies, uitella eijcies, in mortario mittis cum pipere albo, nucleis, melle, uino candido & liquamine modico, teres, & mittis in uas ut ferueat: cum ferbuerit, pisam mittis in lancem, & hoc iure perfundis, hoc ius candidum appellatur. Pisum Indicum. Pisum coques: cum despumauerit, porrum & coriandrum concides & mittes in cacabum ut ferueat: & accipies sepias minutas sic quomodo sunt cum atramento suo

ut simul coquantur: adijcies oleum, liquamen & uinum: fasciculum porri & coriandri, facies ut coquantur: cum coctum fuerit, teres piper, ligusticum, origanum, carei modicum: suffundis ius de suo sibi: uino & passo temperabis: sepias minutatim concides & in pisum mittes, piper asperges, pisum coques, agitabis, & mittis in frigidam: cum refrigerarit deinde, agitabis. Concidis cepam minutatim, & albamentum oui, oleo & sale condies: aceti modicum adijcies, in boletari uitellum oui cocti colas, insuper oleum uiride mittis, & inferes. Pisa uitelliana siue faba. Pisam coques, lyas: teres piper, ligusticum, zingiber: & super condimenta mittis uitella ouorum quæ dura coxeris, mellis unc. iij. teres: liquamen, uinum & acetum, hæc omnia mittis in cacabum & condimenta quæ triuisti, adiecto oleo ponis ut ferueat. Condies pisam, lyas, si aspera fuerit, mel mittis & inferes. ALiter pisa siue faba. Vbi despumaueris, teres, liquamen, mel, caræ num, cuminum, rutam, apij semen, oleum & uinum tudiculabis cum pipere trito, & cum isicijs inferes. ALiter. Pisam siue fabam despumatam subtrito lasere parthico, liquamine & caræno condies: oleum modice superfundis & inferes. Pisa adultera uersatilis. Coques pisam, cerebella uel auicellas uel turdos exossatos à pectore, lucanicas, iocinora, gigeria pullorum in cacabum mittis: liquamen, oleum: fasciculum porri capitati, coriandrum uiridem concidis, & cum cerebellis coques: teres piper, ligusticum & liquamen. Pisa siue faba uitelliana. Pisam siue fabam coques: cũ despumauerit, mittes porrum, coriandrum & flores maluarum: dum coquitur, teres piper, ligusticum, origanum, fœniculi semen: suffundis liquamẽ & uinum in cacabum: adijcies oleum: cum ferbuerit, agitas, oleum

oleum uiride insuper mittis, & inferes.

Conchicla. CAP. IIII.

Conchicla cum faba, coques: teres piper, ligusticum, cuminũ, coriandrum uiridem: suffundis liquamen: uino & liquamine temperabis: mittis in cacabũ: adijcies oleum: lento igni ferueat & inferes. Conchicla Apiciana. Accipies cumanam mundam ubi coques pisum, cui mittis lucanicas concisas, isiciola porcina, pulpas, petasonem: teres piper, ligusticum, origanum, anethum, cepam siccam, coriandrum uiridem: suffundis liquamen: uino & liquamine temperabis, mittis in cumanã, cui adijcies oleum, perungis ubiq; ut combibat oleum: igni lento coques ita ut ferueat, & inferes. Conchicla de pisa simplici. Pisam coques, cum despumauerit, fasciculum porri & coriandri mittis: dum coquitur, teres, piper, ligusticum, origanum: fasciculũ de suo sibi fricabis, suffundis liquamen, uino & liquamine temperabis, mittis in cacabũ, superadijcies oleum, & lento igni ferueat, & inferes.

Conchicla commodiana. Pisam coques, cum despumauerit, teres piper, ligusticum, anethum, cepam siccam: suffundes liquamen: uino & liquamine temperabis: mittis in cacabum ut combibat: deinde oua quatuor solues, in sextarium pisæ mittis, in cumana ad ignem ponis ut ducat, & inferes. Aliter conchiclam sic facies. Pullum lauas, exossas: concidis minutatim cepam, coriandrum, cerebella eneruata: mittis in eundem pullum: liquamine, oleo & uino ferueat, cum coctus fuerit, concidis minutatim cepam & coriandrum, colas ibi pisam coctam non conditam, accipies conchiclam pro modo componis uarie: deinde teres piper, cuminum: suffundis ius de suo sibi. Item in mortario oua duo dissolues, temperas, ius de suo si

bi suffundis pisæ integræ elixæ, uel nucleis adornabis, & lento igni feruere facies, & inferes. ALiter conchicla farsilis siue conchiclatus pullus uel porcellus. Exossas pullum à pectore, femora eius iungis in porrectum, surculo alligas, & impensam paras, & facies alternis pisam lotam, cerebella, lucanicas & cetera: teres piper, ligusticum, origanum & zingiber: liquamen suffundis: passo & uino temperabis: facies ut ferueat, & cum ferbuerit, mittis modice & pisam cum condieris, alternis in pullo componis, omento tegis, & in operculo deponis & in furnum mittis ut coquantur paulatim, & inferes.

Ptisana & alica. CAP. V.

Alicam uel succum ptisanę sic facies. Ptisanam uel alicam lauando fricas, quam ante diem infundis: imponis super ignem calidum, cum bullierit, mittes olei satis & anethi modicum fasciculum, cepam siccam, satureiam, & colocasium ut ibi coquantur: propter succum mittis coriandrum uiridem & salem simul tritũ, & facies ut ferueat: cum bene ferbuerit, tollis fasciculum, & transfers in alterum cacabum ptisanam sic ne fundum tangat propter combusturam, lyas bene & colas in cacabo super acronem colocasium: teres piper, ligusticum, puleg ij aridi modicum, cuminum, sil frictum ut bene tegatur: suffundis mel, acetum, defrutum, liquamen: refundis in cacabum, sed colocasium acronem facies ut ferueat super ignem lentum.

ALiter. Ptisanam infundis, cicer, lenticulam, pisam: defricas ptisanam & cum leguminibus elixas: ubi bene bullierit, olei satis mittis, insuper uiridia concidis porrum, coriandrum, anethum, fœniculũ mollem: hæc uiridia minutatim concisa in cacabum mittis, coliculos elixas, & teres fœniculi semen satis, origanum,

ganum, silphium, piper, ligusticum: postquam triueris, liquamine temperas, & super legumina refundis: agitas: coliculorum minutias super concidis.

Fabaciæ uirides & baianæ. CAP. VI.

Fabaciæ uirides ex liquamine, oleo, coriandro uiridi, cumino & porro conciso coctæ inferuntur. ALiter. Fabaciæ frictæ ex liquamine inferuntur. ALiter. Fabaciæ ex sinapi trito, melle, nucleis, ruta, cumino & aceto inferuntur. Baianas elixas minutatim concidis: ruta, apio uiridi, porro, aceto, oleo, liquamine, caræno uel passo modico inferes.

Fœnum græcum. CAP. VII.

Fœnum græcum ex liquamine, oleo & uino.

Phaseoli & cicer. CAP. VIII.

Phaseoli uirides & cicer ex sale, cumino, oleo & mero modico inferuntur. ALiter phaseolus siue cicer. Frictos ex œnogaro & pipere, gustabis. Et, Elixati sumpto semine cum lobis in patella fœniculo uiridi, pipere & liquamine & caræno modico pro salso inferuntur. Vel simpliciter ut solet.

FINIS.

CAPITA LIBRI SEXTI.

APICII CAELII AERO- PETES LIBER VI.

Instrutione. CAP. I.

IN ſtrutione elixo. Piper, mentham, cuminum aſſum, apij ſemen, dactylos uel caryotas: mel, acetum, paſſum, liquamẽ, & oleum modice: & in cacabo facies ut bulliat, amylo oblgias, & ſic partes ſtrutionis in lance perfundis, & deſuper piper aſpergis. Si autem conditurã coquere uolueris, alicam addis. ALiter in ſtrutione elixo. Piper, liguſticum, thymum aut ſatureiam, mel, ſinape, acetũ, liquamen & oleum.

In Grue uel anate. CAP. II.

Gruem uel anatem lauas, ornas & includis in olla: adijcies aquam, ſalem, anethum: dimidia coctura decoques dum obduretur: leuas, lauas & iterum in cacabum mittis cum oleo & liquamine, cum faſciculo origani & coriandri: prope cocturam defrutum modice mittis, ut coloret. Teres piper, liguſticum, cuminũ, coriandrum, laſeris radicem, rutam, carænum, mel, ſuffundis ius de ſuo ſibi, aceto temperas, in cacabum reexinanies ut calefiat: amylo obligabis: imponis in lancem & ius perfundis. In grue, in anate uel in pullo. Piper, cepam ſiccam, liguſticum, cuminum, apij ſemen, pruna uel damaſcena enucleata, muſtum, acetum, liquamen, defrutum, oleum, & coques. Gruem cum coquis, caput eius aquam non contingat, ſed ſit foris ab aqua, cum cocta fuerit, ſabano calido inuolues gruem, & caput eius trahe, cum neruis ſequetur, ut pulpæ uel oſſa remaneant. Cum neruis enim manducari non poteſt. ALiter gruem uel anatem ex ra

pis.

pis. Lauas, ornas, & in olla elixabis cum aqua, sale & anetho, dimidia coctura. Rapas quoque ut expromari possint leuabis de olla, & iterum lauabis, & in caca= bum mittis anatem cum oleo & liquamine & fascicu= lo porri & coriandri: rapam lotam & minutatim con= cisam desuper mittis, facies ut coquatur modica coctu ra, mittis defrutum ut coloret. Ius tale parabis. Piper, cuminum, coriandrum, laseris radicem: suffundis ace tum, & ius de suo sibi, reexinanies super anatem, & ferueat: cum ferbuerit, amylo obligabis, & super ra= pas adiicies; piper aspergis & apponis. ALiter in gruem uel anatem elixam. Piper, ligusticum, cumi= num, coriandrum siccum, mentham, origanum, nu= cleos, caryotam, liquamẽ, oleum, mel, sinape & uinũ.

ALiter in gruem uel anatem assam. Eas de hoc iu= re perfundis. Teres piper, ligusticũ, origanum: liqua= men, mel, aceti modicum & olei: ferueat bene, mittis amylum, & supra ius rotulas cucurbitæ elixæ uel co= locasiæ ut bulliant, si sunt & ungellæ, coques, & ioci= nora pullorum, in boletari piper minutum aspergis, & inferes. Aliter in grue uel anate elixa. Piper, li= gusticum, apii semen, erucam & coriandrum, men= tham, caryotam: mel, acetum, liquamen, defrutum & sinape. Idem faciet & si in cacabo assas.

In perdice, & attagena & turture. CAP. III.

In elixis. Piper, ligusticum, apii semen, mentham, myrtham & baccas, uel uuam passam: mel, uinũ, ace= tum, liquamen & oleum: uteris frigido. Perdicem cũ pluma sua elixabis, & coctura madefactam depilabis perdicem, concisa perdix potest ex iure coqui dum in durescat, si iterum ferbuerit, elixa condiri debet. ALiter in perdice & attagena & in turture. Piper, li= gusticũ, mentham, rutæ semen: liquamen, merum & oleum calefacies.

In palumbis & columbis altilibus. CAP. IIII.

In aſſis. Piper, ligusticum, coriandrum, careum, cepam ſiccam, mentham, oui uitellũ, caryotam: mel, acetum, liquamen, oleum & uinum. ALiter in elixis. Piper, careum, apij ſemen, petroſelinum, condimenta moretaria, caryotam: mel, acetum, uinum, oleum & ſinape. ALiter. Piper, ligusticum, petroſelinum, apij ſemen, rutam, nucleos, caryotam: mel, acetum, liquamen, ſinape, & oleum modice. ALiter. Piper, ligusticum, laſer, uinum: ſuffundis liquamen: uino & liquamine temperabis: & fundis ſuper columbum uel palumbum: pipere aſperſum inferes.

In diuerſis auibus, turdis, ficedulis, pauo, phaſiano, anſere. CAP. V.

Ius in diuerſis auibus. Piper, cuminum frictum, ligusticum, mentham, uuam paſſam enucleatam aut damaſcena, mel modice: uino myrtheo temperabis: aceto, liquamine & oleo calefacies, & agitabis apio & ſatureia. ALiter ius in auibus. Piper, ligusticum, petroſelinum, mentham ſiccam, anethi flores: uinum ſuffundis: adijcies ponticam uel amygdala toſta: mel modicum: uino, aceto & liquamine temperabis: oleũ in pultarium ſuper ius mittis, calefacies: agitabis ius apio uiridi & nepeta: auem incaraxas & perfundis. Ius candidum in auem elixam. Piper, ligusticum, cuminum, apij ſemen, ponticã uel amygdalam toſtam, uel nuces depilatas: mel modicum, liquamen, acetum & oleum. Ius uiride in auibus. Piper, careum, ſpica indica, cuminum, folium, condimenta uiridia, omne genus dactylorũ: mel, acetum, uinum modice, liquamen & oleum. Ius candidum in anſere elixo. Piper, careum, cuminum, apij ſemen, thymum, cepam, laſeris radicem, nucleos toſtos: mel, acetum, liquamen & oleum.

In

In aues hircosas. CAP. VI.

Ad aues hircosas omnis generis. Piper, ligusticũ, thymum, mentham aridam, saluiam, caryotam: mel, acetum, uinum, liquamen, oleum, defrutum, sinape: auem sapidiorem & altiorem facies, & ei pinguedinem seruabis, si eam farina oleo subacta contectam in furnum miseris. ALiter in auem. In uentrem eius fractas oliuas nouas mittis, & consutam sic elixabis: deinde coctas oliuas eximes.

In phœnicoptero & psittaco. CAP. VII.

Phœnicopterum elixas, lauas, ornas: includis in cacabum: adijcies aquam, salem, anethũ & aceti modicum, dimidia coctura alligas fasciculum porri & coriandri ut coquatur: prope cocturam defrutum mittis, coloras: adijcies in mortarium piper, cuminum, coriandrum, laseris radicem, mentham, rutam, fricabis: suffundis acetum: adijcies caryotam: ius de suo sibi perfundis: reexinanies in eundem cacabum, amylo obligas, ius perfundis, & inferes. Idem facies & in psittaco. ALiter. Assas auem: teres piper, ligusticum, apij semen, sesamum defrictum, perroselinum, mentham, cepam siccam, caryotam: melle, uino, liquamine, aceto oleo, & defruto temperabis. Aues omnes ne liquescant cum plumis elixatæ priusquam exenterantur per guttur, meliores erunt: uel in ambigas sublatæ.

In ansere. CAP. VIII.

Anserem elixum calidum è iure frigido Apiciano. Teres piper, ligusticum, coriandrum, mentham, rutam, refundis liquamen & oleum modice temperas. Anserem elixum feruentem sabano mundo exiccabis, ius perfundis, & inferes.

In pullo. CAP. IX.

In pullo elixo ius crudum. Adijcies in mortarium anethi semen, mentham siccam, laseris radicem: suffundis acetum: adijcies caryotam: refundis liquamē, sinapis modicum & oleum: defruto temperas, & sic mittis in pullum, anethatum. Aliter pullus. Mellis modice, liquamine temperabis. Lauas pullū coctum & sabano mundo siccas, charaxas, & ius scissuris infundis ut combibat, & cum cōbiberit, assabis, & suo sibi iure pertangis, piper asperges & inferes. Pullus Parthicus. Pullum aperies à naui & in quadrato ornas: teres piper, ligusticum, carei modicum: suffundes liquamen: uino temperas: componis in cumana pullum, & condituram super pullum facies, laser & uinum inter illas dissoluis & in pullum mittis simul & coques, piper asperges & inferes. Pullus oxyzomus. Olei acetabulum maiorem satis modice, liquaminis acetabulum minorem, aceti acetabulum perq; minorem, piperis scrupulos sex, petroselinum, porri fasciculum. Pullus Numidicus. Pullum curas, elixas, lauas, lasere & pipere aspersum assas: teres piper, cuminum, coriandri semen, laseris radicem, rutam, caryotam, nucleos: suffundis acetum, mel, liquamen: & oleo temperabis. Cū ferbuerit, amylo obligas: pullum perfundis: piper asperges & inferes. Pullus laseratus. Aperies à naui: lauabis, ornabis & in cumana ponis: teres piper, ligusticum, laser, uinum: suffundis liquamen: uino & liquamine temperabis, & mittis pullum: coctus si fuerit, pipere aspersum inferes. Pullus paroptus. Laseris modicum, piperis scrupulos sex, olei acetabulum, liquaminis acetabulum, petroselini modicum. Pullus elixus ex iure suo. Teres piper, cuminum, thymi modicum, fœniculi semen, mentham, rutam, laseris radicem: suffundis acetum:

adijcies

adijcies caryotam & teres: melle, aceto, liquamine & oleo temperabis: pullum refrigeratũ & ſiccatum mittis, quem perfuſum inferes. Pullus elixus cum cucurbitis elixis. Iure ſupra ſcripto addito ſinape perfundis & inferes. Pullus elixus cum colocaſijs elixis. Supra ſcripto iure perfundis & inferes. Facit & in elixum cum oliuis colymbadibus non ualde, ita ut laxamentum habeat ne diſſiliat dum coquitur in olla: ſubmiſſum in ſportellam, cum bullierit, frequenter lauas & ponis ne diſſiliat. Pullus Varianus. Pullum coques iure hoc: liquamine, oleo, uino: faſciculum porri, coriandri, ſatureiæ: cum coctus fuerit, teres piper, nucleos cyathos duos, & ius de ſuo ſibi ſuffundis, & faſciculos proijcies, lacte temperas, & reexinanies in mortarium ſupra pullum ut ferueat: obligas cum albamentis ouorum tritis: ponis in lance & iure ſupra ſcripto perfundis. Hoc ius candidum appellatur.

Pullus Frontonianus. Pullum prædura, condies liquamine, oleo mixto, cui mittis faſciculum anethi, porri, ſatureiæ, & coriandri uiridis & coques: ubi coctus fuerit, leuabis eum, in lance defruto perfundes, piper aſperges & inferes. Pullus tractogalatus.

Pullum coques liquamine, oleo, uino: cui mittis faſciculum coriandri, cepam: deinde cum coctus fuerit, leuabis eum de iure ſuo, & mittis in cacabum nouum lac & ſalem modicum, mel & aquæ minimum id eſt tertiam partem, ponis ad ignem lentum ut tepeſcat: tractum confringis, & mittis paulatim, aſſidue agitas ne uratur, pullum illic mittis integrum uel carptum, uerſabis in lance, quem perfundis iure tali. Piper, liguſticum, origanum: ſuffundis mel & defrutum modicum: & ius de ſuo ſibi temperas in cacabulo: facies ut bulliat: cum bullierit, amylo obligas & inferes.

Pullus farsilis. Pullum sic ne aliquid in eo remaneat, à ceruice expedies. Teres piper, ligusticum, zingiber, pulpam cesam, alicam elixam, teres cerebellum ex iure coctum: oua confringis & commisces ut unum corpus efficias: liquamine temperas, & oleum modice mittis, piper integrum, nucleos abundantes, fac impensam, & imples pullum, uel porcellum ita ut laxamentum habeat. Similiter & in capo facies. Accipies pullum & ornas ut supra: aperies illum à pectore, & omnibus eiectis, coques. Pullus Leucozomus. Accipias aquam & oleum Hispanum abundans, agitatur ut ex se ambulet & humorem consumat: postea cum coctus fuerit, quodcunque olei remanserit, inde leuas: piper asperges, & inferes.

FINIS.

CAPITA LIBRI SEPTIMI.

APICII CAELII POLITELES LIB. VII.

Vuluæ steriles, callum, lumbelli, codiculæ, & ungellæ. *aliàs cuticulæ.*

CAP. I.

VVluæ steriles. Laser Cyrenaicum uel Parthicum aceto & liquamine temperatum appones. In uulua sterili. Piper, apij semen, mentham siccam, laseris radicem: mel, acetum & liquamen. Vuluæ steriles. Piper & liquamen cum lasere Parthico, apponis. Vuluæ steriles. Pipere, liquamine & condito modico apponis. Callum, lumbelli, codiculæ, ungellæ. Piper, liquamen, laser: apponis. Vuluam ut tostam facias. In cantabro inuolue, & postea in muriam mitte, & sic coque. *aliàs cuticulæ.*

Sumen. CAP. II.

Sumen elixas, de cannis surclas, sale aspergis & in furnum mittis, uel in craticula subassas. Teres piper, ligusticum: liquamen, merum & passum: amylo obligas, & sumen perfundis. Sumen plenum. Teritur piper, careum, echinus salsus: consuitur & sic coquitur: manducatur cum alece, sinape.

Ficatum. CAP. III.

In ficato œnogarum. Piper, thymum, ligusticum, liquamen, uinum modice, oleum. ALiter. Ficatum præcidis ad cannam: infundis in liquamine: piper, ligusticum, baccas lauri duas: inuolues in omento & in craticula assas, & inferes.

Ofellæ. CAP. IIII.

Ofellæ ostienses. In offillam, designas ofellas in cute ita ut cutis sic remaneat. Teres piper, ligusticum, anethum, cuminum, silphium, baccam lauri unam: suffundis liquamen: fricas: in angularem refundis si-

mul cum ofellis: ubi requieuerit, in condimentis bi-
duo uel triduo ponis, surclas decussatim & in furnum
mittis: cum coxeris, ofellas quas designaueras separa
bis, & teres piper, ligusticum: suffundis liquamen, &
passum modicũ ut dulce fiat: cum ferbuerit ius, amy-
lo obligas, ofellas facies & inferes. Ofellæ Apicia-
næ. Ofellas exossas, in rotundum complicas, surclas,
ad furnum admoues, postea præduras, leuas ut humo
rem exspuant: in craticula igni lento exiccabis ita nẽ
urantur. Teres piper, ligusticum, cyperin, cuminũ: li
quamine & passo temperabis: cum hoc iure ofellas in
cacabum mittis: cum coctæ fuerint leuas & siccas, si-
ne iure, pipere asperso inferes. Si pingues fuerint, cũ
surclas, tollis cutem. Potes & de abdomine huiusmo-
di ofellas facere. Ofellæ aprugneæ. Ex oleo, liquami-
ne coquuntur, & mittitur eis condimentum. Cum co
ctæ fuerint, super adijcitur his, cum in foco sunt, con-
ditura. Piper tritum: condimentum, mel, liquamen,
amylum: & denuo bulliunt: cum iam bullierunt, sine
liquamine & oleo, elixas & siccas, pipere asperso in-
feres. ALiter. Ofellæ recte friguntur ut pene assæ
reddantur: liquaminis sumis cyathum, aquæ cyathũ,
aceti cyathum, olei cyathum: simul mixtis & immissis
in patellam fictilem, frigis & inferes. ALiter ofellas
in sartagine, abundanti œnogaro: piper asperges &
inferes. ALiter ofellas. Ofellæ prius sale & cumino
infusæ in aqua, recte friguntur.

Assaturæ. CAP. V.

Assatura m assam à furno simplicem sale plurimo
consversam cum melle inferes. ALiter assaturas.
Petroselini scrupulos vj. laseris scrupulos vj. zingi-
beris scrupulos vj. lauri baccas v. condimenti scrupu
los vj. laseris radicis scrupulos vj. origani scrupulos
vj. cy-

vj. cyperi ſcrupulos vj. coſti modice, pyrethri ſcrupulos iij. apij ſeminis ſcrupulos vj. piperis ſcrupulos xij. liquaminis & olei quod ſufficit. ALiter aſſaturas. Myrthæ ſiccæ baccam exenteratam cum cumino, pipere, melle, liquamine, defruto & oleo teres, & ferue‑factum amylas, carnem elixam ſale ſubaſſatam perfundis: piper aſpergis & inferes. ALiter aſſaturas. Piperis ſcrupulos vj. liguſtici ſcrupulos vj. petroſelini ſcrupulos vj. apij ſeminis ſcrupulos vj. anethi ſcrupulos vj. laſeris radicis ſcrupulos vj. aſareos ſcrupulos vj. pyrethri modice, cyperi ſcrupulos vj. carei ſcrupulos vj. cumini ſcrupulos vj. zingiberis ſcrupulos vj. liquaminis heminam, olei acetabulum. Aſſatura in collari. Elixatur & infunditur in fretali piper, condimentum, mel, liquamen, & attorretur in clybano quouſque coquatur. Elixum uero collare, ſi uoles, ſine conditura aſſas, & ſuccum calidum perfundis.

In elixa & copadijs. CAP. VI.

Ius in elixam omnem. Piper, liguſticum, origanum, rutam, ſilphium, cepam ſiccam: uinum, caræ‑num, mel, acetum, olei modicum, perſiccatam & ſabano expreſſam elixã perfundis. Ius in elixam. Piper, petroſelinum, cepullam, caryotam: liquamen, acetũ, olei modicum: perfundis calido iure. Ius in elixam. Teres piper, rutam aridam, fœniculi ſemen, cepam, caryotam: liquamen & oleum. Ius candidum in elixam. Piper, rutam, cepam, nucleos: liquamẽ, uinum, conditum modicum de buccellis maceratis ut deſtringat, oleum: cum coxeris, ius perfundis. Aliter ius candidum in elixam. Piper, careum, liguſticum, thymum, origanum, cepullam, dactylum: mel, acetum, liquamen, oleum. In copadijs ius album. Piper, cuminum, liguſticum, rutæ ſemen, damaſcena, infundis

uinum: œnomeli & aceto temperabis, thymo & origano agitabis. Aliter ius candidum in copadijs. Piper, thymum, cuminum, apij semen, fœniculum, *rutam, baccam myrthæ, uuam passam, mulso temperabis, agitabis ramo satureiæ. Ius in copadijs. Piper, ligusticum, careum, mentham, nardostachyon, foliũ, oui uitellũ, mel, mulsum, acetum, liquamen & oleũ, agitabis satureia & porro, amyla ius. Ius album in copadijs. Piper, ligusticum, cuminũ, apij semen, thymum, nucleos infusos, nuces infusas & purgatas, mel, acetum, liquamen & oleum. Ius in copadijs. Piper, apij semen, careum, satureiam, cnici flores, cepullam, amygdala tosta, caryotam, liquamen, oleum, sinapis modicũ: defruto coloras. Ius in copadijs. Piper, ligusticum, petroselinum, cepullam, amygdala tosta, dactylũ: mel, acetum, liquamẽ, defrutum, oleum.

*aliâs, mentham.

Ius in copadijs. Oua dura incidis, piper, cuminum, petroselinum, porrum coctum, myrthę baccas plusculum, mel, acetum, liquamen, oleum. In elixam, anethatum ius crudum. Piper, anethi semen, mentham siccam, laseris radicem: suffundis acetum, adijcies caryotam: mel, liquamen, sinapis modicum: defruto, oleo temperabis, & hoc in collari porcino. Ius in elixam alecatum. Piper, ligusticum, careum, apij semen, thymum, cepullam, dactylum, alecem colatum: melle & uino temperas: apium uiridem incisum super aspergis, oleum mittis, & inferes.

Ventriculi. CAP. VII.

Ventrem porcinum bene exinanies, aceto & sale, postea aqua lauas, & sic hac impensa imples. Pulpam porcinam tunsam tritam ita ut eneruata commisceas cerebella tria, & oua cruda, cui nucleos infundis, & piper integrum mittis, & hoc iure temperas.

Teres

Teres piper, ligusticum, silphium, anisum, zingiber, rutæ modicum, liquamē optimum & olei modicum, reples aqualicum sic ut laxamentum habeat, ne dissiliat in coctura, surclas, amylas, & in ollam bullientem submittis, leuas, & pungis acu ne crepet: cū ad dimidias coctus fuerit, leuas & ad fumum suspendis, ut coloretur, & denuo eum perlaxabis ut coqui possit dein de liquamine, mero, oleo modico: & cultello aperies, & cum liquamine & ligustico apponis. Ventrem ut tostum facias. In cantabro inuolue, postea in muriam mittis, & sic coques.

Lumbuli & renes. CAP. VIII.

Lumbuli & renes assi ita fiūt. Aperiuntur in duas partes ita ut expansi sint, & aspergitur eis piper tritū, nuclei & coriandrum concisum minutatim factum, & semen fœniculi tritum: deinde lumbuli reuoluuntur assi & consuuntur & inuoluuntur in omento, & sic prędurantur in oleo & liquamine: inde assantur in clibano uel craticula.

aliâs, seclu duntur.

Perna. CAP. IX.

Pernam: ubi eam cum caricis plurimis elixaueris & tribus lauri folijs, detracta cute tessellatim incidis & melle complebis: deinde farinam oleo subactam conteres & ei corium reddis, & cum farina cocta fuerit, eximas furno, & inferes. ALiter. Pernæ cocturam ex aqua cū caricis cocta simpliciter ut solet in lance cum buccellis, caræno uel condito melius. Mustei petasones. Ex musteis petasonem elixas cum bilibri ordei & caricis xxv. cum elixatus fuerit, decarnas, & armillam illius candenti batillo uris & melle cōtingis, uel quod melius est, missum in furnum melle obligas: cū colorauerit, mittis in cacabum passum, piper, fasciculum rutæ, merum, temperas: cum fuerit

temperatum, dimidium in petasonem profundis: & alia parte piperati buccellas musteorum fractas perfundis: cum sorbuerit, quod mustei recusauerint, petasoni refundis. Laridi coctura. Tectum aqua cum multo anetho coques, olei modicum distillabis & modicum salis.

Iocinora siue pulmones. CAP. X.

Iocinora hædina uel agnina sic coques. Aquam mulsam facies, & oua, partem lactis admisces eis ut incisa iocinora sorbeant, coques: & œnogaro, pipere asperso inferes. ALiter in pulmonibus. Ex lacte lauas pulmones & colas quod capere possunt, & infringis oua duo cruda, salis grana pauca, mellis ligulam, & simul cõmisces & imples pulmones: elixas, & concidis: teres piper, suffundis liquamen, passum, merũ, pulmones confringis, & hoc œnogaro perfundis.

Dulcia domestica ex melle. CAP. XI.

Dulcia domestica. Palmulas uel dactylos excepto semine, nuce uel nucleis uel pipere trito infarcies, sale foris contingis, frigis in melle cocto, & inferes. ALiter dulcia. Musteos apios optimos rades & in lacte infundis: cum biberint, in furnum mittis ut arescãt modice, eximes eos calidos, melle perfundis, conpungis ut bibant: piper aspergis, & inferes. ALiter dulcia. Siligineos rasos frangis & buccellas maiores facies, in lacte infundis, frigis in oleo & mel superfundis, & inferes. ALiter dulcia. Mittis mel, merum, passum, rutam, eo mittis nucleos, nuces, alicam elixatam, concisas nuces auellanas tostas adijcies & inferes. Dulcia piperata. Piper, nucleos, mel, rutam & passum teres cum lacte & tractam coques, coagulatum coque cum modicis ouis perfusum, melle aspersum inferes.

ALiter dulcia. Accipies similam, coques in aqua calida

calida ita ut durissimam pultem facias, deinde in patellam expandis, cum refrixerit, cōcidis quasi dulcia, & frigis in oleo optimo, leuas, perfundis mel, piper aspergis, & inferes. Melius feceris si lac pro aqua miseris. Tyropatina. Accipies lac, aduersus quod patinam æstimabis: temperabis lac cum melle quasi ad lactantia, oua quinq; ad sextarium mittis: sed ad heminam, oua tria in lacte dissoluis, ita ut unum corpus facias: in cumana colas & igni lento coques, cum duxerit ad se, piper aspergis & inferes. Oua sphongia ex lacte. Oua quatuor, lactis heminam, olei unciam, in se dissoluis ita ut unum corpus facias: in patellam sub tilem adijcies olei modicū, facies ut bulliat, & adijcies impensam quam parasti, una parte cum fuerit coctū, in disco uertes, melle perfundis: piper aspergis, & inferes. Mel castum. Pipere & liquamine: uel sale, oleo & coriandro.

Bulbi. CAP. XII.

Bulbos oleo, liquamine, aceto inferes, modico cumino adsperso. ALiter. Bulbos tundis, atq; ex aqua coques: deinde oleo frigis. Ius sic facies. Thymum, pulegium, piper, origanum, mel, acetū modice, & si placet, modice liquamen: piper aspergis, & inferes. ALiter. Bulbos elixos in pultarium pressos mittis thymum, origanum, caryotam, mel, acetum, defrutum, liquamen, oleum modice: piper aspergis, & inferes. Varro. Si quid de bulbis dixi in aquam qui Veneris ostium quærunt, deinde, in legitimis nuptijs in cœna ponuntur: sed & cum nucleis pineis, aut cum erucæ succo & pipere. ALiter. Bulbos frictos œnogaro inferes.

alias iniquum.

Fungi faginei uel boleti. CAP. XIII.

Fungi faginei elixi calidi exiccati in garo, pipere

accipiuntur, ita ut piper cum liquamine teras. In fungis fagineis. Piper, caræнum, acetum & oleum. ALiter. Fungi faginei elixi ex sale, oleo, mero, coriandro conciso inferuntur. Boletos fungos caræno, fasciculo coriandri uiridis, ubi ferbuerint, exempto fasciculo, inferes. Boletos aliter coliculos eorum liquamine uel sale asperſos inferunt. Boletos aliter thyrſos eorum conciſos in patellam oua perfundis addito pipere, ligustico modico: melle, liquamine temperabis, oleum modice.

aliàs nouã.

Tubera. CAP. XIIII.

Tubera radis, elixas, sale aspergis, & surculo infiges, subaſſas, & mittes in cacabum oleum, liquamen, caræнum, uinum, piper & mel: cum ferbuerit, amylo obligas: tubera exornas & inferes. ALiter. Tubera elixas & aſperſo sale in ſurculis affigis & ſubaſſas & mittis in cacabum liquamẽ, oleum uiride, caræнum, uinum modice & piper confractum, & mellis modicum & ferueat: cum ferbuerit, amylo obligas, & tubera compunges ut combibant illud: cum bene ferbuerint, exornas, inferes. Si uolueris, eadẽ tubera omento porcino inuolues & aſſabis, & ſic inferes. ALiter tubera. Oenogarum, piper, ligusticum, coriandrum, rutam, liquamen, mel, uinum, oleum modice, calefacies & inferes. ALiter tubera. Piper, mentham, rutam, mel, oleum, uinum modice, calefacies & inferes. ALiter tubera elixa cum porro, deinde ſale, pipere, coriandro conciſo, mero optimo inferes. ALiter tubera. Piper, cuminum, ſilphium, mentham, apium, rutam, mel, acetũ uel uinum, ſalem uel liquamen, & oleum modice.

Colocaſium. CAP. XV.

Io colocaſio. Piper, cuminum, rutam, mel, liquamen,

men, olei modicum: cum ferbuerit, amylo obligas.

Cochleæ. CAP. XVI.

Cochleas lacte pastas. Accipies cochleas, spongizabis: membranam tolles ut possint prodire: adijcies in uas lac & salem uno die: cæteris diebus in lac per se, & omni hora mundabis stercus, cum pastæ fuerint ut non possint se retrahere, ex oleo friges: mittes œnogarum. Similiter & pulte pasci possunt. Cochleas sale puro & oleo assabis: lasere, liquamine, pipere, oleo suffundis. ALiter. Cochleas assas, liquamine, pipere, cumino suffundis assidue. ALiter. Cochleas uiuentes in lac siligineum infundis: ubi pastæ fuerint, coques.

Oua. CAP. XVII.

Oua frixa: œnogaro. Oua elixa: liquamine, oleo, mero: uel ex liquamine, pipere, lasere. In ouis apalis. Piper, ligusticum, nucleos infusos: suffundes mel, acetum: liquamine temperabis.

FINIS.

CAPITA LIBRI OCTAVI.

APICII CAELII TETRAPVS LIBER VIII.

In apro. CAP. I.

APer ita conditur. Spongiatur, & sic aspergitur ei sal, cuminũ tritum: & sic manet. Alia die mittitur in furnum: cum coctus fuerit, perfunditur piper tritum. Condimentum aprinum: mel, liquamen, carænum & passum. ALiter in apro. Aqua marina cum ramulis lauri aprum elixas quousq; madescat, corium ei tolles: cum sale, sinape, aceto inferes. ALiter in apro. Teres piper, ligusticum, origanum, baccas myrthæ exenteratas, coriandrum, cepas: suffundes mel, uinum, liquamen, oleum modice: calefacies, amylo obligas, aprum in furno coctum perfundes. Hoc & in omne genus carnis ferinæ facies. In aprum assum iura feruentia facies sic. Piper, cuminum frictum, apij semen, mentham, thymũ, satureiam, cnici flores, nucleos tostos, amygdala tosta: mel, uinum, liquamen, acetum, oleum modice. Aliter in aprum assum iura feruentia. Piper, ligusticum, apij semen, mentham, thymum, nucleos tostos: uinum, acetum, liquamen, oleum modice. Cum ius simplex bullierit, tunc trituræ globum mittes: & agitas cepa & rutæ fasciculo. Si uolueris pingue ius facere, obligas ius albo ouorum liquido, moues paulatim, aspergis piper tritum, & inferes. Ius in aprum elixum. Piper, ligusticum, cuminum, silphium, origanum, nucleos, caryotam: mel, sinape, acetum, liquamen & oleum. Ius frigidum in aprum elixum. Pi. piper, careum, ligusticum, coriandri semen frictum, anethi semen, apij semen, thymum, origanum, cepullam,

aliàs anethi.

lam, mel, acetum, ſinape, liquamen, oleum. ALiter ius frigidum in aprum elixum. Piper, liguſticum, cuminum, anethi ſemen, thymum, origanum, ſilphium modicum, eruce ſemẽ pluſculum: ſuffundes merum: cõdimenta uiridia modica, cepam, pontica, uel amygdala fricta, dactylum, mel, acetum, merum modicum: coloras defruto: liquamen, oleum. ALiter in apro. Teres piper, liguſticum, origanum, apij ſemen, laſeris radicem, cuminum, fœniculi ſemen, rutam: liquamen, uinum, paſſum: facies ut ferueat, cum ferbuerit, amylo obligas aprum intro foras, & inferes. Perna aprina ita impletur recens. Per articulum pernæ palum mittes ita ut cutem à carne ſepares, ut poſſit condimentum accipere per cornulũ ut uniuerſa impleatur. Teres piper, baccam lauri, rutam: ſi uolueris, laſer adijcies, liquamen optimum, carænum, & olei uiridis guttas. Cum impleta fuerit, conſtringitur illa pars quæ impleta eſt ex lino: & mittitur in zymam, elixatur in aqua marina cum lauri turionibus & anetho.

alias opimum.

In ceruo. CAP. II.

Ius in ceruum. Teres piper, liguſticum, careum, origanum, apij ſemen, laſeris radicem, fœniculi ſemẽ: fricabis: ſuffundes liquamen, uinum, paſſum, oleum modice: cum ferbuerit, amylo obligas, ceruũ coctum intro foras tanges, & inferes. In platycerote, ſimiliter & in omne genus uenationis eadem cõditura uteris. ALiter. Ceruum elixabis & ſubaſſabis: Teres piper, liguſticum, careum, apij ſemen: ſuffundes mel, acetum, liquamen, oleum calefactum: amylo obligas, & carnem perfundes. Ius in ceruo. Piper, liguſticum, cepullam, origanum, nucleos, caryotas: mel, liquamen, ſinape, acetum, oleum. Ceruinæ conditura. Piper, cuminum: condimentum, petroſelinum,

cepam, rutam, mentham: mel, liquamen, passum, carænum & oleum modice: amylo obligas cum iam bullijt. Iura feruentia in ceruo. Piper, ligusticum, petroselinum, cuminum, nucleos tostos aut amygdala: suffundes mel, acetum, uinum, oleum modice, liquamen: & agitabis embamma. In ceruinam assam. Piper, nardostachyum, folium, apij semen, cepam aridam, rutam uiridem: mel, acetum, liquamẽ: adiectas caryotam, uuam passam & oleum. ALiter in ceruum assum iura feruentia. Piper, ligusticum, petroselinum, damascena macerata: uinum, mel, acetum, liquamen, oleum modice: agitabis porro & satureia.

In caprea. CAP. III.

Ius in caprea. Piper, ligusticum, careum, cuminũ, petroselinum, rutæ semen: mel, sinape, acetum, liquamen & oleum. ALiter ius in caprea assa. Piper: condimentum, rutam, cepam: mel, liquamen, passum, oleum modice: amylas cum iam bullijt. ALiter ius in caprea. Piper: condimentum, petroselinum, origanum modicum, rutam: liquamen, mel, passum & olei modicum: amylo obligabis.

In oui fero. CAP. IIII.

Ius in oui fero ferueas. Piper, ligusticum, cuminũ, mentham siccam, thymum, silphium: suffundes uinũ: adijcies damascena macerata: mel, uinum, liquamen, acetum, passum ad colorem, oleum: agitabis fasciculo origani & menthę siccæ. Ius in uenationibus omnibus elixis & assis. Piperis scrupulos viij. rutæ, ligustici, apij seminis, iuniperi, thymi, menthæ aridæ, scrupulos senos, pulegij scrupulos iij. Hæc omnia ad leuissimum puluerem rediges, & in unum commisces, & teres: adijcies in uasculum mel quod satis erit: & his uteris cum oxygaro. Ius frigidum in oui fero. Piper,

per,

per, ligusticum, thymum, cuminum frictum, nucleos tostos: mel, acetũ, liquamen & oleum: piper aspergis.

In bubula siue uitellina. CAP. V.

In uitellina fricta. Piper, ligusticum, apij semen, cuminum, origanum, cepam siccam, uuam passam: mel, acetum, uinum, liquamen, oleum, defrutum. In uitulinam siue bubulam cum porris succidaneis, uel cepis, uel colocasijs: liquamen, piper, laser & olei modicum. In uitulinam elixam. Teres piper, ligusticum, careum, apij semen: suffundes mel, acetum, liquamen, oleum: calefacies, amylo obligas, & carnem perfundes. ALiter in uitulina elixa. Piper, ligusticum, fœniculi semen, origanum, nucleos, caryotam: mel, acetum, liquamen, sinapi & oleum.

In hædo uel agno. CAP. VI.

Copadia hædina siue agnina. Pipere, liquamine, coques cum phaseolis paratarijs: suffundes liquamẽ, piper, laser, cuminum tritum, buccellas panis, oleum modice. ALiter hædinam siue agninam excaldatam. Mittes in cacabum copadia, cepam, coriandrum minutim succides. Teres piper, ligusticum, cuminũ: liquamen, oleum, uinum: coques: exinanies in patina, amylo obligas. ALiter hædinam siue agninam excaldatam. Agnina cruda trituram in mortario accipere debet. Caprina autem cum coquitur, accipit trituram. In hædum siue agnum assum. Hædi cocturam, ubi eum ex liquamine & oleo coxeris incisum, infundes in pipere, lasere, liquamine, oleo modice: & in craticula assabis, eodem iure contingens: piper asperges, & inferes. ALiter hædus siue agnus assus. Piperis semunciam, asareos scrupulos vj. zingiberis modicum, petroselini scrupulos vj. laseris modicum, liquaminis optimi heminam, olei acetabulum. Hæ-

dus siue agnus syringatus. Exossatur diligēter à gula sic ut uter fiat & intestina eius integra exinaniantur, ita ut in caput intestina sufflentur & per nouissimam partem stercus exinanitur, aqua lauantur diligenter, & sic implentur admixto liquamine, & ab humeris consuitur, & mittitur in clybanum: cum coctum fuerit, perfunditur ius bulliens lacte. Piper tritum, liquamen, carẹnum, defrutum modice, sic & oleum etiam: bullienti mittis amylū: uel cete mittitur in retiaculo uel in sportella, & diligenter constringitur, & bullienti zyma cum modico salis submittitur: cum bene illis tres undas bullierit, leuatur, & denuo bullit cum humore supra scripto, bullienti conditura perfunditur.

ALiter hædus siue agnus syringatus. Lactis sextarium unum, mellis uncias quatuor, piperis unciam unam, salis modicum, laseris modicum, dactylos tritos octo, ius in ipsius olei acetabulum, liquaminis acetabulum, mellis acetabulū, uini boni heminam, amylum modice. Hædus siue agnus crudus. Oleo, pipere fricabis, & asperges foris salem purū multo cum coriandri semine: in furnum mittis: assatum inferes. Hædus siue agnus Tarpeianus. Antequam coquatur, ornatus consuitur. Piper, rutam, satureiam, cepam, thymum modicum: & liquamine collues. Hædum macerabis in furno in patella quẹ oleum habeat: cum percoxerit, perfundes in patella impensam: teres satureiam, cepam, rutam, dactylos: liquamen, uinum, carænum, oleum: cum bene duxerit, impensam in disco pones: piper asperges & inferes. Hædus siue agnus pasticus. Mittes in furnum: teres piper, rutam, cepam, satureiam, damascena enucleata, laseris modicum, uinum, liquamen & oleum: uinum feruens colluitur in disco, ex aceto sumitur. Hædus laureatus

ex lacte. Hædum curas, exossas, interanea eius cum coagulo tolles, lauas: adijcies in mortariũ piper, ligusticum, laseris radicẽ, baccas lauri duas, pyrethri modicum, cerebella duo uel tria: hæc omnia teres, suffundes liquamen, temperabis ex sale: super trituram colas lactis sextarios duos, mellis ligulas duas, hac impensa intestina reples, & super hædum componis in zirbo, & omentum charta cooperies, furclas: in cacabum uel patellam compones hædum: adijcies liquamen, oleum, uinum: cum ad mediam cocturam ueneri, teres piper, ligusticũ, & ius de suo sibi suffundes, mittes in defruti modicum, teres, reexinanies in cacabum: cum percoctus fuerit, exornas, amylo obligas & inferes.

In porcello. CAP. VII.

In porcellum farsilem duobus generibus. Curas, à gutture exenteras, à ceruice ornas antequam prædures, subaperies auriculam sub cutem, mittes impensam tarentinam in uesicam bubulam, & fistulam auicularij rostro uesicæ alligabis, per quam exprimes in aurem quantum ceperit, postea charta præcludes & infiblabis: & præparabis aliam impensam, sic facies. Teres piper, ligusticũ, origanum, laseris radicem modicum: suffundes liquamen: adijcies cerebella cocta, oua cruda, alicam coctã, ius de suo sibi, ferueat, cum ferbuerit, auicellas, nucleos, piper integrum: liquamine temperas: imples porcellum, charta obturas & fiblas, mittes in furnum, cum coctus fuerit, exornas, perunges & inferes. ALiter porcellum, salem, cuminum, laser. Porcellus liquaminatus. De porcello eijcis utriculum ita ne aliquæ pulpæ in eo remaneant. Teres piper, ligusticum, origanum: suffundes liquamen: adijcies unum cerebellum, oua duo misces in se,

porcellum præduratum imples, fiblabis, in ſportellæ feruenti ollæ ſubmittis, cocto fiblas tolles, ut ius ex ipſo manare poſſit, pipere aſperſum inferes. In porcellum elixum farſilem. De porcello utriculũ eijcies, præduras. Teres piper, liguſticum, origanum: ſuffundes liquamen: cerebella cocta quod ſatis ſit, ſimiliter oua diſſolues: liquamine temperabis: farcimina cocta integra præcides, ſed ante porcellum præduratum liquamine delauas, deinde imples, infiblas, in ſportella feruenti ollæ ſubmittes, coctum ſpongizas, ſine pipere inferes. Porcellus aſſus tractomelitus. Porcellum curatum à gutture exenteras, ſiccas. Teres piperis unciam, mel, uinum: impones ut ferueat, tractam ſiccatam confringes, & partibus cacabo permiſces: agitabis ſurculo lauri uiridis: tandiu coques donec lenis fiat & impinguet: hac impenſa porcellum imples, ſurclas, obduras charta, in furnum mittes, exornas, & inferes. In porcellum lacte paſtum elixum calidum ſiue frigidum iure crudo Apiciano. Adijcies in mortarium piper, liguſticum, coriandri ſemen, mentham, rutam, fricabis: ſuffundes liquamen: adijcies, mel, uinum, & liquamine porcellum elixum feruentem ſabano mundo ſiccatum profundes & inferes. Porcellus uitellianus. Porcellum ornas quaſi aprum: ſale aſperges: in furno aſſas: adijcies in mortarium piper, liguſticum: ſuffundes liquamen: uino & paſſo temperabis: in cacabo cum oleo puſillum ferueat, & porcellum aſſum iure aſperges ita ut ſub cute ius recipiat.

Porcellus Flaccianus. Porcellum ornas in modum apri, ſale aſperges & in furnũ mittes: dum coquitur, adijcies in mortarium piper, liguſticum, careum, apij ſemen, laſeris radicem, rutam uiridẽ, fricabis: ſuffundes liquamen: uino & paſſo temperabis, in cacabo cũ

oleo,

oleo modicum ferueat, amylo obligas, porcellum co= ctum ab oſſibus tanges: apij ſemen teres ita ut fiat pul uis, aſperges & inferes. Porcellus laureatus. Por= cellum exoſſas quaſi œnogaratum, ornas, præduras, laurum uiridẽ in medio franges, ſatis in furno aſſas: & mittes in mortarium piper, liguſticũ, careum, apij ſemen, laſeris radicem, baccas lauri, fricabis: ſuffun= des liquamen: uino & paſſo temperabis: adijcies in ca cabum olei modicum ut ferueat, obligas, porcellum lauro eximes & ius ab oſſe tanges, & inferes. Porcel lus Frontonianus. Porcellũ exoſſas, præduras, ornas: adijcies in cacabũ liquamen, uinum: obligas faſciculũ porri, anethi: media coctura mittes defrutũ: coctum la uas & ſiccum mittes: piper aſperges, & inferes. Por cellus œnogaratus. Porcellũ prẹduras, ornas: adijcies in cacabum oleum, liquamen, uinũ, aquam: obligas faſciculum porri, coriandri: media coctura colorabis defruto: adijcies in mortarium piper, liguſticum, ca= reum, origanum, apij ſemen, laſeris radicem, fricabis: ſuffundes liquamen, ius de ſuo ſibi: uino & paſſo tem perabis: exinanies in cacabum: facias ut ferueat, cum ferbuerit, amylo obligas: porcellum compoſitum in patina perfundes: piper aſperges, & inferes. Porcel lus celſinianus. Ornas, infundes pipere, ruta, cepa, ſa tureia, ſucco ſuo: & oua infundes per auriculam: & ex pipere, liquamine, uino modico in acetabulũ tem= peras & ſumes. In porcellum aſſum. Teres piper, rutam, ſatureiam, cepam, ouorum coctorum media: liquamen, uinum, oleum, condimentum: bulliat con= ditura: porcellum in boletari perfundes & inferes. In porcellum hortulanum. Porcellus hortulanus ex= oſſatur per gulam in modum utris mittitur in eo pul= lus iſiciatus particulatim conciſus, turdi, ficedulæ, iſi=

cia de pulpa sua, lucanicæ, dactyli exossati, fabriles bulbi, cochleæ exemptæ, maluæ, betæ, porri, apium, coliculi elixi, coriandrum, piper integrū, nuclei: oua quindecim super infunduntur: liquamē, piperatum, oua mittantur tria: & consuitur, & præduratur: in furno assatur. Deinde à dorso scinditur, & iure hoc perfunditur: piper teritur, ruta: liquamen, passum, mel, oleum modicum: cum bullierit, amylum mittitur. Ius frigidum in porcellum elixum ita facies. Teres piper, careum, anethum, origanum modice, nucleos pineos: suffundes acetum, liquamen, carænum, mel, sinape factum: superstillabis oleum: piper asperges & inferes. Porcellum traganum sic facies. Exossas porcellum & aptabis sicut œnogaratum & ad fumum suspendes & appendeas, & quantū appendeas tantum salis in ollam mittes & elixas ut coquatur, & siccum in lance inferes, salso recente. In porcello lactente. Piperis unc. j. uini heminam, olei optimi acetabulum maius, liquaminis minus.

In lepore. CAP. VIII.

In leporem madidum. In aqua præcoquitur modice, deinde componitur in patina ac coquitur oleo in furno, & cum prope sit coctus, ex alio oleo pertangito & de conditura infra scripta: Teres piper, satureiam, cepam, rutam, apij semen: liquamen, laser, uinum & modicum olei: aliquoties uersatur: in ipsa percoquitur conditura. Item alia ad eam impensam. Cum prope tolli debeat, teres piper, dactylum, laser, uuam passam: carænum, liquamen, oleum suffundes, & cum bullierit, piper asperges, & inferes. In leporem farsum. Nucleos integros, amygdala, nuces iuglandes concisas, piperis grana solida, pulpam de ipso lepore & ouis fractis, obligatur de omento porcino in furno.

no. Sic iterum impensam facies. Rutam, piper satis, cepam, satureiam, dactylos: liquamen, carænũ, uel conditum: diu cõbulliat donec spisset, & sic perfunditur: sed lepus in piperato, liquamine & lasere maneat.

Ius album in assum leporem. Piper, ligusticum, cuminum, apij semen, oui duri medium, trituram colligis & facies globũ ex ea. In cacabulo coques liquamen, uinum, oleum, acetum modice, cepullam concisam: postea globum cõdimentorum mittes, & agitabis origano uel satureia: si opus fuerit, amylas. ALiter in leporem. Ex sanguine & iocinore & pulmonibus leporinis minutal. Adijcies in cacabum liquamen & oleum, cocturam: porrum & coriandrum minutatim concides. Iocinora & pulmones in cacabum mittes, cum cocta fuerint, teres piper, cuminum, coriãdrum, laseris radicem, mentham, rutam, pulegium: suffundes acetum: adijcies iocinora leporum & sanguinem: teres, adijcies mel, ius de suo sibi: aceto temperabis. Exinanies in cacabum: pulmones leporum minutatim concisos in eundem cacabum mittes: facies ut ferueat, cum ferbuerit, amylo obligas, piper asperges & inferes. ALiter leporem ex suo iure. Leporem curas, exossas, ornas, mittes in cacabũ: adijcies oleum, liquamen, cocturam, fasciculum porri, coriandrum, anethum: dum coquitur, adijcies in mortariũ piper, ligusticum, cuminum, coriandri semẽ, laseris radicem, cepam aridam, mentham, rutam, apij semen, fricabis: suffundes liquamen: adijcies mel, ius de suo sibi: defruto, aceto temperabis: facies ut ferueat, cum ferbuerit, amylo obligabis: exornas, ius perfundes, piper asperges & inferes. Lepus passenianus. Leporem curas, exossas, extensum ornas, suspendes ad fumum: cum colorauerit, facies ut dimidia coctura coquatur:

lauas: asperges salem: massam œnogaro tanges: adijcies in mortarium piper, ligusticum, fricabis: suffundes liquamen, uinum, & liquamine temperabis, in cacabum adijcies oleum modicũ: facies ut ferueat, cum ferbuerit, amylo obligas: leporem assum à dorso tangis, piper aspergis & inferes. Lepus isiciatus. Eadem coctura condies pulpam, nucleos infusos admisces: omento teges, & charta colliges lacinias & surclas. In leporem farsilem. Leporem curas, ornas, quadratum imponis: adijcies in mortarium piper, ligusticum, origanum: suffundes liquamẽ: adijcies iocinora gallinarũ cocta, cerebella cocta, pulpam cõcisam, oua cruda tria: liquamine tẽperabis: omento teges & charta colliges lacinias, & surclas: lento igni subassas: adijcies in mortariũ piper, ligusticũ, fricabis: suffundes liquamen: uino & liquamine temperabis: facies ut ferueat, cum ferbuerit, amylo obligas: & leporem subassatum perfundes: piper asperges & inferes. ALiter leporem elixũ. Ornas, adijcies in lancem oleum, liquamen, acetum, passum, cepam concides & rutam uiridem, thymũ subcultratũ & sic apponis. Leporis conditura: terit̃ piper, ruta, cepulla & iecur leporis, liquamen, carænum, passum, olei modicum, amylum cum bullijt. In leporem sicco sparsum: & hunc præcondies sicut hædum tarpeianum: antequam coquatur, ornatus suitur: piper, rutam, satureiam, cepam, thymum modicum, liquamine collues: postea in furnum mittes, coques: & impensam talem circumsparges: piperis semunciam, rutam, cepam, satureiam, dactylos iiij. uuam passam: ius, cum coloratur, superfundes in patellam, uinũ, oleum, liquamen, caræ num, frequenter tangitur ut cõdituram suam omnem tollat, postea ex pipere sicco in disco sumitur. ALiter leporem condi-

conditum. Coques ex uino, liquamine, aqua, sinape modicum, anetho, porro cum capillo suo, cum se coxerit, condies: piper, satureiam, cepe rotundum, dactylos, damascena duo: uinum, liquamen, caroenum, oleum modice, stringatur amylo: modicum bulliat: conditur lepus, in patina perfunditur.

Glires. CAP. IX.

Glires isicio porcino: item pulpis ex omni membro glirium tritis cum pipere, nucleis, lasere, liquamine, farcies glires, & sutos in tegula positos mittes in furnum, aut farsos in clibano coques.

FINIS.

CAPITA LIBRI NONI.

APICII CAELII THA-
LASSA LIB. IX.

In locusta & carabro. CAP. I.

IVs in locusta & carabo induta. Cepam pallacanam concisam, piper, ligusticum, careũ, cuminum, caryotam: mel, acetum, uinum, liquamen, oleum, defrutum: hoc ius adÿcito sinapi in elixaturis. Locustas assas sic facies. Aperiuntur locustę ut assolet cum testa sua, & infunditur eis piperatum, coriandratum, & sic in craticula assantur: cum siccauerint, adÿcies eis in craticula quoties siccauerint, quousq; assantur bene, & inferes. In locusta elixa cum cuminato. Teres piper, ligusticum, petroselinum, mentham siccam, cuminum plusculum: mel, acetum, liquamen: si uoles, folium & malobathrum addes. ALiter locusta. Isicia de cauda eius sic facies. Foliũ nardi, uuam prius demes & elixas: deinde pulpam concides, & cum liquamine, pipere & ouis isicia formabis. In locusta elixa. Piper, cuminum, rutam: mel, acetum, liquamen & oleum. ALiter in locusta. Piper, ligusticum, cuminum, mentham, rutam, nucleos: mel, acetum, liquamen & uinum.

In torpedine. CAP. II.

In torpedine. Teritur piper, ruta, cepulla arida: mel, liquamen, passum, uinum modice, olei boni guttas: cum bullire cœperit, amylo obligas. In torpedine elixa. Piper, ligusticum, petroselinum, mentham, origanum, oui medium, mel, liquamen, passum, uinum, oleum. Si uoles, adde sinape, acetũ. Si calidum uolueris, uuam passam addes.

In loligine. CAP. III.

In loligine in patina. Teres piper, rutam: mel modicum,

dicum,

dicum, liquamen, carænum, olei guttas. In loligine farsili. Piper, ligusticum, coriandrum, apij semen, oui uitellum, mel, acetum, liquamen, uinum, oleum & obligabis.

In sepijs. CAP. IIII.

In sepia farsili. Piper, ligusticum, apij semen, careum: mel, liquamen, uinum, condimenta coctiua, calefacies, & sic aperies sepiam, & perfundes. Sic farcies eam sepiam coctam, cerebella elixa eneruata teres cũ pipere, cui commisces oua cruda quod satis erit, piper integrum, isicia minuta, & sic consues, & in bullientem ollam mittes ita ut coire impensa possit, sepias elixas amylo in frigidam mittes cũ pipere, lasere, liquamine, nucleis, ouis, & condies ut uoles. ALiter sepias. Piper, ligusticum, cuminum, coriandrum uiridem, mentham aridam, oui uitellum, mel, liquamen, uinum, acetum & oleum modicum, & ubi bullierit, amylo obligas.

In polypo. CAP. V.

In polypo. Pipere, liquamine, lasere inferes.

In ostreis. CAP. VI.

In ostreis. Piper, ligusticum, oui uitellum, acetum, liquamen, oleum & uinum: si uolueris & mel addes.

In omne genus conchyliorum. CAP. VII.

In omne genus conchyliorum. Piper, ligusticum, petroselinum, mentham siccam, cuminum pluscuIum: mel, liquamen: si uoles folium & malobatrum addes.

In echino. CAP. VIII.

In echino. Accipies pultarium nouum, oleum modicum, liquamẽ, uinum dulce, piper minutum, facies ut ferueat, cum ferbuerit in singulos echinos mittes: agitabis: iterum bulliat: cum coxeris, piper asperges

& inferes. ALiter in echino. Piper, costum modice, mentham siccam, mulsum, liquamen, spicam indicam & folium. ALiter echinum. Totum mittes in aqua calida, coques, leuas, in patella compones: addes folium, piper, mel, liquamen, olei modice, oua, & sic obligas: in thermospodio coques: piper asperges et inferes. In echino salso. Echinum salsum cum liquamine optimo, caræno, pipere temperabis & appones.

ALiter echinus salsus. Liquamen optimum admisces, & quasi recentes apparebunt, ita ut à balneo sumi possint.

In merulis CAP. IX.

In merulis. Liquamen, porrum concisum, cuminum, satureiam, passum, uinum mixtum facies aquatius & ibi merulos coques.

In sarda & cordula. CAP. X.

In sardis. Sardam farsilem sic facere oportet. Sarda exossatur: & teritur pulegium, cuminum, piperis grana, mentha, nuces, mel: impletur & consuitur: inuoluitur in charta, & sic supra uaporem ignis in operculo componitur: conditur ex oleo, caræno, alece. Sarda ita fit. Coquitur sarda, & exossatur, teritur piper cum ligustico, thymo, origano, ruta, caryota, melle, & in uasculo ouis incisis ornatur: impensa, uinum modice, acetum, defrutum & oleum uiride. Ius in sarda. Piper, origanum, mentham, cepam, aceti modicum, & oleum. Ius in sarda. Piper, ligusticum, mentham aridam, cepam coctam, mel, acetum, oleum, perfundes: asperges ouis duris concisis. Ius in cordula assa. Piper, ligusticum, apij semen, mentham, rutam, caryotam: mel, acètum, uinum & oleum. Conuenit & in sarda.

In mugile. CAP. XI.

Ius

Ius in mugile salso. Piper, ligusticum, cuminum, cepa, mentha, ruta, saluia, caryota: mel, acetum, sinape & oleum. ALiter ius in mugile salso. Piper, origanum, eruca, mentha, ruta, saluia, caryota: mel, oleum, acetum & sinape.

In siluro, in pelamide & in thynno salsis. CAP. XII.

Piper, ligusticum, cuminum, cepam, mentham, rutam, saluiam, caryotam: mel, acetum, sinape & oleum.

In mullo. CAP. XIII.

Ius in mullo taricho. Piper, rutam, cepam, dactylum, sinapi trito commisces echino oleo & sic perfundes. Piscem frictum uel assatum salsum in salso. Iecur coques, teres, & mittes piper aut liquamen aut salem, addes oleum, iecur leporis aut hædi aut agni aut pulli: & si uolueris in formella piscem formabis, oleum uiride supra adijcies. Aliter uice salsi. Cuminum, piper, liquamen teres & passum modice uel caræni, & nuces tritas plurimas misces & simul conteres & salsa redde, liquamen fundes, oleum modice superstillabis, & inferes. ALiter salsum in salso. Cuminum tantum quantum quinque digitis tollis, piperis ad dimidium eius & unam spicam allij purgatam, teres, liquamen superfundes, oleum modice superstillabis. Hoc egrum stomachum ualde reficit & digestionem facit.

Emphractum baianum. CAP. XIIII.

Emphractum baianum. Ostreas minutas, sphondylos, urticas in cacabum mittes nucleos tostos concisos, rutam, apium, piper, coriandrum, cuminum, passum, liquamen, carænum, oleum.

FINIS.

CAPITA LIBRI DECIMI.

APICII CAELII HALIEVS LIBER X.

In piscibus diuersis & uarijs. CAP. I.

IVs diabotanωn in pisce frixo. Piscem quemlibet curas, salias, friges: teres piper, cuminum, coriandri semen, laseris radicem, origanum, rutam fricabis: suffundes acetum: adijcies caryotam, mel, defrutum, oleum: liquamine temperabis: refundes in cacabum, facias ut ferueat, cum ferbuerit, piscem frictũ perfundes, piper asperges & inferes. Ius in pisce elixo. Piper, ligusticum, cuminum, cepullam, origanum, nucleos, caryotam: mel, acetum, liquamen, sinapi, oleum modice, ius calidum, si uelis, uuam passam. ALiter in pisce elixo. Teres piper, ligusticum, coriandrum uiridem, satureiam,

reiam, cepam, ouorum uitella cocta, passum, acetum, oleum & liquamen. Ius in pisce elixo. Piscem curabis diligenter, mittes in mortarium salem, coriandri semen, conteres bene, uolues eum, adijcies in patinã, cooperies, gipsabis, coques in furno: cum coctus fuerit, tolles: aceto acerrimo asperges, & inferes. ALiter ius in pisce elixo. Cum curaueris piscem, adijcies in sartaginem coriandri semen, aquam, anethum uiride & ipsum piscem: cum coctus fuerit, asperges aceto & inferes. Ius Alexandrinum in pisce asso. Piper, cepam siccam, ligusticum, cuminum, origanum, apij semen, pruna damascena enucleata, mittis acetum, liquamen, defrutum, oleum & coques. ALiter ius Alexandrinum in pisce asso. Piper, ligusticum, coriandrum uiridem, uuam passam enucleatam: uinũ, passum, liquamẽ, oleum & coques. ALiter ius Alexandrinum in pisce asso. Piper, ligusticum, coriandrum uiridem, cepam, damascena enucleata: passum, liquamen, oleum, acetum & coques.

In Congro. CAP. II.

Ius in congro asso. Piper, ligusticum, cuminum frictum, origanum, cepam siccam, ouorum uitella cocta: uinum, mulsum, acetum, liquamen, defrutum & coques.

In cornuta. CAP. III.

Ius in cornutam. Piper, ligusticum, origanum, cepam, uuam passam enucleatam: uinum, mel, acetum, liquamen, oleum & coques.

In mullo. CAP. IIII.

Ius in mullos assos. Piper, ligusticum, rutam, nucleos: mel, acetum, uinum, liquamen, oleum modice: calefacies & perfundes. ALiter ius in mullos assos. Rutam, mentham, coriandrum, fœniculum, omnia

uiridia: piper, ligusticum: mel, liquamen, & oleum modice.

In pelamide. CAP. V.

Ius in pelamide assa. Piper, ligusticum, origanum, coriandrum uiridem, cepam, uuam passam enucleatam: passum, acetum, liquamen, defrutum, oleum & coques. Hoc ius conuenit etiam in elixa: si uis, & mel addes.

In perca. CAP. VI.

Ius in percam. Piper, ligusticum, cuminum frictum, cepam, pruna damascena enucleata: uinum, mulsum, acetum, oleum, defrutum & coques.

In Rubellione. CAP. VII.

Ius in pisce rubellione. Piper, ligusticum, careum, serpillum, apij semen, cepam siccam: uinum, passum, acetum, liquamen, oleum: amylo obligas.

In murena. CAP. VIII.

Ius in murena assa. Piper, ligusticum, satureiam, crocum magnum, cepam, pruna damascena enucleata: uinũ, mulsum, acetum, liquamẽ, defrutum, oleum & coques. ALiter ius in murena assa. Piper, ligusticum, pruna damascena: uinum, mulsum, acetum, liquamen, defrutum, oleum & coques. ALiter ius in murena assa. Piper, ligusticum, nepetam montanam, coriandri semẽ, cepam, nucleos pineos: mel, acetum, liquamen, oleum & coques. ALiter ius in murena elixa. Piper, ligusticum, anethum, apij semen, rhun Syriacum, caryotam: mel, acetum, liquamẽ, oleum, sinape, defrutum. ALiter ius in murena elixa. Piper, ligusticum, careum, apij semen, coriandrũ, mentham aridam, nucleos pineos, rutam: mel, acetum, uinũ, liquamen, oleum modice, calefacies & amylo obligas.

Ius in murena elixa. Piper, ligusticum, careum, cu

minum,

minum, nucleos, caryotam, ſinape, mel, acetum, liquamen, oleum, defrutum. Ius in piſce elixo. Piper, liguſticum, petroſelinum, origanum, cepam aridam: mel, acetum, liquamen, uinum, oleum modice: cum bullierit, amylo obligas, & in lance inferes.

In lacertos. CAP. IX.

Ius in lacertos elixos. Piper, liguſticum, cuminum, rutam uiridem, cepam: mel, acetum, liquamen, oleum modice: cum bullierit, amylo obligas. Ius in piſce aſſo. Piper, liguſticũ, thymum, coriandrum uiridem: mel, acetum, liquamen, uinum, oleum, defrutum: calefacies, & agitabis rutæ ſurculo, & obligabis amylo.

In thynno. CAP. X.

Ius in thynno. Piper, cuminum, thymum, coriandrum, cepam, uuam paſſam: acetum, mel, uinum, liquamen, oleum: calefacies, amylo obligabis. Ius in thynno elixo. Piper, liguſticum, thymum, condimenta moretaria, cepam, caryotam, mel, acetum, liquamen, & oleum, & ſinape.

In dentice. CAP. XI.

Ius in dentice aſſo. Piper, liguſticum, coriandrum, mentham, rutam aridam, malum cydonium coctum: mel, uinum, liquamen, oleum: calefacies, amylo obligabis. In dentice elixo. Piper, anethum, cuminum, thymum, mentham, rutam uiridem: mel, acetum, liquamen, uinum, oleum modice: calefacies & amylo obligabis.

In aurata. CAP. XII.

Ius in piſce aurata. Piper, liguſticum, careum, origanum, rutæ baccam, mentham, myrthæ baccam, oui uitellum: mel, acetum, oleum, uinum, liquamen: calefacies & ſic uteris. Ius in piſce aurata aſſa. Piper, coriandrũ, mentham aridam, apij ſemen, cepam,

uuam passam: mel, acetum, uinũ, liquamen & oleum.

In scorpione. CAP. XIII.

Ius in scorpione elixo. Piper, careum, petroselinũ, caryotam: mel, acetum, liquamen, sinape, oleum, defrutum. In pisce œnogarum. Teres piper, rutam, mel commisces, passum, liquamen, carænum, & igni mollissimo calefacies. In pisce œnogarum ut supra facies: cum bullierit, amylo obligabis.

In anguilla. CAP. XIIII.

Ius in anguilla. Piper, ligusticum, apij semen, anethum, rhun Syriacum, caryotam: mel, acetum, liquamen, oleum, sinape & defrutum. Ius in anguillam. Piper, ligusticum, rhun Syriacum, mentham siccam, rutæ baccas, ouorum uitella cocta: mulsum, acetum, liquamen, oleum: coques.

FINIS.

ANNOTATIONES IN PRIMVM LIBRVM APICII CAELII

Gabriele Humelbergio Medico authore.

EPIMELES, *id est, ἐπιμελὴς, accuratus & diligens. Quo nomine inscriptus est ab Apicio nostro liber hic primus à cura & diligentia quæ ἐπιμελεία est, eo quod diligenter & accurate descripta comprehendat uaria conditorum & condimentorum ad opsonia condienda genera, & quo pacto uel in alienos menses condiri & seruari poßint fructus, olera & conditanea alia quàm plurima, multarumq; aliarum ad culinam & mensarum lautitiam, epularumq; magnificentiam, necnon alios necessarios salubresq; ad usus spectantium rerum præparamenta.*

IN CAPVT I.

Conditum.) *A condiendo, hoc est, sapidium faciendo & delicatius cibaria concinnando & præparando dictum est conditū, media syllaba producta, item condimentū, conditura & conditaneum. Quorum conditū dicitur uini seu potionis genus aromatis et alijs odoriferis fragrantibusq; rebus uarijs concinnatum, elegans & suaue. Condimentum uero est quod ad condienda opsonia fit: quod si per se sit, Græca sed usurpata à Latinis uoce, embamma dicitur, à uerbo ἐμβάπτειν, quod intingere est: Latini eadem ratione à tingendis in ijs dapibus intinctus uocant. Conditura est ipsa condimenti cum aromatis & alijs intrimentis elegans & delicata factura & opus. At conditaneum dicitur quod condiri potest, uel condi, si à cōdendo, id est, reponendo & seruando dicitur, sicuti conditum media breui quod repositum est & seruatum.*

Paradoxum.) *id est, παράδοξον, præter opinionem & hominum existimationem, quasi admirandum, præstans, utile & commodum. Concinnata est autem dictio à παρὰ quod est præter, & δόξα opinio siue existimatio. Vnde quod admiratione dignum est & hominum opinionem superat, paradoxum dicitur.*

Partes xv.) *Pondo lib. 15. quæ iuxta Aphricanū, faciunt congium, qui continet sextarios 6. Sextarius uero unus heminas duas, quæ continent acetabula 4. cyathos uero 12.*

Decoquas.) Decoquo compositum est à coquo, & modo eiusdem cum ipso significationis, unde & cocta & decocta dicitur aqua. Martialis, Vimine clausa leui niueæ custodia coctæ. Plinius lib. 30. ca. 3. Neronis principis inuentum est decoquere aquam, uitroq; demissam in niues, refrigerare: ita uoluptas frigoris contingit uitijs niuis. Omnem utiq; decoctam utiliorem esse conuenit. Item calefactam magis refrigerari subtilißimo inuento. Vitiosæ aquæ remedium est, si decoquatur ad dimidias partes. Modo patrimonium ac substantiam omnem consumo significans, tractum ab ijs qui omnia gulæ dedunt: unde et decoctores dicti sunt, qui patrimonio absumpto ad inopiam sunt redacti, quemadmodum euenit Crasso dicto diuiti, cuius Valerius Maximus meminit lib. 6. hijs uerbis: Quid Crasso? nōne pecuniæ magnitudo locupletis nomen dedit? sed eidem postea inopia turpem decoctoris superlationem immisit. Siquidem bona eius à creditoribus, quia solidum præstare non poterat, uenierunt. Itaq; amara suggillatione nō caruit, cum egens ambularet, diues ab occurrentibus salutabatur.

Vini rore.) hoc est, uino roris modo inspersо.

In se redit.) hoc est, ad pristinam formam non ebullientem reuertitur, & feruere ac ebullire cessat, feruorq; sedatur.

Postridie.) id est, die sequente post remotionem à foco. Postridie enim est quasi cras, non tamen præsentis diei, sed alterius cuiusdam futuri.

Cum piperis uncijs.) Lege, Tum addes piperis uncias. Inter aromata quibus in condimentis utimur, est uel piper ipsum, quod notius ipsa coquina, ut Macer ait, quàm medicina facit. De cuius usu lib. 12. Plinius sic scribit: Vsum eius adeo placuisse mirum est. In alijs quippe suauitas cepit, in alijs species inuitauit. Huic nec pomi nec baccæ commendatio est aliqua. Sola placere amaritudine, & hanc in Indos peti. Quis ille qui primus cibis experiri uoluit? aut cui in appetenda auiditate esurire non fuit satius? Vtcunq; syluestre gentibus suis est, & tamen pondere emitur ut aurum uel argentū. Natura illi & uis est calefaciens & desiccans, ut lib. 2. tradit Dioscorides. Vrinam cit. Concoctiones adiuuat. Somnum & appetentiam cibi conciliat: utunturq; ob id eo ad intinctus. Eius tamen usus hyeme quàm æstate aptior. Cæterum quantum ad pondus attinet, quatuor unciæ tertia pars sunt libræ, Libra enim 12. continet uncias.

Mastiches.) Mastiche lentisci arboris resina est, quæ & resina lentiscina appellatur. Laudatißima Chia candida, crassa, friabilis & odorata. Potu contra sanguinis exscreationes & diutinas tusses utilißima. Stomacho

accommo-

accommodata est, & commanducata oris halitum commendat, ceu libro primo tradit Dioscorides.

Scrupulos tres.) hoc est, drachmam unam, quæ tribus scrupulis constituitur & octaua pars est unciæ.

Folij.) scilicet nardi. Nam eo quod antiquis simpliciter folium etiam dicebatur, sub proprio malabathri nomine in sequentibus utitur Apicius. Est autem Nardus, ceu lib. 12. tradit Plinius, frutex graui & crassa radice, sed breui ac nigra fragiliq;, quamuis pingui, situm redolente ut ciperi, aspero sapore, folio paruo densoq;. Cacumina in aristas se spargũt: ideo gemina dote nardi spicas ac folia celebrant. Est autem duum generum nardus: Indica & Syriaca. Vis omnibus & natura, ut tradit Dioscorides, calefaciens atq; desiccans & urinam ciens. Prodest stomachi erosionibus & inflationibus, iocinorosis, ictericis & nephriticis: misceturq; antidotis.

Croci.) Crocus quem Arabes & Germani zafran uocant, non paruæ inter aromata æstimationis est, ut qui eorum ac condimentorum uirtutes, nunc colore, nunc sapore iucundo adauget. Adulteratur nihil æque. Probatio synceri, ut Plinius docet lib. 21. quod imposita manu crepat ueluti fragile: humidum enim, quod euenit adulteratione, cedit. Altera probatio, si manu prolata ad ora leniter faciem oculosq; mordeat. Optimum quod pinguissimum & breuibus capillis. Peßimum uero quod situm redolet. Crocũ cum melle non soluitur, nulloq; dulci: facillime autem uino aut aqua. Vtilißimum in medicina. Adseruatur cornea pyxide. Virtus illi calida & desiccans. Moderatus eius usus stomacho, pectori, renibus, iecori, pulmoni, uesicæ utilis. Qui crocum prius biberint, crapulam non sentient. Ebrietati eo resistunt. Coronæ quoq; ex eo mulcent ebrietatem. Somnum facit. Caput leniter mouet. Venerem stimulat. Et quod Dioscorides ait, amabilem coloris bonitatem facit. Aliqui letalem dixerunt, si trium drachmarum pondere bibendus detur crocus.

Dragmæ singulæ.) Legendum, drachmas singulas, id est, cuiusq; drachmam unam. Drachma inquam, non dragma, ut scilicet ponderis nomen sit, non mensuræ qua fasciculum siue manipulum designat. Est enim drachma pondus & octaua pars unciæ, pendens scrupulos tres. Dragma uero longe aliud. Nam ut Hesychius in lexico tradit, Δράγμα, id est dragma, est ὅρ περιλαμβάνει τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ ὁ θερίζωρ, hoc est, quantum sinistra manu comprehendit messor. Celsus Manipulum uocat, qui manu comprehendi potest.

Dactylorum ossibus torridis.) Lege, *Dactylorum oßibus torridorum, hoc est, palmularum & palmæ arboris pomorum quæ in oßibus aruerunt.* De quibus Plinius *naturalis historiæ lib. 13. ca. 4. sic scribit: Suum genus è sicciore turba dactylis prælonga gracilitate curuatis interim. Nam quos ex hijs deorum honori dicamus, chydeos appellauit Iudæa, gens contumelia numinum insignis.* In totum arentes Thebaides atq; Arabicæ, macro corpore exiles, & aßiduo uapore torrentes, crustam uerius quàm cutem obducunt. *In ipsa quidem* Aetiopia *friatur hæc, tanta est siccitas, & farinæ modo spissatur in panem. Gignutur autem in frutice ramis cubitalibus, folio latiore, pomo rotũdo sed maiore quàm mali amplitudine, cycas uocant. Triennio maturescunt. Semperq; frutici pomum est subnascente alio. Thebaidis fructus extemplo in cados cõditur, cum sui ardoris anima (ni ita fiat) celeriter expiret, marcescitq; non retostus furnis. Hactenus ille.*

De suo modo ac numero.) *hoc est, quantum satis est pro sui imbibitione & mollificatione.*

Carbones.) *scilicet uiuos non mortuos, hoc est prunas, quæ proprie ignitæ sunt & quibus extinctis fiunt carbones, & ex hijs rursus prunæ ignitæ, unde & uiuæ dicuntur: carbones uero quia extincti & non ardentes, mortui: unde* Marcellus *medicus lib. de medicamentis, carbones mortuos uocat extinctos, ignitos uero uiuos.*

Perfecto.) *parato & confecto.*

Duo milia.) *hoc est, quantum satis est pro completa consequenda coctura. Accipit enim numerum certum & finitum pro incerto & infinito.*

IN CAPVT II.

MElizomum, *id est,* μελιζωμὸν, *ius mellitum & ex despumati mellis mixtura confectum conditum: à* μέλι *quod mel est, &* ζωμὸς *ius. Mel multis accommodum est condimentis, plurimisq; materiam subministrat conditis, & multis ægritudinibus medetur, frigidis ac humidis corporibus conueniens, calorificæ nanq; & siccantis naturæ est. De hoc* Hippocrates *in libro de morbis qui extra, sic pronunciat:* Mel cum cæteris *sumptum nutrit, coloremq; bonum efficit: solum uero potius emaciat quàm reficiat, lotium enim cit, supraq; modum purgat. Eius quoq; ea natura est, ceu* Plinius *lib. 22. tradit, ut putrescere corpora nõ sinat iucundo sapore atq; non aspero, alia quàm salis natura. Faucibus, tonsillis, anginæ, omnibusq; oris desiderijs utilißimũ, arescentiq; in febribus linguæ. Iam uero peripneumonicis,*

monicis, pleureticis decoctum. Vsusq; despumati semper aptior, stomachum tamen inflat, bilem auget, fastidium creat: minus tamen crudo.

Viatorum.) id est, iter facientium & peregre proficiscentium, perq; uiam peregrinantium. Viatores dicti sunt à uia, quod sæpe ex agris magistratuum iussu uocarent homines, frequensq; eorum uia esset ab agris ad urbem. Columella in præfatione librorũ de re rustica: Nundinarum etiam conuentus manifestum est propterea usurpatos, ut Nonis tantummodo diebus urbanæ res agerentur, reliquis administrarentur rusticæ. Illis enim temporibus proceres ciuitatis in agris morabantur, & cum consiliũ publicum desiderabatur, à uillis accersebantur in senatũ. Ex quo qui eos euocabant, uiatores nominati sunt. Egregij principio, mox uile hominum genus, uti ex Plinio nat. hist. lib. 18. ca. 3. quasi ad finem colligitur, ubi ait: Cincinnato uiator attulit dictaturam, & quidem (ut tradit Norbanus) nudo, plenoq; pulueris etiam ore. Cui uiator, uela corpus, inquit, ut proferam senatus populiq; Romani mandata. Tales tum etiam uiatores erant, quibus idipsum nomen inditum est, subinde ex agris senatũ ducesq; accersentibus. At nunc eadem illa uincti pedes, damnatæ manus, inscripti uultus exercent.

Perpetuum.) hoc est, perenne, diuturnum & solidum, quod semper durat & permanet integrum & incorruptum.

melle despumato.) cuius usus semper utilior est. Crudum enim omne inflat, aluum & tussim proritat, ob quam causam despumato uti oportet, authore Dioscoride.

Cupellam.) Cupella uasculum est, à cupa per diminutionem sic dictum. Cupa uero inter potoria uasa numerabatur, nomine à cauponibus qui in poculis eo utebantur, adepto.

Conditi loco.) Conditum simpliciter prolatum, est uinum aromatis & alijs odoriferis confectum. Cuiusmodi quoddam Actuarius etiam facere docet in libro de medicamentorum compositione in hunc modum. Accipito gariophyllorum sextulas 8. muscatæ nucis sextulas 6. cinamomi sextulas 40. zingiberis sextulas 24. galangæ sextulas 6. piperis longi sextulas 15. piperis nigri sextulas 15. floris roris marini sextulas 10. folij indici sextulas 12. spicæ sextulas 9. croci sextulas 4. baccarum lauri sextulas 4. Hæc trita, in uini boni & odorati mensuras quatuor conijcito, & mellis mensuram unam addito.

Momentum.) Momentum proprie exiguam quandam mutationem & penè indiuisibilem significat, quod Græci ἄτομον, id est, atomon

uocant. Varro, Momento temporis uterq; discessit. Hinc quodcunq; minimum potest momentum appellari. Plinius, comicialibus morbis œsypũ cum myrrhæ momento prodest. Et in hoc significatu sæpius accipitur ab Apicio nostro.

Suaserit.) id est, commodum & utile fuerit.

Mittas.) id est, permittas & sinas.

Exitum solutiorem.) hoc est, effusionem & exemptionem effluxumq; paratiorem, faciliorem q;.

IN CAPVT III.

ABsinthium Romanum.) Lege, Absinthiatum Romanum, hoc est, conditum siue uinum absinthite, quod & quale ex absinthio Romæ aliquando fiebat. Cui haud multum dißimilem (nisi quod paucis adiectis & pondere uariat) confectionem tradit Marcellus medicus libri de medicamentis empericis capite 30. in hunc modum. Confectio absinthiati ad cochleram & phlegmata proijcienda & ad uentrem laxandum sic. Nardostachios scrupulos 6. schœnanthus scrupulos 2. costi scrupulos 8. mastiches personatæ scrupulos 4. absinthij herbæ scrupulum 1. croci scrupulos 2. folij scrupulos 6. uini ueteris Italicos sextarios 5. mellis optimi sextarium unum & semis. Sed talibus operosioribus absinthiatorum confectionibus relictis, simpliciores conditu ras aliquot in domesticæ rei usum & cõmodum copiosius adscribere ex alijs haud abs re fuerit. Itaq; inter alios operosiores difficiliusq; parabiles talem etiam paratiorem conficiendi modum refert Dioscorides lib. 5. ubi ait: Quidam absinthij pondo tusum & in raro linteolo colligatum in musti cadum conijciunt: duobusq; mensibus madere in eo dimittunt. Est & Columellæ sua conditura lib. 12. his uerbis ab eo descripta: Vinum absinthite sic condire oportet. Pontici absinthij pondo libram cum musti sextarijs 4. decoque usq; ad quartas, reliquum quod erit, id frigidum adde in musti aminei urnam. Nec silentio præterijt absinthite uinum in octobri mense Palladius, ubi ait: Item uinum, quod salutare contra pestilentiam sit, & stomacho prosit, fieri hoc genere fertur. In optimi musti metreta una antequam ferueat, tunsi absinthij octo uncias linteo inuolutas demittis, & exactis 40. diebus, curabis auferre. Id uinum refundis lagenis minoribus, & uteris. Est item Plinio suus conficiendi modus, quem lib. 14. docet in hunc modum. Vinum absinthite fit in 40. sextarijs musti absinthij pontici libra decocta ad tertias partes. Vel scopis absinthij in uinum additis. Et hic ultimus modus & simplicißimus nunc in multo & communi usu est. Vtile est

autem uinum absinthite, authore Dioscoride, stomacho & ægre concoquentibus, iocinorosis itidem, nephriticis, ictericis, cibum auersantibus stomachis, præcordiorum tensioni. Inflationibus, rotundis lumbricis alui & suppreßis mensibus. Hæc ideo longius prosequi libuit, quoniam herba est non solum nota & facillima, sed etiam inter paucas utilißima. Et quod Plinius lib. 27. scribit, sacris populi Romani celebrata peculiariter. Siquidem Latinarum ferijs quadrigæ certant in capitolio, uictorq; absinthium bibit. Credo sanitatem præmio dari honorifice arbitratis maioribus. Stomachum corroborat: & ob hoc sapor eius in uina transfertur. Succus expreßi inutilis stomacho capitiq; est: decoctus uero saluberrimus: nanq; adstringit stomachum, bilemq; detrahit. Aluum emollit & in dolore sanat. Ventris animalia pellit. Nauseas maris arcet in nauigationibus potum. Somnos allicit olfactum, aut inscio sub capite positum. Vestibus insertum tineas arcet. Culices ex oleo perunctis abigit, & fumo si uratur. Atramentum librarium ex diluto eius temperatum literas à musculis tuetur.

Absinthium Romanum sic facies. Conditi camerini præceptis utiq; pro absinthio cessante in cuius uicem.) Donec synceriorem nactus fuero scripturam, ita legam: Absinthiatum Romanum sic facies, condito camerino, recepto utiq; pro absinthiato, cessante, in cuius uicem &c.

Pontici.) Absinthij plura sunt genera. Santonicum à Galliæ ciuitate appellatum. Marinum, quod quidam scriphium uocant, probatißimum in Taphosiri Aegypti, cuius ramum Isiaci præferre solenne habent. Est & Ponticum à regione ponti ubi nascitur cognominatum, quod bonitate omne aliud antecedit, neq; aliquod præstatius. Quo pecora in ponto pinguescunt, ideoq; sine felle reperiuntur, authore Theophrasto & Plinio. De hoc therapeutices methodi lib. 11. ait Galenus. Ponticum ad iocinoris & uentris phlegmonas eligi præstat. Porrò id est tum folio tum uero flore longe quàm cætera absinthia minore. Odorq; huic non modo non insuauis, uerumetiam aromatum quid præferens. Reliquis omnibus plane est fœdus: quare hæc fugere conueniet, uti autem semper pontico.

Terendiq;.) Lego, tunsiq;.

Vnciam Thebaicam.) quali Thebis uti solebant. Varijs siquidem locis antiquitus, sicuti & nostro æuo fit, uarijs uti solebant ponderibus & mensuris ueteres.

Folij iij.) Legendum, Folij scrupulos 3.

Costi.) *De costo lib. 12. agens Plinius ait: Radix & folium Indis est maximo precio. Radix costi gustu feruẽs, odore eximio, frutice aliàs inutili. Duo eius genera. Nigrum, & quod melius candicans, qualis est maxime Arabicus: quem & Dioscorides primæ bonitatis facit, candidum, leuem, plurimo & eximio odore. Deinde Indicum, nigrum: & post hunc Syriacum, ponderosum, colore buxi, odore sensum tentantem. Omnium autem probatißimum recentem, candicantem, undiq; plenum & densum: qui itidem arida soliditate sit, nullas teredines senserit, nec uiroso odore sentiatur, feruido & erodente gustu. Natura illi calefaciens. Vrinam cit, & menses ducit. Bibitur utiliter contra pectoris dolores, conuulsa & inflationes. Et, ut Paulus Aegineta lib. 7. tradit, lumbricos perimit. Habet uero & flatuosi spiritus nonnihil, qua de causa in uenerem stimulat, cum œnomelite potum.*

Eiusmodi.) *Lego quemadmodum in Marcelli confectione, ueteris.*

Carbones.) *scilicet, ut decoquatur.*

Amaritudo.) *scilicet, absinthij: à qua & grauitate eius barypicron à nonnullis uocatum est, authore Dioscoride.*

IN CAPVT IIII.

ROsatum.) *Conditum siue uinum rosaceum & è rosis confectũ: quod Apicio similiter Rosatum in Maio mense uocat Palladius, ubi quo pacto sua ætate conficeretur, docet his uerbis: Quinq; libras rosæ pridie purgatæ, in uini ueteris 10. sextarios mergis, et post 30. dies 10. despumati mellis libras adijcies, & uteris. Plinius uero lib. 14. ca. 16. uinũ rosaceum sic condiri tradit. Inter flores & rosæ folijs tusis, in linteoloq; in mustum collatis cum ponduſculo ut sidat 40. pondere denariorũ in sextarios uicenos musti, nec ante tres menses uase aperto. Cui conditurae non multum absimilis aut diuersa est, quam lib. 5. docet Dioscorides in hunc modum. Conficitur rosaceum uinum hoc modo. Siccas tusasq; rosas libræ pondo in linteolo colligatas in musti sextarios octo demittito, & post tertiũ mensem per colum traiectum diffundito & reponito uinum. Concoctiones à cibo potum adiuuat hoc uinum. Bibitur utiliter contra stomachi dolores, ubi febris absit, lubricam aluum & intestinorum tormina.*

Albo sublato.) *hoc est, foliorum ungue & parte ima alba forfice prius desecta & abiecta, ut quæ à sole non cocta, inutilis existat. Siquidem constat in rosis plures & diuersas esse partes, suis antiquis indicatas nominibus, utpote, folium & eius unguis, qui pars est illa candida capiti de proximo hærens & à seplasiarijs præcidi solita, quorum tanquam inutilium*

præse-

præſectionem nunc etiam præcipit Apicius noſter. Sunt deinde flores ſepa
rati in capillos, hoc eſt luteos illos apices quaſiq; capillamenta & fila quæ=
dam quæ folijs circunquaq; ambiuntur, quæ à recentioribus antheræ nomi
ne appellantur, ab eo quod eſt ἄνθος ῥόδου, id eſt, flos roſæ, ipſo deducto, li
cet nonnihil decurtato: & in ſemen quod ſub hijs capillamentis lanugine
quadam opertum, cortice continetur. De quo in Februario menſe capite
21. ſic etiam tradit Palladius: Semina autem roſarum non putemus medios
floſculos eſſe aurei coloris, quos roſæ ferunt: ſed baccas nutriunt quas in bre
uiſsimi pyri ſimilitudinem plenas ſeminibus poſt uindemiam reddunt matu=
ras, quarum tamen maturitas ex colore fuſco, & molliciæ poterit æſtimari.
Et Plinius lib. 21. cap. 4. Tardiſsime, inquit, proueniunt ſemine, quod in ipſo
cortice eſt ſub ipſo flore opertum lanugine. Eſt item caput ſolidū illud quod
ab inferiore parte lanoſum intus, folijs & floribus ſubſtratum ceu baſis to=
tam ſuſtinet roſam, cuius partes ſunt calix, roſæ globus nondum totis folijs
apertus: & cortex qui calicem ambit & aperta roſa in quinq; ueluti laci=
nias diuiditur. Quarum roſæ partium Plinius etiam libri paulo ante memo=
rati capite 13. breuiſsime ſic meminit: Vſus roſæ diuiditur in folia, flores &
capita. Foliorum partes quæ candidæ, ungues uocantur. In flore autem aliud
eſt ſemen, aliud capillus. In capite aliud cortex, aliud calix. Folium ſiccatur:
aut tribus modis exprimitur. Per ſe cum ungues non detrahuntur, ibi enim
humoris plurimum: aut cum detractis unguibus reliqua pars aut oleo aut ui
no maceratur in ſole uaſis uitreis. Exprimuntur eadem folia detractis ungui
bus trita per linteum ſpiſſum in æreum uas, leniq; igni ſuccus coquitur, do=
nec fiat craſſitudo mellis: ad hoc eligi oportet odoratiſsima quæq; folia.

Colas.) Colare eſt uinum & alios liquores per colum, quo iucun=
diores fiant, transfundere, defæcare & depurare. Colum autem inſtrumen=
tum dicitur per quod fit colatura, & è uiminibus contexebatur: licet ali=
quando etiam è lino fieret ſacculus, qui uinarius uocabatur, ſicut niuarius
per quem nix colabatur, hoc eſt, per quem uina aut niues transfundeban=
tur & defæcabantur. Quem tamen è lino colum maiores uitarunt, quod eo
colata uina ſaporem perdere putarunt. Vnde illud Horatij, Integrum per=
dunt lino uiciata ſaporem.

Cuſtodito.) obſeruato.

Deuiolatium.) Legito, De uiola uiolatium, hoc eſt, conditum ſiue
uinum è uiolis confectum. Quale etiam in Aprili menſe conficere docet Pal
ladius hijs uerbis: Violæ purgatæ, ut de rore nihil habeāt, libras quinq; uini

ueteris 10. sextarijs debebis infundere, & post 30. dies 10. mellis ponderibus temperare. Huius uis est refrigeratrix, iecori & stomacho æstuanti accommodata, ubi absit febris. Est autem uiola hæc syluestris purpurea aut nigra cognominata & uiola quoq; simpliciter appellata. Sunt enim plura uiolarum genera, ut lib. 21. tradit Plinius. Purpureæ, luteæ, albæ: plantis omnes ut olus satæ. Ex hijs uero quæ sponte opacis & macris locis proueniũt, purpureæ latiore folio statim ab radice carnoso exeunt, solæq; Græco nomine à cæteris discernuntur, appellatæ ia, ut ab ijs iantina uestis. Sic autem à Dioscoride describitur: Folia habet minora tenuioraq; quàm hedera: nigriora itidem nec dißimilia, medij inter folia coliculi à radice exeunt in quibus flosculi sunt egregij odoris, colore purpureo. Nascitur umbrosis & asperis locis. Refrigerandi uim habet. Ferunt præterea quod purpureum in flore eius est cum aqua potum, anginis & in infantia comitialibus opitulari.

Rosatum sine rosa.) Conditum seu uinum quod rosato sine rosa sit simile, quo pacto deficientibus rosis conficiatur, docet etiam in Octobri mense ijsdem quasi uerbis Palladius inquiens: Nunc rosatum sine rosa facies sic. Folia citri uiridia sporta palmea mißa in musti nondum feruentis uase depones, & claudes, & exemptis quadraginta diebus melle addito, ad modum rosati, cum placebit, uteris.

Folia citri.) quæ odore præcellunt, qui transit in uestes unà conditus, arcetq; animalium noxia, ceu lib. 12. testatur Plinius, qui de arbore quoq; ipsa & ligno eius, mensarumq; insania scribit multa lib. 13. ca. 15.

Sportella palmea.) sporta è palmæ folijs contexta, quæ ad funes, uitiliumq; nexus sunt conuenientißima. Sportella diminutiuum est à sporta, quæ inter repositoria uasa connumeratur, quasi fiscellæ in quibus cibi in quotidianum usum dati, ferri consueuerunt.

Musti.) Mustum dicitur uinum dulce antequam deferbuit. Sic enim appellant musti in uina transitum, ut lib. 14. ait Plinius. Qui etiam de musto lib. 23. sic tradit, Mustum omne stomacho inutile, uenis iucundum. A balneis raptim & sine interspiratione potum, necat. Capitis dolores facit & gutturi inutile. Prodest renibus, iocinori, et interaneis uesicæ: colleuat enim ea. Hippocrates etiam lib. 2. de ratione uictus, Mustum, inquit, inflat, subducit, ac in uentre bulliens perturbat & cit. Celsus ualentißimi generis esse dicit, & inflare.

IN CAPVT V.

Oleum

OLeum Liburnicum.) *hoc est, liburnico simile.* Cuiusmodi *etiam in Nouembri mense describitur à Palladio his uerbis:* Oleum *primũ liburnico simile fieri asserunt Græci, si in optimo uiridi oleo inulam siccam, & lauri folia, & cyperũ, omnia simul tusa, & subtiliter creta permisceas cum salibus torrefactis ac tritis, & diu oleo iniecta perturbes: dehinc tribus, aut aliquanto amplius decursis diebus, cum quieuerit, utaris.* Et *similis confectio habetur apud* Constantinum *Cæsarem de agricultura li.9. ca.27. ex Sotione sic:* In *oleũ omphacinum, aut aliâs bonum, inulam siccã, & lauri folia, & cyperum aridum, omnia uidelicet & tusa & trita & per cribrum excussa immittes, & salem torrefactum ac tritum addes.* Deinde *multa commotione facta, donec constiterit ad dies tres aut plures serua, ipsumq; ad tertias ebullire facito.* Hoc *est oleum* Liburnicũ *appellatum, & ipsum adeo* Istrianum. Dictum *est autem* Liburnicum *à regione* Liburnia *inter* Dalmatas *&* Illyricos, *in qua sunt* Salone *urbs insignis.* Et Istricum *siue* Istrianum *itidem à regione* Istria, *quæ, ut naturalis hist. lib.3. tradit* Plin. Liburniæ *adhæret.* Similiter *&* Hispanum *à regione* Hispaniæ *dictum est.* Quorum *oleorum* Plinius *etiam mentionem facit lib. 15. cap. 2. ubi de olei principatu agens inquit,* Et *uulgo principatum in hoc quoq; bono obtinuit* Italia *toto orbe, maxime agro* Venafrano, *eiusq; parte quæ* Licinianum *fundit oleum: unde &* Liciniæ *gloria præcipua oliuæ.* Vnguenta *hanc palmam dedere accommodato ipsis odore.* Dedit *& palatum delicatiore sententia.* Reliquum *certamen inter* Istriæ *terram &* Beticæ *par est.* Vicina *bonitas prouincijs, excepto* Aphricæ *frugifero solo.*

Helenium.) Quod *alio nomine* Inula *dicitur, & ab aliquibus cũ adiectione* Inula *campana.* Nota *planta, cuius radix multi nunc usus contra pectoris mala, & stomacho accommodata.* Conditur *hac uinum etiam, quod nectarite dicitur, quoniam* Inula, *nectarea radix etiam uocetur.* Conficitur *autem, ut lib. 5. ca. 40. docet* Dioscorides, *hoc modo:* Sumito *helenij radicis siccatæ drachmas quinq;, colligatasq; in linteolo in musti congios sex demittito, nec nisi post tres menses diffundito.* Facitq; *tale ad stomachũ & pectus & urinam trahit.* Hanc *etiam siccatã aliquãtisper moxq; decoctã frigida aqua salgamarij demergunt: tum in defrutũ coniectam ad necessarios usus reponunt.* Varias *autẽ ipsius conditúras qui nosse uolet, legat* Columellam *li. 12. cap. 46.* Est *alterum quoq; helenium, quod, ut lib. 21. ca. 10. scribit* Plinius, *è lachrymis* Helenæ *dicitur natum: & ideo in* Helena *insula laudatissimum.* Hoc, *ut idem eiusdem libri cap. 21. ait, fauere creditur formæ.* Cutem

mulierum in facie, reliquoq; corpore nutrire incorruptam. Præterea putant usu eius quandam datam gratiam ijs, uenere mq; conciliari. Attribuunt & hilaritatis effectum eidem potæ in uino, eumq; quem habuerit Nepenthes illud prædicatum ab Homero, quod ea tristitia omnis aboleatur.

Cyperum.) Cyperus iuncorum generis est, anguloso caule, licet in angulis uarient authores. Nam Celsus lib. 3. cap. 21. quadratum dicit, & aromatis annumerans odoratum facit. Verba eius sunt hæc: Iunci quadrati & rotundi semen, illud cyperon, hoc Schænon Græci dicunt. Et mox post ait: Quæ quoties posuero, non quæ hic nascuntur, sed quæ inter aromata afferuntur, significabo. Plinius uero quamuis angulosum faciat, triangulum tamen etiam dicit lib. 21. ca. 18. ubi de iuncorum generibus agens ait: Quidam etiamnum unum genus faciunt iunci trianguli, cyperon uocant. Et paulo post inquit: Cyperos iuncus est qualiter diximus angulosus. Dioscorides Romanos iuncum simpliciter uel iunci radicem appellare dicit: quam & cyperin & cyperida ueteres dixerunt, præsertim quæ oblongæ oliuæ similis præcipui in medicina usus est. Licet Plinius Cyperim etiam Indicam herbam, zingiberis effigie dicat, quam tamen Dioscorides non cyperin sed cyperum etiam uocat. Cæterum cyperos, ut Plinius describit, iuncus est angulosus, iuxta terram candidus, cacumine niger, pinguisq;. Folia ima porraceis exiliora, in cacumine minuta, inter quæ est semen. Radix oliuæ nigræ similis, quam cum oblonga est, cyperida uocant: magni in medicina usus. Et hic cyperus est alius à cypiro, planta palustri, quæ gladiolus est. Vnde Plinius: Cyperon multi non discernunt à cypiro uicinitate nominis. Nos distinguemus utrunq;. Cypirus est gladiolus, radice bulbosa &c. Natura & uis est cypero calefaciens. Vuluas aperit pota radix, urinam cit & calculos, ob id utilißima hydropicis. Adhæc spissandis unguentis eadem accommodata est, authore Dioscoride.

Folia lauri non uetusta.) hoc est, recentia & uiridia, quæ leniter adstringũt, authore Dioscoride, qui in duo genera diuidens laurũ, unam tenuiore, alteram latiore folio esse dicit. Cato etiam duo genera tradit. Delphicam & Cypriam. Ex Delphica oleũ, ut inquit lib. 23. Plinius, ad cerata acopumq; ad perfrictiones discutiendas, neruos laxandos, lateris dolores, febresq; frigidas utile est. Folia decocta ad tertias partes aquæ uuam cohibent gargarizatione: pota alui dolores intestinorumq;.

IN CAPVT VI.

VInum ex atro candidum.) Qua ratione uini color immutari poßit, ex Græcorum sententia refert etiam in Octobri mense Palladius cum ait: In album colorem uina fusca mutari asserunt, si ex faba lomentum factum uino quis adijciat, uel ouorum trium lagenæ infundat alborem, diuq; commoueat, sequenti die candidum reperiri. Quod si ex afra pisa lomentum adijciatur, eadem die posse mutari. Vitibus quoq; hanc esse naturam, ut alba uel nigra si redigantur in cinerem, uinoq; adijciantur, ei unamquanq; formam sui coloris imponere, ut ex nigra fuscum, candidum uero reddatur ex alba, ea ratione scilicet ut combusti sarmenti cineris modij unius mensura mittatur in dolium, quod habebit amphoras 10. & triduo sic relictum post operietur ac lutetur. Album uel (si ita uisum fuerit) nigrum reperiri quadraginta diebus exactis.

Lomentum.) id est, farinam. Plinius lib. 18. ca. 12. Inter legumina maximus honos fabæ. Quippe ex qua tentatus sit etiam panis. Lomentum appellatur farina ea: aggrauaturq; pondus illa & omni legumine.

Alborem.) Oui alborem uocat, uti in libris Chronion siue Tardarum paßionum Cælius Aurelianus, quod in ouo candidum est, & albumen quoq; dicitur, & ipse in sequentibus aliquando albamentum etiam nuncupat.

Lagenam.) Lagena uas est uinarium.

Vitis albæ.) Vitis alba hæc est, non ea quæ in herbarum censu ampeloleuce & brionia alba dicitur: sed quæ uinifera est & uini uuas procreat.

IN CAPVT VII.

DE liquamine emendando.) id est, à malo, si quem contraxerit, odore uindicando. Est autem liquamen Apicio nostro liquor quem Græci garum uocant, & sic garum interpretatur Cælius Aurelianus Chronion libro secundo, cum ait: Medicaminum ex garo confectorum quod uulgo liquamen appellant: sed de garo plura in sequentibus libro 7. Nunc communiter liquamen dicitur quod ex porcino adipe fit pingue, hoc modo. Adeps minutatim conciditur & in uase ad ignem lentum siue carbones ignitos sine fumo liquefit, adiecto salis modico seu etiam nullo: deinde liquefactum antequam refrixit in ollam repositoriam colatur & ad usum reponitur, ut ubi uoles eo uti liceat. Vsuiq; toto ferè anno est. Fit item & ex anserino & gallinaceo aliquãdo adipe liquamen. Ad hæc etiam de aliarum

rerum liquore dicitur interdum liquamen: ceu pyrorum liquor, liquamen etiam appellatur à Palladio in Februario mense, ubi & ipsius conficiendi modum tradit sic. Liquamen de pyris castimoniale sic fiet. Pyra maturißima cum sale calcantur integra. Vbi carnes eorum fuerint resolutæ, uel in cupellis, uel in uasculis fictilibus picatis condiuntur. Post mensem tertium suspensæ eæ carnes liquorem dimittunt saporis iucundi, sed coloris albiduli. Circa hoc illud proderit, ut tempore, quo saliuntur, pro aliqua parte uina nigella permisceas.

Cupresso.) Cupressus quæ & cyparissos Græce dicitur, arbor est natu, ceu lib. 16. ait Plinius, morosa, fructu superuacua, baccis torua, folio amara, odore uiolenta, ac ne umbra quidem gratiosa, materie rara, ut pene fruticosi generis. Diti sacra, & ideo funebri signo ad domos posita. Vis illi refrigerans & adstringens. Creduntur pilulæ cum sua arboris coma incensæ suffitu culices fugare, ut ait Dioscorides.

Ventilatum.) Ventilare est mouere aliquid ad uentum captandū.

Sextarium.) hoc est, sextam partem mellis respectu liquaminis. Non enim de mensura intelligi potest, quæ mellis pondere pendet libras duas & semis: cum liquaminis nulla certa quantitas ponatur. Et dixit sextarium pro sexta parte, sicuti quartarium aliquando pro quarta parte dicitur.

Spica.) id est, spatha uel instrumento alio ad spicæ uel spiculi similitudinem facto.

IN CAPVT VIII.

MElle tegantur.) Eorum quæ res à putrefactione & corruptione custodiunt, cum primis est mel. Ipsius siquidem natura est, ceu lib. 12. testatur Columella, ut coerceat uicia, nec serpere ea patiatur, qua ex causa etiam exanimum corpus hominis per annos plurimos innoxium conseruat. Putrescere enim aut corrumpi non sinit ea quæ liquorem eius acceperint. Vnde ut carnes recentes sine sale diu durent & seruentur, in eo submerguntur. Similiter & ad plurimorū fructuum cōdituram habetur quàm optimum.

IN CAPVT IX.

CAllum porcinum uel bubulum.) Legendum censeo sic. Callum porcinum uel lumbulum: quasi disiunctione illa, generis amplior captus ad certam contractus sit speciem. Callus enim feri suis dicitur laridum, & succidiæ pars est, non solū quæ in lateribus, sed eius etiam quæ

in dorso & lumbis existit atq; lumbus aprugnus uocatur, ut lib. 8. tradit Plinius, cuius uerba sunt hæc. Placuere autem & feri sues. Iam Catonis Censoris orationes aprugnum exprobrant callum. In tres tamen partes diuiso medius ponebatur lumbus aprugnus appellata. Dicitur autem & callus, & neutro genere callum. Plautus in Persa, Magis calleo quàm aprugnum callum callet.

Vncella.) Legendum, ungellæ, id est, ungulæ suum, quæ ceu rostrum, aures, cerebellum: & ex agno hædóue cum peciolis totum caput aliquanto quàm cætera membra leuiora sunt: adeo ut media materia poni poßint, authore Celso.

In sinapi ex aceto &c.) hoc est, sinapio siue sapore & liquore sinapis ex aceto, sale & melle composito & temperato. Quorum unumquodq; per se etiam res à putrefactione præseruat & incorruptas custodit. Sinapi siquidem ui sua calefaciente & exiccante res cum primis putrescere non sinit. Acetum item, inquit lib. 23. Plinius, putredinem & corruptionem à rebus prohibet. Sal uero, ut idem lib. 31. tradit, corpora adstringit, siccat, alligat. Defuncta autem ac putrescentia ita uendicat, ut durent ea per sæcula. Ceu de pernis & alijs salsamentis cernere licet. De melle dictum iam est paulo ante. Sed de sinapio tum hoc ad condituras, tum alio ad sapores idoneo plura in sequentibus.

Facta.) Lege, facto, id est, confecto & temperato.

IN CAPVT XI.

FRicti.) A frigo quod est torreo, dicitur frictus: & frictorium uas quod & Patella & Sartago dicitur, in quo addito oleo uel butyro carnes, pisces, pulmenta & alia friguntur.

Momento.) temporis spacio & tempore ipso. Sed de momento dictum est supra capite 2.

IN CAPVT XII.

OStrea.) Ostrea è concharum genere & firmioris solidiorisq; testæ pisces sunt, in cibis non uulgarem gratiam adepti, de quibus plura in sequentibus.

Picatum.) id est, pice illitum. Est autem pix non aliud quàm combustæ resinæ fluxus, ut lib. 23. ait Plinius.

IN CAPVT XIII

Laser.) Laseris nomine generatim planta intelligitur quæ aliàs Laserpitium & Græce silphium uocatur: priuatim tamen à multis & præsertim Apicio nostro pro plantæ ipsius succo accipitur, qui inter eximia naturæ dona numeratus magnificus in usu, medicamentisq; quorum compositionibus inseritur. Is è caule & radice colligebatur, quorum hic rhizias, ille uero caulias uocabatur. Eratq; in quotidiano ciborum usu, miscebaturq; ob egregiam calefaciendi uirtutem oxyporis condimentis ad intinctus, cibis gratum saporem & odorem adferens: hyeme tamen quàm æstate utilior. Sunt qui caulem priuatim Silphium uocent, ut tradit Dioscorides, radicem magydarim, folia uero maspeta. Efficacißimus autem aliarum omnium partium liquor est. Secundo loco uim folia habent. Postremus omnium caulis. Laser nunc Asam uocant: duoq; eius genera faciunt. Vnum odoriferum quod asam dulcem uocant, barbari belzuim aut benzoim nuncupant. Alterum fœtidum quod asam fœtidam dicunt, & id est quod è Media aut Syria affertur, uirosi odoris, teste Dioscoride.

Spatiosum.) Latum & amplum, à spatio quod nihil aliud esse dicitur quàm locus uel tempus patens, hoc est, loci uel temporis interuallum.

Nucleos pineos.) Nucleus à nuce deriuatur, quod tenerũ in ipsa includitur. Inter nuces autem secundum locum obtinet pinea, corporis magnitudine, ut Plinius lib. 15. ait, grandißima, intus exiles nucleos lacunatis includens toris, uestitos alia ferruginis tunica, mira naturæ cura molliter semina collocandi. Est autem Cybeli sacra, unde illud Martialis: Poma sumus Cybeles, procul hinc discede uiator: Ne cadat in miserum nostra ruina caput. Nucleum Græci Strobylum & Coccalum etiam uocant, ceu & arborem ipsam & nucem eius. Transeunt & in bellaria Saccharo obducti nuclei, diuitumq; mensas exornant. Qui in cibum sumpti sitim sedant, ut lib. 23. tradit Plinius, & acrimoniam stomachi, rosionesq; & cõtrarios humores consistentes ibi, & infirmitatem uirium roborant: renibus & uesicæ utiles. Sed difficilis sunt concoctionis, authore Paulo Aegineta. Celsus inter res lenes & stomacho idoneas & quæ non inflant, & urinam mouent, connumerat nucleos pineos.

Exin cibis miraberis in sapores.) Lego, & in cibos miscebis & in sapores. Vocantur autem sapores, succi & humores siue liquores quibus panem uel opsonia ut commendatioris & suauioris sint saporis & odoris, intingimus, & alio nomine ab intingendo immergendoq; intinctus, & Græca uoce embammata uocantur.

IN CAPVT XIIII.

DVlcia de melle.) *hoc est, edulia mellita & operis pistorij pani ficia melle condita & confecta. Quorum concinnator pistor dulciarius appellatur, cuius apud Martialem est distichon hoc. Mille tibi dulces operum manus ista figuras Extruit, huic uni parca laborat apis.*

IN CAPVT XVII.

VVæ.) *Conduntur & in alienos menses seruantur uuæ, cæteriq; fructus, olera & conditanea reliqua, non modo ad mensarum lautitiam uoluptatis causa, sed & necessarios domesticos quibus familia sustentetur ad usus, & ægrotantium sæpiusculæ salutem recuperandam & promouendam: Et uuæ potißimum quo innocentiores reddantur. Nam recentes, authore lib. 5. Dioscoride, turbant aluum omnes & stomachum inflant. Innocentiores quæ aliquandiu pependere. Exaruit enim in ijs maior humoris pars. Stomacho accommodatæ: appetentiam cibi reuocant. Quibus infirmũ corpus est etiam utiles. Et Plinius lib. 23. ait, Recentes stomachum & spiritum inflant, aluumq; turbant. Itaq; in febri damnantur utiq; largiores. Grauedinem enim capiti, morbumq; lethargicum faciunt. Innocentiores quæ decerptæ diu pepẽdere, qua uentilatione etiam utiles fiunt stomacho ægrisq;. Nam & refrigerant leniter, & fastidium auferunt. Sunt autem uarij seruandarum uuarum modi. Aliæ enim seruantur in aere pensiles, aliæ in palea, nonnullæ in musto, quædam in sapa aut passo, multæ in uinaceis, aliquot item in aqua cœlesti, & aliter quoq; uarijs modis, de quibus plura Columella rei rusticæ lib. 12. cap. 43. Plinius lib. 14. ca. 2. & lib. 15. ca. 17. Palladius in Septembri mense, & Dioscorides lib. 5. cap. 3. Qui uuarum conditurας fusius & prolixius docent. Apicius noster eas in cœlesti aqua & ordeo seruare docet. Quæ autem in cœlesti aqua seruantur, inter cæteras saluberrimæ perhibentur, ceu Plinius lib. 33. refert hijs uerbis: Saluberrimas putant medici in cœlesti aqua seruatas, etiam si minime iucundas, sed uoluptatem earum in stomachi ardore sentiri, & in amaritudine iecoris, fellisq; uomitione in choleris, hydropicis, cum ardore febrium ægrotantibus. At in ollis seruatæ & os & stomachum & auiditatem excitant. Et Celsus uuas ex olla stomacho idoneas & aptas dicit, & recentes inflare ac aluum mouere, ualentisq; materiæ ex fructibus surculorum esse uuas.*

Illæsas.) *Quales ad condendum colligendæ sint uuæ, docet nos latius in Septembri mensæ Palladius hijs uerbis. Vuas, quas seruare uolumus, lega*

mus illæsas, neq; acerbitate rigidas, neq; maturitate defluentes, sed quibus est & granum luce penetrabili splendidum, & tactus cũ iucunditate callosus. Si qua sunt corrupta, uel uitiosa, resecemus, nec patiamur interesse, quibus inexpugnabilis acerbitas contra blandimenta æstiui caloris induruit. Et huc etiam pertinet quod Columella tradit inquiens: Omnis autem uua sine noxa seruari potest, si luna decrescente, & sereno cœlo post horam quartam, cũ iam insolata est, nec roris quicquam habet, uiti detrahatur. Sed ignis in proximo decumano fiat, ut pix ferueat, in qua pediculi uuarum statim demittantur.

Picari & gipsari.) hoc est, pice & gipso collini. Columella lib. 12. hoc sic tradit: Marcus Columella patruus meus uasa intrinsecus & exterius crasse picari iubebat. Post compositis uuis opercula superponi, & oblini crasso gipso, tum demum pice dura, quæ igni liquata esset, sic picari, ne quis humor transire poßit. Quid pix sit, dictum est in præcedentibus. Gipsum uero res est cognata calci. Plura eius genera, quæ recensentur à Plinio naturalis historiæ lib. 36. ca. 24. ubi etiam ait, Gipso madido statim utendum est, quoniam celerrime coit ac siccatur. Tamen rursus tundi & in farinam resolui patitur. Vsus gipsi in albarijs, sigillis ædificiorum, & coronis gratißimus. Exemplum illustre C. Propuleium Augusti Cæsaris familiarem in maximo stomachi dolore gipso poto consciuisse sibi mortem.

Pro hydromeli ægris dabis.) Quid sit, & quibus ægris dari poßit hydromeli, cuius loco hæc aqua potest exhiberi, dicendum. Est autem hydromeli aqua mulsa, cuius conficiendæ non unus est modus, sed plures & uarij, quos reperire est apud Columellam lib. 12. Plinium lib. 14. Palladium in Iulio mense, & Dioscoridem lib. 5. Omniũ tamen simplicißimus est, quando ad unam mellis partem, duæ aquæ miscentur, & ad tertias decoquuntur: sicq; ex aqua & melle tantũ, ut libro mox dicto ait Plinius, uinum fit quod uocatur Hydromel, & uetustate saporem uini assequitur. Hydromelitos autem siuæ mulsæ aquæ duo sunt genera, non quidem compositionis, sed uetustatis tantum ratione. Eiusdem enim substantiæ existunt, quare etiam promiscui in medicina usus fuerunt, nisi ubi nouitas aut uetustas eius priuatim exigeretur. Vnde Plinius lib. 22. cap. 24 de utilitate earum, & quæ harum quibus ægris conueniat, inter cætera sic tradit. Duo eius genera, subitæ & recentis, alterum inueteratæ. Repentina despumato melle præclaram utilitatem habet in cibo ægrotantium leui, hoc est, alicæ elutæ, uiribus recreandis, ore, stomachoq; mulcendo, ardore refrigerando. Frigidam enim utilius

dari

dari uentri molliendo, apud authores inuenio, hunc potum bibendum alsiosis, item animi humilis & præparci, quos illi dixere micropsychos. Calefacta incitat uomitiones. Inueteratæ autem usum damnauere posteri, minus innocentem aqua, minusq; uino firmum. Longa tamen uetustate transit in uinum, ut constat inter omnes, stomacho inutilissimum, neruisq; contrarium. Et lib. 31. ca. 6. ait idem: Hydromeli quoq; ex imbre puro cum melle temperabatur quondam, quod daretur appetentibus uinum ægris, ueluti innocentiore potu. Damnatum iam multis annis iisdem uitiis quibus uinum, nec iisdem utilitatibus.

Et si in hordeo.) hoc est, in hordei furfuribus: quem condendi modum sic refert Columella. Quidam uuas, cum legerunt, doliola noua sine pice in sole siccant, deinde cum ea in umbra refrigerauerunt, furfures hordeaceos adiiciunt, & uuas ita superponunt, ut altera alteram non comprimat, tum generis eiusdem furfures infundunt, & alterum tabulatum uuarum eodem modo collocãt, idq; faciunt usq; dum doliũ alternis furfuribus, & uuis compleant, mox opercula imposita linunt, & uuas siccissimo, frigidissimoq; tabulato reponunt.

IN CAPVT XVIII.

MAla granata.) Dicta sunt mala granata à granis, id est acinis quibus plena sunt: dicta etiam punica quasi pœnica, quod apud Pœnos & Carthaginem, & multa & insignia nascerentur. Plinius lib. 13. cap. 19. Circa Carthaginem, ait, punicum malum cognomen sibi uendicat. Aliqui granatum appellant. Apyrinon uocatur cui lignosus nucleus abest: sed candidior ei natura, & blandiores sunt acini, minusq; amari, distincti mẽbranis. Quinq; eius pomi species: Dulcia, acria, mixta, acida, uinosa. Adstringunt omnia, refrigerant & siccant. Suntq; boni succi & stomacho accommodata, eadem tamen non nutriunt, teste Dioscoride. Stomacho utiliora quæ dulcia sunt, in febribus tamen uitanda, quod stomacho calorem aliquem afferunt & inflant. Quæ acida sunt stomachi ardoribus prosunt, maioresq; ad reprimendum uires habent & ad ciendam urinam efficatiores. Vinosa medias habent uires. Fit ex malis granatis uinum quod rhoitẽ uocat Dioscorides, & hoc modo conficere docet lib. 5. Sumito apyrena matura, expressumq; ex acinis succum simpliciter aut ad tertias decoctum reponito. Facit ad interiores destillationes & fluidas febres. Stomacho præterea accommodatum est, aluum adstringit & urinam ducit. Tale uinum conficere docet etiam in Martio mense Palladius hoc modo. Grana matura purga-

sa diligenter in palmea fiscella mittis, & in cochlea exprimis, & lente coques usq; ad medietatem: cum refrixerit, picatis & gipsatis uasculis claudes. Aliqui succum non excoquunt, sed singulis sextarijs, libras mellis singulas miscent, & in prædictis uasculis ponunt & custodiunt. Granatorum autem seruandorum modos plures ac uarios reperies apud authores, ceu Varronem de Re rustica lib. 1. Columellam lib. 12. Plinium lib. 15. & Palladium in Martio mense. Quorum qui huic congener est à Plinio plenius traditur hijs uerbis. Punica aqua marina feruente indurari præcipiuntur, mox triduo sole sicca, ita ne nocturno rore contingantur, suspendi. Cum libeat uti, aqua dulci perlui. Item Palladius ait: Lecta integra in aqua marina, uel muria feruente mergantur, ut combibant. Post, triduum sole siccentur, ut sub dio nocte non maneant. Post in loco frigido suspendantur. Cum uolueris uti, aqua dulci pridie macerabis. Feruntur hæc pomis recẽtibus æmulari. Et Columella talem seruandi modum referens inquit: Pœnus quidem magno præcipit aquam marinam uehementer calefieri, & in ea mala granata lino spartóue illigata paulum demitti, dum decolorentur, & exempta per triduum in sole siccari, postea loco frigido suspendi, & cum res exegerit, una nocte & postero die usq; in eam horam, qua fuerit utendum, aqua frigida dulci macerari. His illud adhuc addendum satiuæ punicæ florem cytinum, Syluestris uero balaustiũ uocari à Dioscoride, Galeno, & Paulo Aegineta: quamuis posteriores omnium punicarum flores balaustia dixerint: & quoniam notior & communior satiua esset, hinc in eius tantum floribus seruata balaustiorum uox est. Cæterum ne Pliniũ silentio prætereamus, quid is etiam de ijs scribat, subnectamus. Nam lib. 23. ait: Primus pomi huius partus florere incipientis Cytinus uocatur à Græcis. Et in hoc ipso cytino flosculi sunt, antequam scilicet malum ipsum prodeat, erumpentes, quos balaustium uocant. Et Celsus lib. 5. Citinum hunc capitula punici mali nominat, balaustiũ uero flores. Cortex pomi huius malicorium appellatur, eo quod ipso uulgus coria maxime perficere nouit.

IN CAPVT XIX.

Mala cydonia.) Mala cydonia quæ & cotonea dicuntur, mala sunt ex Creta insula aduecta, à cuius ciuitate Cydone dicta sunt cydonia. Serenus, Aut quæ poma Cydon Creteis mittit ab oris. Horũ plura sunt genera. Nam sunt Chrysomela, quæ aurea mala interpretantur à colore aureo quem referunt. Sunt deinde minora & odoratius fragrantia quæ Struthea uocãtur. Sunt item quæ à melleo sapore Melimela, & eadem à na-

ſcendi matureſcendiq; celeritate uocantur muſtea, uulgo uero ab arborum
paruitate quod pomiliæ ſunt in quibus naſcuntur Nana appellantur. Quæ
genera lib. 15. à Plinio deſcribuntur hijs uerbis. His proxima amplitudine
mala quæ uocamus cotonea, & Græci cydonia ex Creta inſula aduecta. In=
curuatos trahunt ramos, prohibentq; creſcere parentem. Plura eorum ge=
nera. Chryſomela inciſuris diſtincta, colore ad aurum inclinato. Quæ candi
diora noſtratia cognominata odoris præſtantiſſimi: eſt & Neapolitanis ſuus
honor. Minora ex eodem genere Struthea odoratius uibrant, ſerotino pro=
uentu. Præcocia uero muſtea. Strutheis autem cotonea inſita ſuum genus fe
cere meluianum, quæ ſola ex ijs uel cruda manduntur. Omnia iam & uiro=
rum ſalutatorijs cubilibus incluſa ſimulachris noctium conſcijs impoſita.
Sunt præterea, Sylueſtria parua è Strutheis odoratiſſima in ſepibus naſcen=
tia. Fit è cydonijs condimentum cotoneatum appellatum. Fit & uinum &
mel cydonite, quorum confectiones traduntur à Dioſcoride, Columella &
Palladio. Cæterum cotonea cocta ſuauiora in cibo. Cruda & matura pro=
ſunt ſanguinem exſcreantibus ac dyſentericis, cholericis, cæliacis. Quæ cru
da in melle condita & ſeruata fuerint, urinam cient: mel autem contracta in
ſe eorum ui ſuauitatis multum recipit, ſtomachoq; utilius redditur, & ad=
ſtringendi uires acquirit. Quæ in melle coquuntur ſtomacho utilia & ue=
ſcendo grata ſunt, ſed in adſtringendo minus poſſunt, quoniã amittant con=
ſtringentẽ illam uim ſucci, authore Dioſcoride & Plinio. Condun tur quem
admodum & alia mala uarie, ceu apud Varronem, Columellam, Plinium &
Palladium uidere licet. Inter quos condiendi modos uel hic à Columella do=
cetur lib. 12. cum ait: Nihil certius aut melius experti ſumus quàm ut cydo=
nia maturiſſima integra ſine macula, & ſereno cœlo decreſcente luna legan
tur, & in lagena noua, quæ ſit patentiſſimi oris deterſa lanugine, quæ malis
ineſt, componantur leuiter, & laxe, ne collidi poſſint: deinde cum ad fauces
uſq; fuerint compoſita, uimineis ſurculis ſic tranſuerſis arctentur, ut modice
mala comprimant, nec patiantur ea cũ acceperint liquorem, ſubleuari: tum
quàm optimo, & liquidiſſimo melle uas uſq; ad ſummũ ita repleatur, ut po=
mum ſubmerſum ſit. Hæc ratio non ſolum ipſa mala cuſtodit, ſed etiam liquo
rem mulſei ſaporis præbet, qui ſine noxa poſſit interdum dari febricitanti=
bus, isq; uocatur melimeli. Sed cauendum eſt, ne quæ in melle cuſtodire uol=
ueris, immatura mala condantur, quoniam cruda ſi lecta ſunt, ita indure=
ſcunt, ut uſui non ſint. Illud uero quod multi faciunt, ut ea diuidant oſſeo cul
tro, & ſemina eximant, quod putent ex eis pomum uiciari, ſuperuacuum

eſt,ſed ratio quam nunc docui,adeo quidem certa eſt,ut etiam ſi uermiculus ineſt,non amplius tamen corrumpantur mala,cum prædictum liquorem acceperint. Palladius in Februario menſe uel hos ſeruandi refert modos. Aliqui in melle ſic integra dimittunt. In quo genere condiendi ſatis matura deliguntur. Alij plenis uino optimo uaſculis mittunt: Vel uini & defruti ad ſeruanda cydonia,æquum corpus efficiunt.

Cum ramulis & folijs.) Columella. Omne autem pomum,quod in uetuſtatem reponitur,cum pediculis ſuis legendum eſt,ſed,ſi ſine arboris noxa fieri poßit, etiam cum ramulis. Nam ea res plurimum ad perennitatem confert.

Defrutum.) Muſtum coctum, cui cognata ſunt carænum & ſapa, omnia ſolo coctionis modo differentia. Defrutum nanq; eſt muſtum ad dimidiam partem decoctum, à quo tum genere tum ſapore parum diſtat ſapa à ſapiditate, & Græce ab ἕψειν, quod eſt decoquere, hepſema uocata: quæ muſto fit ad tertiam partem decocto,ut tradit Plinius lib. 23. ca. 2. inquiens: Vino congener res ſapa eſt muſto decocto donec tertia pars ſuperſit. Et lib. 14. cap. 9. ait: Nam ſirtum quod alij hepſema, noſtri ſapam appellant, ingenij non naturæ opus eſt, muſto uſq; ad tertiam partem menſuræ decocto: quod ubi factum ad dimidiam eſt, defrutum uocamus. Omnia in adulterium mellis excogitata. Horum conficiendorum ſimul atq; caræni rationem docet item Palladius in Octobri menſe ſic. Nunc defrutum, caræ num, ſapam conficies. Cum omnia uno genere conficiantur ex muſto, modus his & uirtutem mutabit & nomina. Nam defrutum à deferuendo dictum, ubi ad ſpiſſitudinem fortiter deſpumauerit, effectum eſt. Caræ num, cum tertia perdita, duæ partes remanſerunt. Sapa, ubi ad tertias redacta deſcenderit, quam tamen meliorem facient cydonia ſimul cocta, & igni ſuppoſita ligna ficulnea. Porrò Columella hæc uocabula conuertere uidetur, ſapam uolens eſſe muſto ad dimidiam, defrutũ uero ad tertiam partem decocto. A defruto defrutaria uocantur uaſa.

IN CAPVT XX.

Fícum recentem.) Ficorum plura traduntur genera, de quibus Plinius partim lib. 13. partim lib. 15. agit. Inter quæ ſunt mariſcæ uocatæ, grandiores & inſipidiores, de quibus Martialis extat diſtichon hoc, Infanti melimela dato, fatuaſq; mariſcas, Nam mihi quæ nouit pungere, Chia ſapit: de qua chia eiuſdem etiam eſt alterum diſtichon hoc. Chia ſeni ſimilis Baccho, quam Setia miſit, Ipſa merũ ſecum portat & ipſa ſalem. Sunt deinde à

locis

locis etiam dictæ Coctana, de quibus etiam apud Martialem eſt diſtichon ta le, Hæc tibi quæ torta uenerunt cōdita mentha, Si maiora forent Coctana, fi cus erat. Item caricæ quæq; cōſcendenti nauim aduerſus Parthos omen fece re M. Craſſo uenales prædicantis uoce Cauneæ. Quæ omnia in Albenſe rus è Syria intulit L. Vitellius, qui poſtea cenſor fuit, cum legatus in ea prouin cia eſſet nouiſsimis Tiberij Cæſaris tēporibus. Inter quas iam nominatas Ca ricæ optime ſiccātur, unde quidam ſiccas ficus Caricas nominant. Sunt item Aphricanæ à prouincia dictæ, quæ Romanis delendæ Carthagini occaſio= nem dederunt, lib. 15. tradente Plinio. Cato nanq; perniciali odio Carthagi= nis flagrans, nepotum ſecuritatis anxius, cum clamaret in omni ſenatu Car= thaginem delendam, attulit quodam die in curia præcocem ex ea prouincia ficum, oſtendensq; patribus: Interrogo uos, inquit, quando hoc pomum dem ptum putatis ex arbore? Cum inter omnes recens eſſe conſtaret. Atqui ter= tium, inquit, ante diem ſcitote decerptum Carthagine, tam prope à muris habemus hoſtem. Statimq; ſumptum eſt Punicum tertium bellum, quo Car= thago deleta eſt, & unius pomi argumento euerſa. Sunt præterea à prouen tu eædem ſerotinæ & præcoces, biferæ, alba ac nigra cum meſſe uindemiaq; matureſcentes. Serotinæ ſunt & à corio appellatæ duro, duricoriæ. Groſsi demum dicuntur fici antequam matureſcant. Sed de generibus earum ad præſens ſatis. Ficis mollis omnibus tactus. Maturis frumenta intus. Succus matureſcentibus lactis, percoctis, mellis. Seneſcunt in arbore, anusq; diſtil= lant. Panis ſimul & opſonij uicem ſiccatæ implent, utpote cum Cato ciba ria ruris operarijs, iuſta ceu lege ſanciens, minui iubet per fici maturitatem, cum & opſonij uicem habeant recentes ficus. Salis ſiccatis & caſei loco ueſci nuper excogitatum eſt. In quos uſus ſeruantur aridæ, ijs modis quos li. 12. tradit Columella, & Cato libri ſui capite 99. ubi ait, Fici aridæ, ſi uoles ut integræ ſint, in uas fictile condito, id amurca decocta unguito. Seruantur & uirides recētesq; in melle, ut nūc docet Apicius noſter, & in Martio men ſe Palladius, qui alios etiam ſeruandi modos ponit ibidem, & inter alios uel hoſce. Ficus uirides ſeruari poſſunt uel in melle ordinatæ, ne ſe inuicem tan gant, uel ſingulæ intra uiridem cucurbitam clauſæ, locis unicuiq; cauatis, & item teſſera, quæ ſecatur incluſis, ſuſpenſa ea cucurbita, ubi non ſit ignis, uel fumus. Cæterum quantū ad naturam earum attinet, Ficus multi alimenti ſunt. Sed alienæ ſtomacho, inflant & aluum mouent, authore Celſo. Matu= ræ recētesq; ſtomacho, teſtante Dioſcoride, noxiæ ſunt, aluum ſoluunt, ſitim arcent. Siccatæ corpus nutriunt, ſitim afferunt, bonam faciunt aluum. Eæ=

dem gutturi, faucibus, uesicæ, & renibus amicæ, utiles & suspiriosis, comitialibus & hydropicis. Sanguinem malum generant, unde si multum comedantur, pedunculos procreant, authore Paulo Aegineta & Oribasio.

Mala.) Malorum sicut & pyrorum infinita sunt genera, quorum copiose meminit Plinius lib. 15. Seruari autem possunt non modo in melle, sed & alijs multis ac uarijs quoq; modis, quos abūde satis apud rusticæ rei scriptores traditos reperies. E quibus unum & alterum adscribere haud superuacuum fuerit, præsertim quia in melle seruata dulciora fiunt, & suum saporem minus seruare uidentur, uel Columella teste, qui li. 12. post cydoniorum in melle condituram ait: Itaq; possunt alia genera malorum hoc liquore custodiri, sed quia uidentur in melle dulciora fieri sic condita, nec proprium saporem conseruare, arculæ fagineæ, uel etiam tiliaceæ, huic rei paulo ampliores præparari debent, eæq; in tabulato frigidissimo & siccissimo loco, quo neq; fumus, neq; teter perueniat odor, collocantur: deinde substrata poma sic componi, ut flosculi sursum, pediculi deorsum spectent, quemadmodum etiam in arbore nata sunt, & ne inter se alterū ab altero contingatur. Ita obseruandū est, ut unumquodq; genus separatim proprijs arculis reponatur. Nam cū unà clausa sunt diuersa genera, inter se discordant, & celerius uiciantur. Verum sic cum diligenter mala fuerint composita, operculis arcularum contegantur, & luto paleato linantur opercula, ne introire spiritus possit, atq; ea ipsa nonnulli populnea aut abiegna scobe interposita, mala custodiunt. Hæc tamen poma non matura, sed acerbissima legi debent. Porrò de pomis seruandis Varro etiam Rei rusticæ lib. 1. cap. 59. sic scribit: Mala conditiua in loco arido, & frigido supra paleas posita seruari rectè putant. Et Palladius in Februario ait: Diligenter legenda sunt mala quæ uolumus custodire. Ea in locis obscuris, ubi uētus non sit, stramentis prius in crate subiectis in cumulos secreta disponimus, qui cumuli frequenti diuisione separentur. Aliqui in tabulis substrata palea disponi, & stramentis de superiore parte cooperiri. Alij ex arbore mala illæsa sumpserunt, & pediculis eorum pice feruenti mersis supra tabulatum per ordinem disponunt, nucum folijs subter expositis. Pleriq; scobem populi uel abietis inter mala diffundunt. Constatq; mala sic ponenda, ut pediculorum partes deorsum facias, neq; ante, quàm usui necessaria uideantur esse, contingas. Sed ne Plinium transeamus, toties hucusq; citatum & cuius testimonio posthac etiam sæpius utemur, quid ipse de hijs scripserit, adscribamus etiam. Sunt autem eius lib. 15. hæc uerba: In uniuersum uero de pomis seruandis præcipitur. Pomaria in

ria in loco frigido ac sicco cõtabulari. Septentrionalibus fenestris sereno die patere: austros specularibus arcere: Aquilonis quoq; afflatu poma deturpante. Colligi mala post æquinoctium autumnale, neq; ante 16. lunam, neq; ante primam horam. Cadiua separari stramentis: storeis, paleisue substerni. Rara componi, ut limites parui spiritũ æqualem accipiant. Seruantur etiam in sole aut furnis siccata, ut mox de pyris dicemus. Hactenus de seruandis pomis, quæ aluum soluunt, præter Syluestria quæ adstringunt, sicut & pyra. Acerba stomacho inutilia, aluum, uesicam circumagunt, neruos lædunt. Cocta meliora, ut lib. 23. tradit Plinius. Fit ex malis etiam uinum & acetum sicut ex pyris, ceu ex Palladio mox dicetur. Quæ pensilia seruantur, ut aliquando etiam fieri solet, ipsa ostendunt, quando ad usum oporteat promi, quod colore mutato, & contractu acinorum, si non demiseris ad edendum, ad abijciendum descensura se minitantur, ait Varro.

Pruna.) Ingens est, inquit lib. 15. Plinius, turba prunorum. Versicolor, nigra, candicans. Hordearia appellata à comitatu frugis eius. Asinina cognominata à uilitate. Necnon ab externa gente Armeniaca, quæ sola & odore commendantur. Damascena à Syriæ Damasco cognominata. In uniuersum pruna aluum molliunt. Stomacho utilißima, sed breui momento, ut ait Plinius. Dioscorides stomacho nocere dicit, & Damascena siccata stomacho accommodata esse, sed aluum cohibere: cum manifeste & hæc soluant, licet minus quàm alia, ut Paulus Aegineta lib. 7. tradit. Martialis, Pruna peregrinæ carie rugosa senectæ Sume, solẽt duri soluere uentris onus. Et Serenus, Sepe cibi specie, uitio uel corporis ipso, Potibus aut duris restricta morabitur aluus. Vincetur talis mora gramine Mercuriali: Prunaq; conueniunt quæ mittit clara Damascus. Sunt autem talia cæteris præstantiora & salubriora. Seruantur etiam pruna sole uel furnis siccata & aliter. Palladius in Nouembri mense: Pruna, inquit, siccantur in sole per crates loco sicciore disposita. Hæc sunt, quæ damascena dicuntur. Alij in aqua marina uel in muria feruente recenter lecta pruna demergunt, & inde sublata, aut in furno tepido faciunt, aut in sole siccari. Constantinus Cæsar lib. Agriculturæ 10. cap. 40. ex Pamphylo: In uasa mittuntur damascena, & affunditur ab alijs quidem uinum nouum, ab alijs dulce, expletoq; & cooperto uase relinquuntur. Nunc etiam à plurimis in melle conduntur.

Pyra.) Pyrorum innumera sunt genera copiosius à Plinio lib. 15. tractata: Conduntúrq; ut uuæ & cæteri fructus, totidemq; modis: è quibus aliquot ex Palladio in Februario subnectam. Plurimi pyra obruta inter paleas

aut frumenta seruarunt. Alij statim lecta cum tenacibus suis picatis urceis condiderunt, & oribus uasculorum gipso uel pice clausis ipsa sub diuo obruta sabulone texerunt. Alij pyra quæ se non contingerent, in melle seruarunt. Item pyra diuisa, & purgata granis, in sole siccantur, quemadmodum Columella etiam facere docet lib. 12. ca. 14. inquiens: Mala & pyra dulcißimi saporis mediocriter matura eliguntur, & in duas uel tres partes, arundine uel osseo cultello diuisa in sole ponuntur, donec arescant: eorũ si est multitudo, non minimam partem cibariorũ per hyemem rustici uindicant. Nam pro pulmentario cedit, sicuti ficus, quæ cum arida seposita est, hyemis temporibus rusticorũ cibaria adiuuat. Apud nos nunc eodem modo in cibarium usum & diuisa & integra in furnis siccantur pyra & mala. Fit ex pyris etiam & malis uinum & acetum, ceu docet Palladius. Vinum fit, si contusa pyra, & sacco rarißimo condita ponderibus comprimantur, aut prælo. Hyeme durat, sed prima acescit æstate. Et tale uinum factitium ex pyris, pyracium uocant. Diuus Hieronymus lib. 2. aduersus Iouinianum, Paulus, inquit, Timotheo dolenti stomachum, uinum suadet bibere, non pyracium. Acetum sic fit de pyris. Pyra syluestria, uel asperi generis matura in cumulo reseruantur per triduum. Deinde mittuntur in uasculo, cui fontana, aut pluuialis aqua miscetur, & opertum uas per 30. dies relinquitur, ac subinde quantum sublatum fuerit aceti ad usum, tantum redditur aquæ ad reparationem. Fit etiam ex pyris liquamen de quo diximus ex eodem Palladio supra cap. 7. Cæterum pyrorum omniũ cibus etiam ualentibus onerosus, ægris quoq; uinum modo negatur, ut lib. 23. Scribit Plinius: Decocta eadem mire salubria & grata. Quæcunq; uero cum melle decocta stomachum adiuuant. Ipsa aduersantur boletis atq; fungis, pellunt'q; pondere & pugnante succo. Pyrum syluestre tardißime maturescit. Conciditur, suspensum'q; siccatur ad sistendam aluum: quod & decoctũ eius potum præstat. Docoquuntur & folia cum pomo ad eosdem usus. Pyrorum ligni cinis contra fungos etiam nunc efficatius proficit. Mala, pyraq; portatu utiq; iumentis mire grauia sunt uel pauca. Remedio aiunt esse, si prius edendá dentur aliqua, aut ostendantur.

Cerasia.) Cerasia dicta sunt à ciuitate ponti Cerasunte, unde primum ea attulit L. Lucullus, ut author est lib 15. Plinius, qui ait: Cerasi ante uictoriam Mithridaticam L. Luculli non fuere in Italia. At urbis anno sexcentesimo octogesimo is primum uexit è ponto. Plura eorum genera inter quæ Aproniana maxime rubent, Nigerrima sunt Actia. Ceciliana uero & rotunda.

rotunda. Iulianis gratus sapor, sed pene tantum sub arbore sua, adeo teneris, ut gestatum non tolerent. Principatus duracinis, quæ Campania Pliniana appellat. Sunt & alia, quæ tamen omnia alij sapore discernentes in tria genera contrahunt & discriminant, dulcia, austera & acida: quorum dulcia uentrem molliunt & citißime dilabuntur, maxime recentia, quæ quia lubricos ac putridos gignunt humores, stomacho minus utilia sunt. Austera stomacho utiliora, adstringentia. Acida pituitosos & uiscidos stomachi humores incidunt, & ipsum confirmant, sitim sedant & appetentiam excitant. In uniuersum cerasia, ut lib. 1. testatur Dioscorides, bonam faciunt aluum recentia, siccata sistunt. Et Plinius lib. 23. idem tradens ait: Cerasia aluum molliunt, stomacho inutilia. Eadē siccata aluum sistunt: Vrinam ciunt. Inuenio apud authores si quis matutino roscida deuoret cum suis nucleis, in tantum leuari aluum, ut pedes morbo liberentur. Seruantur etiam cæterorum pomorum modo, siccantur itidem sole aut furnis, ac melle condiuntur, uti Apicius nūc docet, & quottannis apud nos fieri solet: quare uiderit Palladius quid dicat, cum in Octobri mense ait: Cerasa non aliter quàm in sole usq; ad rugas siccata seruātur. Sed forte hic seruandi modus tantum suo æuo in usu & consuetus fuit.

Peciolis.) Peciolos uocat, quos Columella & alij pediculos, quibus fructus ramusculis appendent. Nisi pro peciolis, pediculis legendū censeas. Legimus tamen apud Celsum etiā lib. 2. peciolos, sed de animalium pedibus.

In melle.) Columella lib. 12. ca. 10. ait: Illud in totum præcipiendum existimaui, nullum esse genus pomi, quod non poßit melle seruari. Itaq; cum sit hæc res interdum ægrotantibus salutaris, censeo uel pauca poma in melle custodiri, sed separata generatim: nam si commisceas, alterum ab altero corrumpitur.

IN CAPVT XXI.

Citria.) Scilicet mala, quæ Dioscorides Persica quoq; & medica & citromala, Plinius Aßyria item appellari dicit. Quorum uaria sunt genera, magnitudine potius quàm genere differentia, & iisdem quasi uiribus dotata, odoratißima & uenenis aduersantia, præcipue quod priuatim & peculiariter citrum uocatur, de quo & Vergilius intellexit cum ait: Felicis mali quo non præstantius ullum Pocula si quando sæuæ infecere nouercæ Miscueruntq; herbas & non innoxia uerba. Estq; pomum hoc grande, & ut Dioscorides illud describit, oblongum, rugosum, colore ad aurum inclinato, cum grauitate odoratum. Semen habet pyrorum seminibus simile,

quod in uino potum uenenis aduersetur & aluum deijciat. Decocto, succoq; eorum commendandi halitus gratia colluuntur. Comedũtur & in prægnantium fastidijs, quod malum Græci Cissan dicunt. Creduntur eadem in armarijs & scrinijs composita erosionum noxas à uestibus arcere. Habentq; arborem toto anno fœcundam & superfœtantem, ut à Palladio in Martio mense etiam traditur, ubi ait: Quod ego in Sardinia, & in territorio Neapolitano in fundis meis comperi (quibus solum, & cœlum tepidum est, & humor exundans,) per gradus quosdam sibi semper poma succedere cum maturis se acerba substituant, acerborum uero ætatem florentia consequantur, orbem quendam continuæ fœcunditatis sibi ministrante natura. Quæ omnia ferè à Plinio etiam traduntur. Nam lib 12.ca.3.ait: In præsentia externa prosequemur à salutari maxime orsi. Malus Assyria quã alij uocant Medicam uenenis medetur. Foliũ est unedonis intercurrẽtibus spinis. Pomũ ipsum aliâs non manditur, odore præcellit foliorum quoq;, qui transit in uestes unà conditus, arcetq; animalium noxia. Arbor ipsa omnibus horis pomifera est, alijs cadentibus, alijs maturescentibus, alijs uero subnascentibus. Et de natura eorum scribens lib.23.ca.6.inquit: Citria contra uenenum in uino bibuntur, uel ipsa uel semen. Faciunt oris suauitatem decocto eorum colluto aut succo expresso. Horum semen edendum præcipiunt in malacia prægnantibus, ipsa uero contra infirmitatem stomachi, & non nisi ex aceto facillime manduntur. Verum diuersis eius partibus, diuersæ insunt uires. Cortices enim calidi sunt: qui intus est succus, semiacidus: semen item calidum, authore Auicenna, sed Paulus Aegineta lib.7.dicit esse frigidum, & carnem eius crassum generare humorem & pituitam adaugere atq; refrigerare. Et li.1. ait: Citrei mali extima pars acris est: quæ uero ueluti carnis speciem præ se fert, licet esui sit idonea, uix tamen concoquitur. Id uero quod intus continetur siue acidum siue aqueum fuerit, uehementer infrigidat. De hijs seruandis Palladius libro memorato sic præcipit. Si uelis legere atq; atq; seruare, nocte luna latente debebis cum ramis foliatis carpere, & secreta disponere. Alij singula uasis singulis claudunt, uel gipso adlinunt, & opaco loco ordinata custodiunt. Pleriq; in cedri scobe, uel in straminibus minutis, uel in paleis tecta seruant. Constantinus Cæsar li.10.c.10.de agricultura ex Sotione ait: Si citrij fructum gipso subacto probe illeueris, illæsum & per totum annum integrum conseruabis. Citria in ordeum occultata & obruta non putrescunt. Hactenus de Citrio malo, quod priuatim citrum appellatur. Sunt præterea in citriorum & medicorum censu minora quæ narantia uulgo uocantur,

cantur, duplici sapore prædita, dulci & acri. Sunt & citrigenũ gneris quos limones dicunt, de quibus omnibus eadem ferè dici possunt, & de quorum utilitate eleganter & copiose satis scribit poeta percelebris Iouianus Pontanus lib. 2. de hortis hesperidum, cuius uersiculi sunt hij. Omnibus his usus suus est: seu forte uoluptas Quæratur, seu certa salus, studiumq; medẽdi Præcipue pueris. Semen lege: conijce lectum In cyatho, & latices ad summum infunde liquenteis, Sub Ioue quos tacitæ cõtingant frigora noctis, Mane autem puero instilla, bibet acre uenenum Lumbricis: stomacho, mirum, medicabitur ægro. Quin & arundineis mala ipsa liquoribus, ante Arte quidem medicata coquunt, ac lenibus inde Intingunt succis, & uase madentia seruant Auxilium latura, & opem languentibus ægris, Regaleisq; epulas uario affectura sapore. Qui quod & in calidis fornacibus igne tepenti Sæpe liquant lectos flores, & in horrea condunt Vitrea, odoratos latices, suffimina nota. Sæpe & fictilibus in lancibus imbre recenti Dimensis spatijs, macerato cortice, melle Contingunt, Siculóue premunt concocta liquore, Atq; hos, atque alios conuertunt citria in usus.

IN CAPVT XXII.

VT diu durent ex moris.) Legendum, Mora ut diu durent, & hæc tituli loco: deinde, Ex moris succum &c. Sunt autem mora hæc quæ nunc ætate nostra paßim Celsi mora appellamus, mori arboris scilicet fructus & poma, de quibus lib. 15. Plinius ait: Moris succus in carne uinosus. Trini colores, candidus primo, mox rubens, maturis niger. In nouißimis florent. Inter prima maturescunt. Tingunt manus succo. Matura ruunt, acerba minime. Qualiter seruari poßint recentia, docet nunc Apicius noster. Et Constantinus Cæsar agriculturæ lib. 10. ca. 70. ex Beritio ait: Mora in uitreo uase diligenter condita, plurimo tempore durant proprio ipsorum iusculo impleta & conclusa. Pomi huius succus, ut Plinius lib. 23. refert, aluum soluit protinus. Ipsa poma ad præsens stomacho utilia refrigerant, sitim faciunt. Si non superueniat alius cibus, intumescunt. Ex immaturis succus sistit aluum. Celsus mora stomacho idonea, refrigerare & aluum mouere dicit, quemadmodũ & cerasia. Dioscorides item, aluum, inquit, molliunt mora, facillime corrumpuntur & stomacho aduersantur. Præstat eadem expressus ex eis succus: idem tamen in æneo uase decoctus aut insolatus adstringendi uim & naturam acquirit, additoq; illi exiguo melle facit ad destillationes, ad ea quæ pascendo serpunt, & tonsillarum inflammationes. Tunduntur siccata acerba mora, & pro coriario frutice quẽ rhun dicunt opso-

nijs præsenti in cæliacis utilitate insperguntur. Hic illud adhuc addendum mora nonnunquam albo maturescere colore, ut tradit Ouidius, & præsertim si albæ populo inserantur: quemadmodum & cerasa albicantia quandoq; reperiuntur matura.

Tum mora.) Lege, Cum moris.

IN CAPVT XXIII.

Olera.) Olera dicuntur herbæ quæq; satiuæ quibus uescimur, quarum conditurā nunc præcipit Apicius, licet imperfecte: quare quod hic deest, ex alijs repetendum, & præsertim ex Columella, qui lib. 12. ca. 7. abunde id tradit, uidelicet quæ & quales herbæ & quomodo condiendæ sint docens. Quædam enim una conditura commode seruantur, id est aceti duas partes & tertiam duræ muriæ si miscueris. Aliquæ generatim in alueos componuntur, & sale conspersæ biduo sub umbra, dum consudent, reponuntur: deinde si tantū remiserint humoris, ut suo sibi iure ablui poßint, si minus superfusa dura muria lauantur, & pondere imposito exprimuntur: tum suo quidq; uase conditur, & ius, ut supra dixi, quod est mistum duabus partibus aceti, & una muriæ infunditur, fœniculiq; aridi, quod est per uindemiam proximo anno lectum spissamentum imponitur, ita ut herbas deprimat, & ius usq; in summum labrum fideliæ perueniat. Apud nos nunc cruda semicoctaue tum integra tum minutatim concisa & bene salita in uasis pondere imposito ut ius eorum supernatet condiuntur post æquinoctium autumnale & adseruantur, & cum usus exigit, exempta & aqua abluta coquuntur in cibum olera.

IN CAPVT XXIIII.

Rapæ.) Rapæ notæ sunt & in cottidiano cibi usu. Quondam ut alia salgama etiam condiebantur: quarum condiendarum modum unum tradit in Decembri mense Palladius hoc modo. Nunc rapa in partes minutas recisa, & leuiter cocta, & tota die diligentius exiccata ne quid re seruent humoris, & sinapi ex aceto (sicuti moris est) temperato, mergere, & condire curabimus, & repleta uasa claudemus, ac post aliquantos dies gustibus explorata, proferemus usuri. Alium etiam condiendi modum habes apud Columellam lib. 12. cap. 54. Apud nos nunc integra, resecta herba in foßis subterraneis, substratis nucum aut aliarum arborum folijs & coopertis adseruātur: aut integra & detersa, leuiterq; cocta cum alijs oleribus & pomis ac pyris in muria infusa, in uasis seruantur, pondere imposito ut ius supernatet. Interdum etiam leuiter cocta & minutißime concisa saleq; plu-

rimo aspersa in doliolis seruantur.

Accuratas.) præparatas. Qualiter autem præparandæ & curandæ sint, docet nos Columella loco paulo ante dicto hijs uerbis. Raporũ quàm rotundißima sumito, eaq;, si sunt lutosa, detergito, & summam cutem noua cula decerpito: deinde (sicut consueuerunt salgamarij) decussatim ferramento lunato incidito. Sed caueto, ne usq; ad imum præcidas rapũ. Tum salem inter incisuras raporum non nimium minutum aspergito, & rapa in alueo, aut seria componito. Sed curandum est ut ea antequam caulem, aut cymam faciant, dum sunt tenera, componantur.

Compositas.) ordinatim collocatas & dispositas.

Perdes.) hoc est, inspargendo & interserendo abscondes & facias ut non compareant & tanquam abesse & deperditæ uideantur.

Myrthæ baccis.) Quam alij myrthum, eam Apicius noster myrtham nominat, qua uocis nomenclatura & desinentia Cælius Aurelianus & Celsus etiam utitur. Est autem duplex myrthus, satiua & agrestis. Satiua iterum duorum generum, quorum alterum est nigrum, medicinæ utilius, alterum est album. Cato tria genera prodidit, candidam, nigram & coniugalem. Sed de myrtho inter alia li. 15. ca. 29. sic tradit Plinius: Succorum natura præcipuam admirationem in myrtho habet. Quando ex una omnium olei, uiniq; bina genera fiunt. Et alius usus baccæ fuit apud antiquos, antequam piper reperiretur illam obtinens uicem. Quodã etiam generosi opsonij nomine inde tracto, quod etiam nunc myrthatum uocatur. Eademq; origine aprorum sapor commendatur, plerumq; ad intinctus additis myrthis. Semen odorem oris cõmendat, uel pridie commanducatum, eodem Plinio li. 23. authore. Fiebat ex myrtho etiam uinum myrthite uocatum, de quo in sequentibus.

Sinapi tempera &c.) Sinapi quomodo ad salgamorum simul & conuiuiorũ usum conficeretur olim utrunq;, docet nos Columella li. 12. per totũ caput 55. in hunc modum. Semen sinapis diligenter purgato, & cribrato, deinde aqua frigida eluito, & cum fuerit bene lotum, duabus horis in aqua sinito, postea tollito, & manibus expressum in mortarium nouum, aut bene mundatum conijcito, & pistillis conterito. Cum contritum fuerit, totam intritam ad medium mortarium contrahito, & comprimito manu plana: deinde cum compresseris, scarificato, & impositis paucis carbonibus ui uis aquam nitratam suffundito, ut omnem amaritudinem eius, & pallorem exanuet. Deinde statim mortarium erigito, ut omnis humor eliquetur. Post

hoc album acre acetum adijcito, & pistillo permisceto, colatoq́;. Hoc ius ad rapa condienda optime facit. Cæterum si uelis ad usum conuiuiorum præparare, cum exaniueris sinapi, nucleos pineos quàm recentißimos, & amylum adijcito, diligenterq́; conterito infuso aceto. Cætera, ut supra dixi, facito. Hoc sinapi ad embammata non solum idoneo, sed etiam specioso uteris. Nam est candoris eximij, si sit curiose factum. Hactenus Columella. Est & sua sinapis confectio Palladio in Iulio mense huiusmodi. Sinapis semen admodum sextarij unius & semis redigere curabis in puluerem, cui mellis pondo 5. olei Hispani unam libram, aceti acris unum sextarium misces, & tritis omnibus diligenter, uteris. Varro Rei rusticæ lib. 1. ca. 59. ait: Seruare rapa confecta in sinape putant.

IN CAPVT XXV.

TVbera.) Tuber radicem rotundam esse, sine folijs, sine caule, colore subflauo, uere fodi, & edendo tum crudam tum coctam esse, testatur lib. 2. Dioscorides. Sed de tuberibus audiamus quæ scribit lib. 19. Plinius. In miraculis rerum, ait, uel maximum est aliquid nasci aut uiuere sine ulla radice. Tubera uocantur hæc, undiq; terra circũdata, nullisq́; fibris nixa, aut saltem capillamentis, nec utiq; extuberante loco in quo gignuntur, aut rimam agente, neq; ipsa terræ cohærent. Cortice etiam includuntur, ut plane nec terram esse poßimus dicere, neq; aliud quàm terræ callum. Siccis hæc ferè & sabulosis locis, frutetosisq́; nascuntur. Excedunt sæpe magnitudinem mali cotonei, etiam librali pondere. Duo eorum genera, harenosa dentibus inimica, & altera syncera. Distinguuntur & colore rufo, nigroq́; & intus candido. Laudatißima quæ Aphricæ crescunt. An ne uitium id terræ? neq; enim aliud intelligi potest. Malum ne id ea protinus globetur magnitudine qua futurum est, & uiuat ne, an non, haud facile arbitror intelligi posse. Putrescendi enim ratio communis est ijs cum ligno. Lartio Licinio prætorio uiro iura reddenti in Hispania Carthagine scimus accidisse mordenti tuber, ut deprehensus intus denarius primos dentes inflecteret. Quo manifestũ erit terræ naturam in se globari. Quod certum est ex hijs quæ nascuntur & seri non possunt. Et paulo post ait: De tuberibus hæc traduntur peculiariter. Cum fuerint himbres autumnales ac tonitrua crebra, tunc nasci: & maxime è tonitribus, nec ultra annum durare, tenerrima autem uerna esse. De Tuberibus his sunt Martialis uersiculi hij: Rumpimus altricem tenero de uertice terrã Tubera, boletis poma secunda sumus. Sed de hijs hactenus. Verum antequam hinc discedamus, sciendum est etiam auctarij uice propter nomi-

nis similitudinem, in malorum quoq; censu esse, quæ tuberes appellantur, quorum Africani tanquam generosiores celebrantur à Martiali hoc disticho: Non tibi de Libycis tuberes, & apyrina ramis, De nomentanis sed damus arboribus. Et altero item hocce, Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis, Et uernæ tuberes, quid tibi cū Libycis. Sed quid de his tradat Plinius, audiamus etiam. Is li. 15. ca. 14. de malorum generibus agens, sic scriptum reliquit. Aeque peregrina sunt zizipha & tuberes: quæ & ipsa non pridem uenere in Italiam. Hæc ex Africa, illa ex Syria Sextus Papinius, quem consulem uidimus, primus utraq; attulit Diui Augusti nouißimis tēporibus in castrorum aggeribus sata, baccis similiora quàm malis. Sed aggeribus præcipue decora: quoniam & in tecta iam syluæ scandunt. Tuberum duo genera. Candidum, & à colore Sericum dictum. Meminit horum etiam in Domitiano Suetonius cum ait: Pridie quàm periret, quum oblatos tuberes seruari iußisset in crastinum, adiecit, si modo uti licuerit. Seruantur hij quoq; ut diu durent, idq; non uno modo, ut Palladius in Septembri mense refert ad finem capitis 14. hijs uerbis: Tuberes seruabuntur, si obruantur in milio, uel urceolis picatis, & oblitis. Hæc hactenus.

Vexauerit.) Viciauerit & corruperit.

Scobem.) Scobs dicitur puluisculus qui per terebram & serram in perforatione aut sectione lignorum, alteriúsue materiæ teritur atq; educitur.

IN CAPVT XXVI.

DVracina persica.) Duracini nomen pluribus attribuitur fructibus, ceu uuis, de quibus Martialis est distichon hoc: Non habilis cyathis, & inutilis uua Lyeo, Sed non potanti me, tibi nectar ero. Item cerasijs, & ut hic testatur Apicius noster, Persicis, quæ omnibus nota sunt poma, è Persia ad nos translata, unde & nomen habent. Nec unū eorum genus est, è quibus tamen ante alia in precio sunt à duriciæ & soliditate dicta duracina, quibus corpus ligno adhæret auelliq; nequit, in reliquis facile separatur. Plinius lib. 15. cap. 12. Persicorum palma duracinis. Nationum habent cognomen Gallica & Asiatica. Post autumnum maturescunt. Aestate præcocia intra 30. annos reperta, & primo denarijs singula uenundata. Supernatia è Sabinis ueniunt, popularia undiq;. Pomum innocuum expetitur ægris. Preciumq; singulis iam triceni nummi fuere, nullius maiore, Quod miremur, quia non aliud fugacius: longißima namq; decerpto bidui mora est, cogitq; se uenundari. Sunt qui ex Nicandri interprete huius pomi arborem eandem

esse uelint, quæ tum persica tum persea dicatur, & pomum ipsum uenenatum cum cruciatu gigni in Persia, in Aegyptum deinde translatum factum fuisse mitius & esui aptum. Quod & Columella in carmine innuit hijs uersiculis: Stipantur calathi pomis quæ barbara Persis Miserat (ut fama est) patrijs armata uenenis. At nunc expositi paruo discrimine læti Ambrosios præbent succos, oblita nocendi. Verum hoc falsum esse, & non de persici sed perseæ arboris fructu intelligi debere, testatur Plinius lib. 15. cap. 13. ubi sic scribit: In totum quidem Persica peregrina etiam Asiæ Græciæq; esse ex nomine ipso apparet, atq; ex Perside aduecta. Nam persicæ arbores sero & cum difficultate transiere ut quæ in Rhodo nihil ferant, quod primum ab Aegypto earum fuerat hospitium. Falsum est uenenata cum cruciatu in Persis gigni, & pœnarum causa à regibus translata in Aegyptum & terra mitigata. Id enim de Persea diligentiores tradunt, quæ in totum alia est: mixis rubescentibus similis, nec extra orientem nasci uoluit. Eam quoq; eruditiores negauerunt ex Perside propter supplicia translatam, sed à Perseo Memphi satam. Idem de perseæ non persici fructu testantur etiam Dioscorides & Galenus: quorum testimonia breuitatis causa nunc adscribere omitto, ad Persicorũ naturam transiens. Sunt autem, ut Plinius lib. 23. post prunorum naturam ait, stomacho utiliora persica, succusq; eorum etiam in uino aut in aceto expressus. Nec est alius ijs pomis innocentior cibus. Nusquã minus odoris, succi plus, qui tamen sitim stimulet. Et Dioscorides, Persica stomacho, inquit, accommodata sunt: matura bonam faciunt aluum, acerba adstringunt. Siccata maiores adhuc in adstringendo uires habent. Quæ uero in hoc genere minora sunt & armeniaca paßim dicuntur, à Romanis uero præcoqua, prædictis stomacho magis accommoda. Item Paulus Aegineta lib. 1. Persica, inquit, mali succi sunt, acescunt & facile corrumpuntur, ideoq; in prima mensa sumenda, quo deijciantur protinus, neq; propter moram in uentriculo corrumpantur. Præcocia uero & rhodacina & armenia, persicis meliora sunt, neq; enim acescunt neq; similiter corrumpuntur, ac sunt etiam delectabiliora. Ex quibus illud etiam intelligi potest, quod Celsus lib. 2. tradit: Non quicquid boni succi est, protinus stomacho conuenire: neq; quicquid stomacho conuenit, protinus boni succi esse. Nec illud omittendũ, uidelicet, armeniaca non inter persica ut à Palladio & alijs, sed pruna numerari à Plinio & Columella, cuius post citatos uersiculos hij quoq; statim sequuntur. Quin etiam eiusdem gentis de nomine dicta Exiguo properant mitescere Persica mala. E quibus coniecturare quis posset, priores uersus

de Perseæ arboris fructu, posteriores uero de nostro persico intelligi debe=re: quamuis sint qui omnes de uno & eodē nostro persico pomo, posteriores uero priuatim de præcoquis in eodem genere intelligi posse putent. Sed de hoc certius decernendi, alijs nunc deferimus iudicium: licet nos aliquando in commentarijs nostris in Q. Serenum Plinij sententiam secuti simus. Sed hæc hactenus. Demum de persicis seruandis Palladius in Nouembri mense sic tradit. Duracina seruantur condita muria, & oxymelle, uel detractis ossibus ficorum more in sole siccantur, ac pendent. Item sæpe uidi detractis ossibus duracina melle condiri, & saporis esse iucundi. Item bene seruantur, si umbilicum pomi gutta picis calentis oppleueris, ut sic sapæ innatare co=gantur uase concluso.

Muriam.) Muria, quam Græci ἅλμην uocant, est aqua salsa, quæ si recoquatur, iterum ad naturam suam consumpto liquore redit & sal fit, uti ex Catone liquet libri sui de Re rustica capite 88. ubi candidum salem face=re docet in hunc modum. Salem candidum sic facito. Amphoram defricato, colluitoq́;, puram impleto aqua pura, in sole ponito, ibi fiscellam cum sale po pulari suspendito, & quassato, suppletoq́; identidem. Id aliquoties in die fa cito usq; adeo, donec sal desiuerit tabescere biduum. Id signi erit, menam ari dam, uel ouum demittito, si natabit, ea muries erit, qua uel carnem, uel ca=seos, uel salsamenta condias. Eam muriam in labella, uel in patina in sole po=nito: usq; adeo in sole habeto, donec concreuerit. Inde flos salis fiet. Vbi nu=bilabitur, noctu sub tecto ponito. Quotidie, cum sol erit, in sole ponito. Erat autem in duplici differentia ueteribus muria. Vna qua in uini conditura ute bantur, cuius confectionem & usum lib. 12. ca. 25. docet Columella. Altera quæ dura ab illis uocabatur, ab eodem eiusdem libri capite 6. descripta, quæ quoniam ad olerum, radicum, pomorum, salgamorumq́; omnium conditurās in usu fuit antiquis, ipsam subscribere necessum putaui. Fit autem sic, Doliū quàm patentißimi oris locato in ea parte uillæ, quæ plurimum solis accipit. Id dolium aqua cœlesti repleto, ea est enim huic rei aptißima, uel si non fue rit, pluuialis, certe fontana dulcißimi saporis. In eam tum indito sportam iunceam, uel sparteam, quæ replenda sit sale candido, quo candidior muria fiat. Cum salem per aliquot dies uidebis liquescere, ex eo intelliges nondum esse muriam maturam: itaq; subinde alium salem tandiu ingeres, donec in sporta permaneat integer, nec minuatur: quod cum animaduerteris, scies ha bere muriam maturitatem suam. Et si aliam in id uas facere uolueris, hanc in uasa bene picata diffundes, & opertam in sole habebis, omnem enim mu-

corem uis solis aufert, & odorem bonum præbet. Est aliud muriæ maturæ experimentum. Nam ubi dulcem caseum demiseris in eam, si pessum ibit, scies esse adhuc crudam: si innatabit, maturam. Muria itaq; aqua est salsa quemadmodum & aqua marina & salinarum salsugo uel salsilago, differens tamen ab hijs, quod illa arte paratur, hæ uero natura sunt tales. Porrò de muriæ factura quæ marinæ aquæ idem ualeat, Plinius etiam lib. 31. ca. 6. sic scribit. Verum & hæc cura præuidit inuenta ratione qua sibi quisq; aquam maris faceret. Illud in ea ratione mirum, si plusquam sextarius salis cũ quatuor aquæ sextarijs mergatur, uinci aquam, salemq; non liquari. Cætero sextarius salis cum quatuor aquæ sextarijs salsissimi maris uim & naturam implet. Moderatissimum autem putant supradictam aquæ mensuram octonis cyathis salis temperari: quoniam ita & neruos calefaciat, & corpus nõ exasperet. Et mox capite 8. de salsugine ait: Præter hæc etiamnum appellatur in salinis salsugo, ab alijs salsilago, tota liquida, marina aqua salsior, ui distans.

Spongiabis.) Spongiare Apicio est spongia detergere & emundare, à spongia qua mensis detergendis & emaculandis utebantur ueteres. Martialis: Hæc tibi sorte datur, tergendis spongia mensis Vtilis, expresso cum leuis imbre tumet.

Satureiam.) Satureia herba est fragrantis odoris, & alio nomine thymbra uocata, & inter cunilas etiam numerata. Columella lib. 9. cap. 4. Tum etiam thymbræ, uel nostratis cunilæ, quam satureiam rustici uocant: & mox post, Nostras cunula, quã dixi satureiam. Plinius lib. 19. ca. 8. Thymbra uero quæ sit cunila, hoc apud nos habet uocabulum, & aliud satureia dicta in condimentario genere. Qualis autem herba sit, describit eam Dioscorides lib. 3. ca. 41. Nota omnibus satureia est. Nascitur tenui & aspero solo thymo similis, uerum tamen minor & mollior. Spicam fert flore plenã, colore uiridi. Gratum in sanitate habet usum. Nascitur & satiua satureia agresti in cunctis minus efficax: in cibo tamen utilior, propterea quod non adeo efficaci acrimonia & asperitate est.

IN CAPVT XXVII.

SAles conditi.) Huic Apicianæ salium conditorum compositioni consimilem habes ab Aëtio curandorum morborum lib. 9. ca. 24. de cruditate traditam in hunc modum. Sales Iamblichi. Salis ammoniaci libram unam, salis cappadocici sexuncem, piperis quadrantem, zingiberis quadrantem, seminis cnici scrupulos 18. seminis erucæ scrupulos 16. ammij

ſcrupulos 18. hyſſopi ſcrupulos 18. ſilphij ſcrupulum 1. cacuminum thymi, phylli, ſeminis apij, petroſelini, cuiuſq; ſcrupulos 18. origani unc. 1. Contundito ac cribrato, indeq; dimidium cochlearium, cum ouis ſorbilibus, aut cum ptiſſana ieiunis exhibeto: potes & cum carnium aut piſcium liquamento exhibere, aut quomodocunq; tandem uelis. Huius medicamenti auxiliarem facultatem nemo pro dignitate laudare poteſt. Quare ut breuiter dicam, ad frigidiores temperaturas non reperias aliud pharmacum, quod conuenientius crudos humores concoquat: unde & colicis prodeſt, uentrem citra moleſtiam mediocriter mouens. Neq; ab hijs multum diſtat confectio quam tradit Marcellus medicus in lib. de Medicamentis cap. 30. in hunc modum: Confectio ſalis cathartici, quam Marcellus oſtendit ſic: Salis duri & aſſati P. 1.-2. Salis ammoniaci P. 1.-4. piperis albi-3. zingiberis-4. Inulæ ſeminis-2. ameos-3. hyſſopi cretici-3. laſeris radicis-3. thymi-3. folij-3. apij ſeminis-3. aneſi-3. petroſelini macedonici-3. origani-4. naſturcij ſeminis-3. Hæc omnia tunſa cribrata atq; in pulucrem tenuiſſimum redacta & in unum commixta, repones in uaſe uitreo, & inde quoties aliquid ſumes ſeu bibes, quaſi pro alijs ſalibus uteris. Emendantur hic uitia hæc. Indigeries, phlegma frigidum quod de cerebro deſcendit in ſtomachum: ad omnes humores ſupernatantes ſtomacho qui de felle ruffo concitantur. Ad dolorem quoq; faucium facit, & caliginem detergit, & omnes humores in uiſceribus contractos. Sanat & iecur, & ſplenem, & tuſſem curat, & eos qui uix anhelant reficit. Curat & colum, & morbum articularem compeſcit, digeſtorium mirificum eſt, febres cottidianas temperat, febres acutas compeſcit, id eſt hemitritaicas, quartanas comprimit, mira in omnibus eſt eius commoditas. Amplius ſales condiri olim ſolitos teſtatur etiam Plinius Naturalis hiſtoriæ lib. 31. ubi inter alia de ſale ſcribit hæc quoq;. Ad opſonium & cibum utilior quiſquis facile liqueſcit, item humidior, minorem enim amaritudinem habet. Seruandis carnibus aptior acer & ſiccus. Conditur etiam odoribus additis, & pulmentarij uicem implet excitans auiditatem inuitanſq; in omnibus cibis, ita ut ſit peculiaris ex eo intellectus inter innumera condimenta. Ita eſt in mandendo quæſitus garus. Quin & pecudes armentaq; & iumenta ſale maxime ſollicitantur ad paſtum, multum largiores lacte, multoq; gratiore etiam in caſeo dote. Ergo Hercules uita humanior ſine ſale nequit degere, adeo neceſſarium elementum eſt, ut tranſierit intellectus ad uoluptates animi quoq;. Nam ita ſales appellantur, omniſq; uitæ lepos & ſumma hilaritas, laborumq; requies non alio magis uocabulo conſtat. Varro

etiam pulmentarij uice usos ueteres author est. Esitasse enim salem cum pane & caseo. Maxime tamen in sacris intelligitur authoritas quando nulla conficiuntur sine mola salsa. Hæc ille. Salem Homerus, ut refert Lud. Cælius in antiquis lectionibus, diuinum uocat. Pleriq; autē χάριτα, id est, gratiam, quod pluribus intersitus gustui sapida reddat & grata. A sale salitum deducitur quod sale conditum est, & salinum, uasculum in quo ad mensæ usum sal tenetur. Item salsum & salsamentum quod sale ad ciborum usum compositum est, cuius uenditores salsamentarij & salarij uocantur. Item salgama, conditanea quæcunq; ad uictum nostrum in uasis seruabantur, ut uuæ, sorba, oliuæ, pyra & reliqua quæ in ollis & urceolis adseruabantur. Vnde uas salgamarium, & salgamarij uenditores.

Communis.) hoc est, eius qui in cōmuni & quotidiano ciborum usu est. Sunt autem plura salium genera de quibus copiose Plinius & Dioscorides.

Fricti.) id est, Cremati & torrefacti. Cremantur autem sales, ut lib. 5. docet Dioscorides, hoc modo. In testaceum uas conijcito, & ne dissiliant diligenter operculato, tum carbonibus obruito donec igniti candeant. Vel sic: Aqua eos abluito dimissosq; donec siccentur in fictile conijcito, operculatosq; urito continue miscens donec amplius non dissiliant.

Ammonici.) Lege, hammoniaci, hoc est harenarij, ab harena quæ ἄμμος hammos Græcæ dicitur, sic appellatus, quod sub harenis inueniatur. Plinius lib. 31. ca. 7. Cyrenaici tractus nobilitantur hammoniaco & ipso quia sub harenis inueniatur appellato. Similis est colore alumini, quod scisthon uocant, longis glebis, neq; perlucidis, ingratus sapore, sed medicinæ utilis.

Piperis albi.) Quod supra duo reliqua uentrem roborat, authore Galeno. Piper in triplici differentia habetur, longum, candidum & nigrum. Nascitur autem in India & fronte Caucasi solibus opposita ex arbore breui, iuniperis nostris, ut lib. 12. refert Plinius, assimili, in siliquis, quæ priusquā dehiscant, decerptæ tostæq; sole faciunt quod uocatur piper longum. Paulatim uero dehiscentes per maturitatem ostendunt candidum piper, quod deinde tostum solibus colore, rugisq; mutatur, quod uocatur nigrum piper. Verum & ijs sua iniuria est atq; cœli intemperie carbunculantur, fiuntq; semina cassa & inania, quod uocant brechmasin Indorum lingua sic significante abortum. Hoc ex omni genere asperrimum leuissimumq; & pallidum. Gratius nigrum: leuiusq; utroq; candidum. Piperis arborem iam etiam habet

bet Italia maiorem myrtho, nec absimilem. Amaritudo grano eadem quæ piperi musteo creditur esse. Deest tosta illa maturitas, ideoq; & rugarum colorisq; similitudo.

Zingiberis.) Zingiber cum salsamentis & condimentis in cibo utile. Eligendum autem quod teredinem nō senserit. Est illi calefaciendi uis & natura. Concoctionem adiuuat, aluum leniter mollit, stomachoq; accommodatum. In uniuersumq; piperis uires paulo minus quàm totas æquat, ut tradit Dioscorides.

Ammeos.) Ammi exiguum semen est, multo exilius quàm cyminū, authore Dioscoride: cui tamen simillimum, ut lib. 20. tradit Plinius. Quidam Aethiopicum cuminum id esse existimant. Hippocrates regium appellat, uidelicet quia efficacius in Aegypto iudicauit. Pleriq; alterius naturæ in totum putant, quoniam sit exilius & candidius. Similis autem & huic usus. Nam & panibus Alexandrinis subigitur & cum alimentis interponitur. Inflationes & tormina discutit. Vrinam & menstrua ciet. Colorem quoq; bibentium similiter mutat in pallorem.

Thymi.) Thymus, inquit lib. 3. Dioscorides, exiguus, surculosusq; frutex est, minutis angustisq; & multis folijs circumuolutus. In summo capitula floris purpurascentis habet. Oportet ipsum, ut lib. 21. præcipit Plinius, colligi in flore & in umbra siccari. Duo eius genera, candidū & nigricans. Floret autem circa solstitia, cum & apes decerpunt, & augurium mellis est. Prouentum enim sperant apiarij large florente eo. Potest cum sale & aceto potus per inferna pituitam ducere, authore Dioscoride. Suspiriosis & anhelantibus, orthopnoicisq; opitulatur eius cum melle decoctum, mixtus melli in eclegmate exscreabilia facit pectoris uitia. Hebetibus oculis in cibo sumptus opitulatur. Vtilis etiam pro condimento in sanitatis usu. Celsus thymum mali succi & alienum stomacho, item urinam mouere & sensum excitare dicit.

Apij.) Apio, inquit lib. 20. Plinius, gratia uulgo est. Nanq; rami largis portionibus per iura innatant, & in condimentis peculiarem gratiam habent. Pisces quoq; si ægrotent in piscinis apio uiridi recreantur. Verum apud eruditos non aliud erutum terra in maiore sententiarum authoritate est. Distinguitur sexu. Chrysippus fœminam esse dicit crispioribus folijs & duris, crasso caule, sapore acri & feruido. Dionysius marem nigriorem, breuioris radicis. Est autem omnibus, ut Dioscorides tradit, quibus & coriandrum accommodatum apium. Stomachi ardores mitigat, urinam cit, sed effi

catius semen: soluit inflationes, miscetur'q; præsenti utilitate his quæ somno dolorem leuant, & quæ contra uenenata & tußim conficiuntur.

Si apij semen mittere nolueris.) Scilicet tanquã noxium. Cum Chrysippus & Dionysius dicant apium, ut refert Plinius, ad cibos non admittendum, imò omnino nefas, cum defunctorum epulis feralibus dicatum, & ipsius uisus claritati inimicum sit, & qui ederint sterilescere mares fœminæue credantur. In puerperijs uero ab eo cibo comitiales fieri qui ubera hauriunt. Eaq; causa est, ut inter nefastos frutices damnetur.

Petroselini.) Petroselinon apiorum generis est, sic dictum quod in petris et saxis nascitur, locisq; asperis. Plinius, Alio genere petroselinon quidam appellant in saxis natum. Latine ratione eadem petrapium & saxatile apium dicere poteris. De hoc Dioscorides sic tradit. Nascitur petroselinon in Macedonia præruptis locis. Semen habet ammi simile, odoratius tamen acre, & a omati simile, trahit menses, & urinam cit. Stomachi & coli inflationibus, torminibusq; medetur, ac lateris, uesicæ, renumq; doloribus in potione sumptum. Est autem aliud à nostri temporis uocato petroselino, quod apium est satiuum aut montanum.

Origani.) Origanum quod in sapore cunulam æmulari dicit Plinius, plurium est generum, quibus tamen communis usus est, & omnibus similis, eademq; uirtus, authore Paulo Aegineta. Inter quæ præcipuam laudem multis locis in ciborum usu habet quæ à gente & ciuitate ponti Heraclia, ubi optima prouenit, cognominata est. Cruditates, authore Dioscoride, discutit, & stomachi morsus ex aqua calida lenit, nigram bilem per inferna trahit, & iecoris uitia emendat, & contra uenena efficax est.

Broci.) Legendum ex antiquo manu scripto exemplari, Erucæ seminis. Plinius li. 19. de eruca ait: Eruca frigorum cõtemptrix, diuersæ est quàm lactuca naturæ, ueneris concitatrix. Iccirco iungitur illi ferè in cibis, ut nimio frigori par feruor immixtus temperamentum æquet. Et lib. 20. inquit, In condiendis opsonijs tanta est suauitas, ut Græci εὔζωμον appellauerint. Adiuuat, ceu lib. 2. tradit Dioscorides, concoctionem & bonam facit aluũ. Vtuntur & semine in condiendis opsonijs, seruantq; id ut diutius perennet aceto, lacteue maceratum in pastillos conformantes. Mali succi est & acris, & urinam mouet, authore Celso.

Piperis nigri.) Quod gratius in cibis est, & quod tempestiue maturuerit odoratius, condiendis opsonijs utilius.

Cheochi.) Lege, Cnici seminis, quemadmodum in Aëtio. Est autem

cnicos

cnicos herba aculeata, quam Cartamum nunc uocant: cuius semine in opsonijs utuntur. Tunditur id, daturq; expressus ex eo succus ad purgandam aluum in aqua dulci aut gallinacei esculento iure. Stomacho tamen nocet, author Dioscorides.

Hyssopi Cretici.) in Creta nati. Hyssopus, authore Dioscoride, excalefaciendi, extenuandiq; uires habet. Probatissimum quod in Cilicia nascitur. Prodest pulmonarijs, suspiriosis, antiquæ tußi, catharro. Ventris lumbricos necat. Purgat per inferna & pituitosa ciet, authore Hippocrate.

Folij.) Scilicet nardi, de quo dictum est in præcedentibus.

Anethi.) Anethum herba nota & in multo nunc medicinæ, & non minore antiquis in cibario usu, ceu Plinius lib. 19. testatur inquiens: Anisum & anethum culinis & medicis nascuntur. Anetho calida uis est & natura. Ructus mouet & tormina sedat, ceu lib. 20. tradit Plinius, aluum sistit, singultus cohibet. Semen feruens olfactum. Sumptũ ex aqua sedat cruditates. Oculos & genituram hebetat. Et cinis eius uuam in faucibus leuat. Estq; ut Paulus Aegineta testatur, somnificum. Et quod Hippocrates ait, sternutamentum sedat odore. Item mali succi est, inflationes leuat, aluum mouet & urinam, authore Celso.

IN CAPVT XXVIII.

OLiuas uirides.) hoc est, recentes & adhuc uirentes antequam nigrescere incipiant. Nigritia enim uitio proxima, non maturitatis initium, ut falsus hominum error existimat. Constant autem oliuæ, nucleo, oleo, carne, amurca. Sanies est hæc eius amara. Fit ex aquis, ideo siccitatibus minima, riguis copiosa. Suus quidem oliuæ succus est oleum. Cui natura tepefacere corpus & contra algores munire. Eidem feruores capitis refrigerare. Vsum eius ad luxuriam uertere Græci uitiorum omnium genitores in gymnasijs publicando. Potum in ieiuno lumbricos interficit & expellit, & ex aqua potum uenena fugat, omniq; oleo mollitur corpus, uigorem & robur accipit, author Plinius.

In illud.) Legendum puto, In muriam. Et hoc ideo potißimum, quia Cato, ut lib. 15. refert Plinius, non alio ullo modo laudat condi oliuas optime orchites & posias quàm uel uirides in muria uel fractas in lentisco.

Oleum uiride.) Vocatur oleum uiride, quod ex uiridi adhuc bacca exprimitur, cuius defectum cum timemus, qualiter is instaurari poßit, docet nunc Apicius noster. Vetustas enim, ut Plinius ait, oleo tædium affert, non item ut uino, plurimumq; ætatis annuo est, prouida si libeat intelligere natu

ra. Quippe temulentiæ nascentibus uinis uti necesse non est. Quinimo inuitat ad seruandum blanda inueterati caries. Oleo noluit parci, fecitq; ueteratum ea necessitate promiscuum.

IN CAPVT XXIX.

CVminatum.) Cuminatum est condimentum à cumino sic dictum, quemadmodum à pipere piperatum, & alia. Cuminum uero, ut inquit lib. 3. Dioscorides, ori gratum, suaueq; est, & in eo Aethiopicum magis: quod Hippocrates, regium appellauit. Calefaciendi, siccandiq; uires habet. Plinius lib 19. Condimentorum tamen, omniumq; fastidijs cuminum amicißimum. Idem lib. 20. In eo magnus usus in stomachi præcipue remedijs. Discutit pituitas & inflationes: tormina quoq; & intestinorum dolores. Verum tamen omnem pallorem bibentibus gignit.

In ostrea & conchylia.) Ostrea firmioris testæ pisces dicuntur, similiter & conchæ, conchylia & alia. Ostrea quidem, quæ asperam & scabram testam habent, quamuis generali nomine ostrea quoq; conchæ uocentur. Dictaq; sunt ostrea ἀπὸ τοῦ ὀστράκου, id est, à testa, quam Græci sic uocant. Conchæ uero dicuntur quæ leuem atq; politam, siue uniformiter rugatam denticulatámue testam habent: quamuis testæ ipsæ duriores proprie conchæ dicantur quales sunt cochlearum. Estq; Græcum uocabulum concha, nam κογχὴν ipsi dicunt. Et inde κογχύλιον conchylium, quod nunc pro genere ipso concharum à quibus nomen sumpsit, ponitur: nunc uero per excellentiam de murice dicitur, diuersum à purpura, quæ potius inter conchas numeranda uenit, murices uero ob corticis scabriciem inter ostrea.

Ligusticum.) Ligusticum herba plurimum in Liguria nascitur, unde & nomen inuenit. Virtutis calorificæ. Concoctiones adiuuat, interaneorum doloribus accommodata semen & radix, & stomachi inflationibus. Oxyporis utiliter miscetur radix & semen, & hijs quæ adiuuandis concoctionibus conficiuntur. Stomacho utilißimum ligusticum, ideoq; pro pipere ad opsonia & pulmentaria utuntur eo Ligures, author Dioscorides lib. 3. item Plinius lib. 19. ait, Ligusticum syluestre est. In Liguriæ suæ montibus seritur. Vbiq; suauius satiuum, sed sine uiribus. Panacem aliqui uocant: & id, quoniam, ut Dioscorides ait, & radix & caulis & uires Herculeo panaci similes sunt, tota planta odorata est.

Mentham siccam.) Mentham aridam, quæ odoratißima est. Plinius li. 21. ca. 7. Hortensium odoratißima quæ sicca, ut ruta, mentha, apium & quæ in siccis nascuntur. Est aũt herba nota, cuius nomen, ut idem lib. 19. ait,

ait, suauitas odoris apud Græcos mutauit, cum alioqui mintha uocaretur: (Hedyosmo illi nomen est) unde ueteres nostri nomen declinauerunt. Grato mentha mensas odore percurrit in rusticis dapibus. Et lib. 20. idem ait: Menthæ ipsius odor animum excitat, & sapor auiditatem in cibis. Et in uniuersum, ut lib. 3. infit Dioscorides, stomacho accõmodata mentha est & in condimentorum usum multifariam recipitur. Celsus eam inter urinam mouentia numerat inquiens: Vrinam autem mouent quæcunq; in horto nascentia boni odoris sunt, ut apium, ruta, anetum, ocimum, menta.

Malobathrum.) Malabathrum est folium indi, quod olim folium simpliciter dicebatur, unde & malabathrinum unguentum scriptoribus sæpius foliatum dictum est. Apicius tamen noster folij nomine pro nardi folio utitur. Verum de malobathro inter alia scribit Dioscorides sic: Opinantur pleriq; Indicæ nardi folium malobathrum esse odoris similitudine decepti. Multa siquidem sunt nardo in odore similia; qualia sunt phu, asaron & niris. Sed non sic se habet. Proprium enim malobathro genus est. Nasciturq; in Indiæ lacustribus locis, nihil aliud quàm folium in aquis lacustris lentis modo fluitans & nullis radicibus hærens. Id colligentes incolæ funiculo statim traijciunt, siccatumq; seruant. Optimũ recens & in nigredine albicans: item quod frangenti contumax est nec facile discerpitur. Quod odoris sui halitu sensum tentat, eademq; odoris bonitate diutius permanet. Quod nardi odorem refert nullo salis sapore & gustu. Stomacho accommodatum est & urinam cit. Subijcitur & linguæ ad oris halitusq; suauitatẽ. Quin etiam uestibus interponitur tueturq; irrosas & odoris suauitate gratiores facit. Hæc ille. Est & alterum malabathrum arboreum à Plinio lib. 12. ca. 27. descriptum, & est folium arboris cuiusdam in Syria nascentis.

IN CAPVT XXX.

Laseratum.) Condimentum à lasere sic dictum, quemadmodum acetum laserpitiatum à laserpitio, multi quondam usus. Est autem laserpitium planta quæ laser etiam dicitur & Græce Silphion, de quo lib. 19. postquam de tuberibus egit & fungis, Plinius sic prodit. Ab hijs proximum dicetur authoritate clarißimum Laserpitium, quod Græci Silphion uocant, in Cyrenaica prouincia repertum: cuius succum uocant laser magnificum in usu, medicamentisq;: & ad pondus argentei denarij pensum. Multis iam annis in ea terra non inuenitur, diuq; iam non aliud ad nos inuehitur quàm quod in Perside aut Media aut Armenia nascitur large, multo infra Cyrenaicum: id quoq; adulteratum gumi aut Sagapenio aut faba fracta. Ex

hoc succus duobus modis capiebatur: è radice atq; caule. Et hæc duo erant nomina Rhizias atq; Caulias. Vsus in multis medicaminibus. Caulis cibis quocunq; modo aptus. Totus siquidem & elixus estur. Feruntq; quadraginta diebus corpora purgare.

Laser Cyrenaicum.) Succum laserpitij Cyrenaici, qui & opos Cyrenaicus & lac Cyrenaicū appellatur à regione in qua optimum nascebatur laserpitium. Vnde & laserpiciferas Cyrenas uocat Catullus.

Parthicum.) Varijs locis nasci laserpitium ex Plinio paulo ante patuit. Parthicum autem uocatur quod & Persicum à regione à qua importabatur. Est enim Parthia quæ & Persis olim uocata. Plinius lib 6. ca. 13. Persarum regna quæ nunc Parthorum intelligimus. Et eiusdem libri ca. 25. ait: Ipsa Persis aduersus occasum sita obtinet littora D.L. M. passuum, etiam in luxum diues, in Parthorum iam pridem translata nomen.

Laseris radicem.) Laseris uocabulo sine adiuncto pro succo utitur Apicius noster, licet & pro planta ipsa aliquando accipiatur: cum adiuncto uero pro plantæ parte quam adiunctum exigit, ut nunc pro radice, adiuncto id postulante. Calefacit autem & ægre in cibo concoquitur: pota uenenis aduersatur. Vtuntur ea etiam ad intinctus, miscentq; sali grato sapore cibos commendantes, ut tradit Dioscorides.

Careum.) Plinius li. 19. Peregrinum & Careum gentis suæ nomine appellatum culminis principale. Laudatißimum in Caria, proximum Phrygia. Item Dioscorides lib. 3. Caron exiguum, notumq; omnibus semen est. Calefacit, urinam cit, stomacho accommodatum & in cibo gratum est. Concoctiones adiuuat. Vtiliter antidotis & oxyporis miscetur. Aniso proportione respondet. Radix elixa pastinacæ modo edendo est.

Silfi folium.) Legendum distunctim cum interposito puncto, ut diuersarum plantarum sint indices uoces, sic: Silphion, folium. Per folium intelligendo id quod nardi est, de quo dictum est in præcedentibus. Per Silphion uero laserpitij caulem uel folia. Nam quod Dioscorides testatur, caulem aliqui priuatim Silphion uocant. In bonitatis autem censu post succum qui aliarum omnium partium efficacißimus est, secundo loco uim folia habent. Postremus omnium caulis.

Spicam Indicam.) Spicam nardi Indicæ. Nam duo nardi genera, ut tradit Dioscorides, uocaturq; Indica altera: Syriaca altera: haud sane quia in Syria & India proueniant, sed quod montis in quo nardus nascitur altera pars Syriam, altera Indiam spectat.

IN CAPVT XXXI.

OEnogarum.) *id est,* οἰνόγαρον, *quasi uinigarum. Condimenti genus, uinum cum garo significans,* οἶνος *enim id est oenos* Græcis *uinum est. Quid autem sit garus, dicetur in sequentibus.*

Coriandrum.) *Vulgo notum est Coriandrum. Vis magna, inquit lib.* 20. *Plinius, ad refrigerandos ardores uiridi. Sanat uentris & intestinorum fluctiones semen ex aqua potum. Bibitur in choleris cum ruta.* M. *Varro coriandro subtrito cum aceto carnem incorruptam æstate seruari putat. Semen, inquit lib.* 3. *Dioscorides, maiore copia sumptum mentem non leui periculo tentat. Ea propter copiosiorem continuumq; eius usum cauere oportet. Et li.* 6. *ait:* Non potest ob odorem latere coriandrum. *Vocem haustum exasperat, & ebrietati similem cum turpi loquacitate furorem facit. Toto corpore eius qui id hauserit coriandri etiam odor sentitur. Remedio est salsum gallinaceorum anserisue esculentum ius & cum lixiuia passum. Quæ & Paulus Aegineta quoq; testatur lib.* 7. *Quare ob nocumentum simplex non edendum est, sed aceto, ut fieri solet, præparatum & Sacchar o inuolutum, quo in tertia mensa & post alios cibos commode utemur ad reprimendum uapores caput petentes.*

Ruta.) *In præcipuis, ait lib.* 20. *Plinius, medicaminibus ruta est. Pro antidoto ualet folijs tritis & ex uino sumptis. Cruditates discutit, mox inflationes, dolores stomachi ueteres. Bibitur & ad pectoris dolores, laterumq; & lumborum. Tusses, suspiria, pulmonum, iocinorum, renum uitia, horrores frigidos. Ad crapulæ grauedines decoquuntur folia poturis: & in cibo uel cruda uel decocta conditáue prodest. Sed mali succi est & acris, authore Celso, item urinam mouet & sensus excitat. Paulus Aegineta citra sufflationem esse dicit, & ideo extinguēdo spiritus, ueneris appetitum cohibere.*

IN CAPVT XXXII.

OXyporum.) *id est,* ὀξύπορον, *dicitur condimentum quod ex aceto fit: sic dictum quod aceto conditum ad intinctus seruaretur. Qualia autem antiquis essent oxypora & quomodo conficerentur, docet etiam Columella lib.* 12. *cap. ultimo. Et inde dicuntur exyporopolæ uenditores. Habes oxyporon hoc quasi idem repetitum ab authore infra li.* 3. *capite de intubis & lactucis. Oxypora dicuntur etiam remedia præsentanea, hoc est, celeriter iuuantia & cito penetrantia. Plinius de iunipero, miscetur & antidotis oxyporis.*

Nitri.) *Infra lib. 3. de oleribus ubi condimentũ hoc quasi ad uerbum repetitur, nitrum non adijcitur. Est autem nitrum salis genus & cuius natura non multum à sale distat, imò æquales uires habet. Magnus nitro usus est: hoc candorem opsonia cõtrahunt, tenerescuntq; eo multa, præsertimq; herbarum radices.*

Dactylorum pinguium.) *Palmularum succosarum. Sunt autem palmulæ siue dactyli palmæ arboris fructus, qui, ut Plinius lib. 13. tradit, non inter folia ut in cæteris, sed suos inter ramos palmitibus racemosus, iniquus capiti, unde & nomen Caryotæ. In Oriente ex dactylis uina, gentiumq; aliquibus panis: plurimis uero etiam quadrupedum cibus. Et lib. 12. ait idem, Myrobalano in unguentis similem proximumq; usum habet palma in Aegypto quæ uocatur adipsos, uiridis, odore mali cotonei, nullo intus ligno. Colligitur autem paulo antequã incipiat maturescere. Quod relinquitur phœnicobalanus uocatur, & nigrescit, uescentesq; inebriat. Porrò de hijs Dioscorides li. 1. sic scribit: Nascitur in Aegypto palma, colligũturq; ex ea palmulæ autumno paulo antequam maturescere incipiant nascentibus in Arabia myrobalanis similes. Vocaturq; palmula hæc à copia succi quo sitim arcet πῶμα, id est, poculum: colore uiridis, mali cotonei odore. Eadem si usq; ad totam maturitatem in arbore relicta fuerit mutato colore & nomine phœnicobalanus dicitur. Est autem prior illa acerbo sapore & adstringendi uim habet. Phœnicobalani uero maiore adstringendi ui recentes quàm siccæ capitis dolores faciunt: & si maiore copia edantur, inebriant. Siccæ sanguinem expuentibus in cibo præcipue prosunt. Item stomachicis, hoc est, cibum in stomacho non continentibus, & contra intestinorum tormina. Quæ uero in palmularum genere à noxa & dolore capitis quem faciunt caryotides dicuntur, faucium asperitatibus cum pineis nucleis in cibo medentur. Thebaicarum uero decoctum sitim in febre causone sedat. Vires à ualetudine se recolligentibus acquirit cum uetere dulci, aqua sumptum. Ipsæ etiam Thebaicæ palmulæ in cibo idem præstant. Fit ex eis præterea uinum quod eadem potestate & efficacia est. Potum præterea per se earum decoctum, gargarizatumq; egregrie adstringit & reprimit. Palmulæ item boni succi sunt & stomacho idoneæ, aluumq; adstringunt, authore Celso.*

Aethyopicum.) *Quod cæteris præfertur, deinde Aegyptium, tum reliquum omne, authore Dioscoride. Plinius item lib. 19. ait, Aethiopico, Aphricoq; palma est: alij huic Aegyptium præferunt.*

IN CAPVT XXXIII.

Hypo-

HYpotrimma.) id est, ὑπότριμμα, quod est, ut Hesychius in lexico ait, ἐκ φοίνικος καὶ μέλιτος καὶ κυμίνου καὶ ἄλλων τινῶν ἀρτυμάτων ἔργον, hoc est, ex dactylis & melle & cumino & alijs quibusdam condimentis opus.

Vuam passam.) Vua passa dicta est à patiendo, quæ in siccando passa est solem. Plinius lib. 14. Quin & à patientia nomen acinis datur passis. Et hinc uino etiam nomen est quod paßum uocatur. Quæ qualia sint & quomodo fierent, docet Columella lib. 12. & Palladius in Octobri mense. Porrò in uuis paßis, ut lib. 5. tradit Dioscorides, adstringendi maiore ui albæ quàm nigræ sunt. Confert faucibus, tußientibus & uesicæ in cibo earum caro. Intestinorum torminibus cum nucleis suis eædem per se prosunt in cibo sumptæ. Paulus Aegineta li. 1. ait: Vuæ passæ calidiores sunt, stomachoq; aptiores, atq; reliquis uuis magis alunt, sed minus aluum soluunt.

Caryotam.) Caryota palmula est, sic dicta quod capiti noceat, de qua iam ante dictum est inter dactylos. Huius frequens usus est in condimentis, ceu uidere licet in sequentibus.

Caseum dulcem.) Caseum recentem non salitum. Qui nutrit in cibo, stomacho utilis est, facillimeq; digeritur, corpus auget, aluum leniter mollit. De caseo Paulus Aegineta lib. 1. sic decernit: Caseus omnis acris est, sitim excitans, coctu difficilis, mali succi, calculum gignens. Innocentior uero est, qui recens est, laxus, mollis, suauis, & modico sale conditus: qui uero aliter afficitur, peßimus est.

Cariotam.) Huius ultimæ dictionis loco lege, Carænum, de quo & defruto dictum est in præcedentibus. Et quoties in sequentibus inter liquores hanc dictionem positam repereris pro ea substitue carænum.

IN CAPVT XXXIIII.

OXygarum.) id est, ὀξύγαρον, condimenti genus est acetum cum garo significans. De aceto, cuius frequens in condimentis usus est, Plinius lib. 14. sic ait: Acetis nequitiæ inest uirtus magnos ad usus & sine quis uita mitior degi non poßit. Et lib. 23. Aceto, inquit, summa uis est in refrigerando, non tamen minor in discutiendo: ita fit ut infuso terræ spumet. Cibos autem & sapores non alius magis succus cõmendat aut excitat quàm acetum, putredinemq; & corruptionem à rebus prohibet.

Digestibile.) hoc est, quod digestionem & ciborum concoctionem adiuuat.

Semunciam.) *hoc est, unciam semis siue dimidiam.*

Silphi Gallici.) *Lege, Silis Gallici. Est autē sil siue sile, quod & seseli dicitur, cuius plura genera, ceu Aethiopicum, Peloponesiacum, montanum de quo infra lib. 3. & Maßiliense quod Gallicum uocat Apicius: & Dioscorides fœniculi folia habere dicit, caulem tamen craßiorem, & umbellam anetho similem, in qua semen est angulosum, longum, & in cibo acre: radice longa & odorata. Calefaciunt radix & semen: bibunturq; utiliter contra uesicæ stillicidia, & orthopnoicis prosunt & comitialibus: faciuntq; ad interaneorum uitia omnia. Adiuuat concoctiones potum cum uino semen, soluit tormina. Viatores contra frigora cum pipere & uino utiliter id bibunt.*

Cardamomi.) *Cardamomum semen est quod ex ultra marinis partibus Armenia, India, Arabia & alijs adfertur. Eligendum quod frangenti contumax repugnet, quod plenum, præclusumq; est. Quod enim tale non erit, uetustate exoleuit & bonitatem amisit. Quod odore item sensum tentet, gustu acre & subamarum sit. Virtutis calidæ. Facit ad tußim, comitiales, tormina, coxendices, nephritin, testante Dioscoride.*

IN CAPVT XXXV.

MOrtaria.) *Antiquus manu scriptus codex habet moretaria, forte legendum moreta. Vtcunq;, intelliges condimenta & moreta quæ in mortario coquinario tunduntur & condiuntur, quæ & intrita & intrimenta protrimentaq; uocantur: item intinctus & embammata quæ in mortario ex diuersis rebus simul tritis, uarij saporis & coloris plurifariam condiuntur: ueluti piperatum, sinapium, alliatum & alia, omnia à rebus è quibus fiunt nominata.*

Fœniculum.) *Fœniculum ferulacei generis planta est nota, de quo lib. 20. ait Plinius. Id ipsum condimentis prope omnibus inseritur. Oxyporis etiam aptißime. Quin & crustis subditur panis. Semen stomachum dissolutum adstringit uel in febribus sumptum. Nauseam ex aqua tritum sedat. Pulmonibus & iocinoribus aptißimum. Ventrem sistit cum modice sumitur. Vrinam excitat & tormina mitigat totum decoctum, lactisq; defectu potum mammas replet. Radix cum ptisana sumpta renes purgat siue decocto succo siue semine sumpto. Prodest & hydropicis radix ex uino cocta. Et ad alia multa utile tum in sanitatis, tum medicinæ usu.*

ANNOTATIONES IN SECVNDVM LIBRVM APICII CAELII

Gabriele Humelbergio Medico authore.

SArcoptes, id est, Σαρκόπτης, carnisecus. Quo nomine inscriptus est hic liber secundus à carniū insectione, eo quod in ipso de carnium incisarum edulijs & condimentis eorum præparandis agitur, à σὰρξ, quod carnem significat, & κόπτω incido. Docet autem non solum animalium terrestrium & in aere uolatilium, sed & in aquis piscium quoq; carnium præparare & condire cibaria.

IN CAPVT I.

ISicia.) Isicia sunt quæ proprie ab insecatione insicia dicuntur, authore Macrobio, qui ait: Isicium quod ab insecatione insicium dictum: amissione enim literæ postea quod nunc habet nomen obtinuit. Sunt autem edulia & cibaria ex carne concisa & insecta, facta: quæ nunc per se, nunc reticulo & omento circumdata in sartagine, alijs etiam iunctis rebus, & aromatibus aliquando, cum adipe aut oleo, butyróue friguntur. Alio nomine Tomacula siue per syncopen Tomacla & Tomacinæ aliquando uocantur, ἀπὸ τῆς τομῆς, id est, à sectione & incisura. Insicia etiam aliquando farcimina significant, quæ carne concisa fartis id est impletis intestinis fiunt.

Marina de cammaris & astacis &c.) Enumerat nunc pisces marinos aliquot é quorum carne & pulpis carnosis lauta & opipara fieri possunt isicia, docendo simul qualibus oportune condiri debeant condimentis. Suntq; cum primis eius generis pisces cammari & astaci. Vbi animaduertendum est quod Apicius Cammaros per astacos interpretatur, tanquā usitatiore & notiore fortaßis ætate sua uocabulo, sicuti & nostro quoq; æuo multa Græcorum nomina usitata & nota magis sunt Latinis. Accipiturq; coniunctiua illa particula, Et, expositiue pro, id est. Sunt enim astaci qui & cammari, Theodoro Gaza interprete, & è piscium genere quod sanguine caret, & tenui crusta integitur, malacostracon à Græcis appellatum & crustatum à Theodoro uersum, licet Plinius cancri nomine interpretatus sit li. 9. ubi ait: Cancrorum genera carabi, astaci, carides, mææ, paguri, heracleotici, leones & alia ignobiliora. Ceu cancer genus sit & species. Sunt autem astaci seu cammari, ut putamus, hij quos nunc uulgo cum Plinio, non generis sed speciei nomine & priuatim cancros appellamus, sed ut

aliqui uolunt parui admodum & teneri. Cæterum cancri ueris principio senectutem anguium modo exuunt, renouatione tergorum. His uita longa. Pedes octoni omnibus in obliquum flexi. Fœminæ primus pes duplex, mari simplex. Præterea bina brachia denticulatis forcipibus. Superior pars in primoribus his mouetur, inferiore immobili. Dextrum brachium omnibus maius. In pauore retrorsum pari uelocitate redeunt. Autũno & uere pinguescunt, & plenilunio magis. Aristoteles tamen libro 4. de historia cancros uidetur appellare eos tantum quibus corpus rotundum est, cum locustis, squillisq; longum sit. Cæterum cancri difficilis concoctionis sunt, cocti uero asthmaticis & phthisicis prosunt: præstantq; ad isicia facienda materiam, euacuata testa, ipsorum carne ex cauda & chelis tusa: & per se quoq; mensis conueniunt cocti ex uino & pipere, seu ex aqua, aceto & sale, aut ablata testa in oleo butyróue fricti in sartagine, & præsertim parui.

De loligine.) Loligo quæ Teuthis Græce dicitur, piscis est sepiæ similis, oblongior & angustior: nigrum illum humorem atramentum uocatum etiam obtinens. Dicta quidem Loligo quasi uoligo, ut scribit Varro, quoniam extra aquam uolitet. Nam Plinio teste: Loligo etiam uolitat extra aquam se efferens: quod & pectunculi faciunt sagittæ modo. Et Oppianus halieuticon lib. 3. ait: Loligo atq; alij qui findunt aera pisces. Sanguine caret & é mollium genere est, quæ Græci malaca uocant, eo quod non squamma, non testa, non cute dura aut aspera, sed carne molli obducta sunt. Nam quæ tenui crusta integuntur, Græci malacostraca, id est, crustata dicunt. Testis uero conclusa duris & siliceis, ostracoderma uocant, omnia é sanguine carentium genere. Nam piscium quidam, ut Plinius lib. 9. tradit, sanguine carent. Quorum tria sunt genera. In primis quæ mollia appellantur. Deinde contecta crustis tenuibus. Postremo testis conclusa duris. Mollia sunt loligo, sepia, polypus, & cætera eius generis. His caput inter pedes & uentrem, pediculi octoni omnibus. Sepiæ & loligini pedes duo ex his longißimi & asperi, quibus ad ora admouent cibos, & in fluctibus se uelut anchoris stabiliunt, cum quibus uenantur. Quæ piscium sanguine carentium genera ab Aristotele etiam lib. 4. de historia ponuntur, ubi ait: Nunc ordinem animalium quæ sanguine carent, persequemur. Genera in hoc ordine plura sunt. Primum quæ mollia appellauimus, hoc est, quæ sanguine carent, & foris carne molli obducta solidum intus modo sanguinei generis continent, quale sepia est. Secundum quæ crustis tenuibus operiuntur, hoc est, quæ partem solidam foris, mollem carnosamq; intus continent. Durum illud eorum tegmen

non fragile, sed collisile est, quale cancrorum genus & locustarũ. Tertium quæ silicea testa conclusa muniuntur, hoc est, quibus pars carnea intus, solida foris fragilis atq; ruptilis, nõ collisilis, quale genus concharum & ostrearum est. Loligo concoctu difficilis, si uero cõcoctione uincatur, haud parum alimenti corpori præbet, authore Paulo Aegineta li. 1. Et Celsus inter ea numerat quæ intus minime corrumpuntur.

De sepia.) Sepia è piscium sanguine carentium & mollium genere est, eiusdem similitudinis cum loligine, octonis pedibus, solidum intus quoddam insertum continens quod Sepium uocant. Sepiarum generis mares, ut Plinius scribit, uarij & nigriores, constantiæq; maioris: percussæ tridente fœminæ auxiliantur. At fœmina ictu mare fugit. Ambo autem ubi sensere se apprehendi, effuso atramento, quod pro sanguine his est, infuscata aqua absconduntur: quod & Oppianus testatur Halieuticon lib. 3. cum ait: Quin & natiua fœcunda est sepia fraude. Est liquor in tumida concretus turbidus aluo, Qui fuscus piceam superat caligine massam: Cõditus hic humor nutritur corpore, præsens Auxiliũ miseræ, subita formidine capta Atras emittit guttas, & polluit æquor, Obscuratq; uias ponti tenebrosa cruore Permixto sanies piscantis lumina turbans, Auertit uisum & prospectum surripit omnem, Hæc facili cursu pertinctas æquoris undas Effugit horrendos pisces, hominemq; sagacem. Loligo atq; alij qui findũt aera pisces Tales inuenuunt artes: non est liquor ater illis, purpureos potius de corpore fundunt Humores, sed fraude pares astuq; putantur. Cæterum sepiæ atramentum, authore Celso, uentrem mouet. Ipsa elixa sepia mollis est & suauis & facile concoquitur, & bonam aluum facit. Succus uero ipsius sanguinem extenuat & mouet per hæmorrhoidas, ut author est Diphilus, referente Massario. Paulus tamen Aegineta difficilis coctionis esse tradit inquiens: Molles pisces, ut polypi, sepiæ, loligines duri sunt coctioniq; renituntur, præsertim polypi, atq; salsum quodammodo habent humorem. Si uero concoctione uincantur, haud parum alimenti corpori præbent.

De locusta.) Locusta marina quæ Carabos Græce dicitur, crustatorum genus primum est, cui proximum alterum est astacus, à locusta nõ multum differens, quæ crustatorum maxima. Locustæ, inquit lib. 9. Plinius, crusta fragili muniuntur in eo genere quod caret sanguine. Latent mensibus quinis, similiter cancri qui eodem tempore occultantur, & ambo ueris principio senectutem anguium modo exuunt renouatione tergorum. Cætera in aquis natant. Locustæ reptantium modo fluitant. Si nullus ingruat metus,

recto meatu cornibus quæ sunt rotunditate præpilata ad latera porrectis, ijsdem erectis in pauore obliquæ in latere procedunt. Cornibus inter se dimicant. Vnum hoc animalium nisi uiuum feruenti aqua incoquatur, fluida carne non habet callum. Est autem concoctu difficilis, ut author est Paulus Aegineta.

Crinibus.) hoc est, pediculis, cruribus, brachijs.

Mortario.) Mortarium uas est in quo tunduntur teruntúrue pistillo quæ resoluenda sunt. Pistillum uero quo res tunduntur ipsæ.

Plassantur.) id est, finguntur, formantur & conficiuntur, ἀπὸ τοῦ πλάσσειν, quod formare est & effingere.

De squillis.) Squillæ pisces sunt crustatorum generis, quas Græci, quoniam caput maius reliqua parte corporis habent, Carides uocant, authore Athenæo. Suntq́; locustis ferè similes, à quibus differunt quod forcipe careant. Earum generis sunt Gibbæ, craugines, & paruæ quæ maiores nunquam fiunt. Sunt autem quemadmodum & cætera crustata omnia, ut cammari, paguri, cancri, locustæ mensis conuenientia, sed coctu difficilia, ac si sæpe in aqua dulci elixentur, aluum supprimunt, ut author est Paulus Aegineta.

Omentata.) Scilicet isicia, quæ omento inuoluta & circundata fiunt. Omentum uero reticulum est illud pingue & adeps ipse qui intestinis adhæret & illa integit, & zirbus etiam dicitur.

Eneruas.) à neruis purgas. Eneruare est neruos eximere.

Sicut pulpa omentata.) Lego, Sicut assolet pulpa, in omentum.

Assulas.) Partes crassiusculas & asperas, filamentaq́;. Dicuntur enim propriæ assulæ fragmenta à marmorarijs in cedendo marmore dispulsa & quæ frangendis alijs rebus in longitudinem magis quàm latitudinem fragmenta disijciuntur. Et inde fit assulatim aduerbium, quo ueteres pro minutatim usi sunt. Plautus, nisi dedolabo assulatim uiscera.

Exinanies.) Exinanire modo euacuare, modo attenuare est.

Versas.) Versare est uertere, & inter alia significata sua significat aliquando uoluere & agitare.

Tessellas.) id est, parua frustula quadrata. Est autem tessella diminutiuum à tessera, & id est quod omni ex parte quadratum est.

Tracta.) Per tracta intelligo quasdam quasi membranulas, quæ ex candida tenuißima farina cum aqua subacta fiunt. Vtitur dictione Cato in libello de Re rustica in placentarum confectione.

Obligas.

Obligas) *Deuincies, circunduces & inuolues, siue asperges & immisces.*

Volutari.) *Legendum est, boletari, quod uas est boletis seruiens. Vnde illud Martialis, Cum mihi boleti dederint tam nobile nomen, Prototomis, pudet heu, seruio colliculis.*

Ex spongiolis.) *Spongioli fungorum generis sunt. De quibus plura lib. 3. ca. 20.*

Alicam.) *Alica nunc frugis genus est, nunc ex fruge facta farina & inde pulticula uel sorbitio. Pro fruge accipitur à Plinio lib. 18. cap. 7. ubi de frumentis per tempora satis agens inquit. Aliqui uerna, milium, panicum, lentem, cicer, alicam appellant. Et non longe post ait: Tunicæ frumento plures, hordeum maxime nudum & alica. Celsus item lib. 2. ca. 17. Cumq; panificia, inquit, omnia firmißima sint: elota tamen quædam genera frumenti ut alica, oriza, ptisana, uel ex ijsdem facta sorbitio, uel pulticula, & aqua quoque madens panis, imbecillißimis annumerari potest: item cap. 19. Boni succi sunt triticum, siligo, alica, oriza, amylum. Et iterum capite 29. Pulticula uel ex alica uel ex panico uel ex milio, itemq; ex ijsdē sorbitio. Est autem farris adorei genus quod Halicastrum etiam, ut putamus, uocat Columella li. 2. ca. 6. ubi de farris generibus agens sic scriptum reliquit. Adorei autem plerunq; uidimus in usu genera quatuor. Far, quod appellatur clusinum candoris nitidi. Far, quod uocatur uennuculum rutilum, atq; alterum candidū, sed utrunq; maioris ponderis quàm clusinum. Semen trimestre, quod dicitur halicastrū, idq; pondere, & bonitate est præcipuum. Et hoc alicam esse uolunt, Græcorum chondro haud absimilem, teste Paulo Aegineta qui lib. 1. capite de frumentaceis ait: Alica in reliquis quidem chondro haud absimilis est, sed magis aluum supprimit. Demum alica pro pulte etiam accipitur à Plinio & alijs, quæ in sanitatis usu & medicina locum habuit, sed diuersis locis diuersimode præparata, ceu ex Plinio lib. 18. ca. 11. patet, ubi uaria eius genera & conficiendi modos ponit, & è zea quæ semen dicitur, fieri tradit, quemadmodum & Dioscorides. Fiebat etiam ex hordeo, cuius conficiendæ ratio in sequentibus etiam sed operosior & elegantior docetur ab Apicio nostro, qua tamen facilior est & paratior quam in iunio mense docet Palladius hijs uerbis. Hordeum semimaturum, cui adhuc superest aliquid de uirore per manipulos ligabis, & torrebis in furno, ut facile mola poßit infringi, & in modio uno salis aliquantū, dum molitur, miscere curabis, ac seruas.*

Conteres pipere.) *Lege, Teres cum piperis.*

Medulla filigino.) Lege, Medulla siliginea uel siliginis scilicet panis, qui ex siligine factus est. Siligo autem tritici genus est & omnium firmissimum, ut Celsus tradit, & boni succi esse dicit. Columella lib. 2. ca. 6. Secundæ conditionis triticum esse dicit, ubi de seminum generibus agens ait: Prima & utilißima sunt hominibus frumenta triticum & semen adoreum. Tritici genera complura cognouimus. Verum ex hijs maxime serendum est, quod robus dicitur, quoniam & pondere & nitore præstat. Secunda conditio habenda est siliginis, cuius species in pane præcipua pondere deficitur. Tertium erit trimestre, cuius usus agricolis gratißimus. Nam ubi propter aquas, aliamue causam matura satio est omissa, præsidium ab hoc petitur. Id genus est siliginis. Reliquæ tritici species, nisi si quos multiplex uarietas frugum, & inanis delectat gloria, superuacuæ sunt. Plinius li. 18. de siligine ait: Siliginem dixerim proprie tritici delicias, candor est, & sine uirtute, & sine pondere. Et mox post ait: E siligine lautißimus panis, pistrinarumq; opera laudatißima. Præcellit in Italia, si Campana Pisis natæ misceatur. Ruffior illa: at Pisana candidior, ponderosior uero Cretica. Panis siligineus quem siliginten Græci uocant, omni alio magis alit, ut author est Paulus Aegineta. E quibus omnibus facile apparet siliginem hanc à ueteribus celebratā longe aliud esse à frumento quod nostra ætate siliginem & in hac Sueuia nostra Teutonice Rogken uocamus, ex quo panis conficitur niger & plebeius. Et ab aliquibus Tipha, ab alijs olyra creditur.

Baccam mixtam & temperatam.) Lege, baccam myrtheam exenteratam, id est, decorticatam & à cortice purgatam: qua ante aduectum piper loco eius usi memorantur ueteres. Sed de myrtho Plinius lib. 15. ca. 29. sic tradit: Succorum natura præcipuam admirationem in myrtho habet: Quādo ex una omnium olei uiniq; bina genera fiunt. Item myrthidanum ut diximus. Et alius usus baccæ fuit apud antiquos, antequā piper reperiretur, illam obtinens uicem. Quodam etiam generosi opsonij nomine inde tracto, quod etiam nunc myrthatum uocatur. Eademq; origine aprorum sapor commendatur, plerunq; ad intinctus additis myrthis. Vinum etiam fiebat quondam ex myrtho, quod myrthite, myrthatum, myrthidanum & myrtheum uocatur. Cuius confectiones uarias copiose docent rusticæ rei scriptores & alij, quisq; qualis suo tempore fieri consueuerat. Cato libri sui capite 125. Columella lib. 12. Palladius in Ianuario & Februario mense. Plinius lib. 14. Dioscorides lib. 5. Fiebatq; uinum tale nunc ex myrthi baccis tantum, nunc ex ramulis, folijs & baccis simul. Quorū prius illud à Catone sic docetur:

Vinum

Vinum myrtheum sic facito, Myrthum nigram arefacito in umbra, ubi iam erit passa, seruato ad uindemiam in urnam musti contundito myrthæ semodium, id oblinito. Vbi desiuerit feruere mustum, myrthum eximito. Id est ad aluum crudam, & ad lateris dolorem, & ad cæliacum, & si aluus non consistet. Alterum uero cuius confectio Græcis propria fuit tradente lib. 14. Plinio, sic cõficiebatur ut inquit. Græci uero & alio modo. Ramis teneris cum suis folijs in albo musto decoctis tusis libra in tribus musti congijs deferuere faciunt donec duo supersint. Quod ita syluestris myrthi baccis factum est, myrthidanum uocant. Seruabantur baccæ etiam ut libri sui capite 101. docet Cato sic. Virgas myrtheas si uoles cum baccis seruare, & item aliud genus quoduis, & si ramulos ficulneos uoles cum folijs, inter se alligato, fasciculos facito, eos in amurcã demittito, supra stet amurca facito. Sed ea, quæ demissurus eris, sumito paulo acerbiora. Vas, quo cõdideris, oblinito planè. Verum quo instructior sit res familiaris illud adhuc subnectam de oleo myrtheo ex Plinio qui lib. 15. ait: Quinimo oleo quoq;, mirum dictu, inest quidam uini sapor, simulq; pinguis liquor præcipua ui ad corrigenda uina, saccis ante perfusis. Retinet quippe fecem, nec præter purum liquorem transire patitur, datq; se comitem præcipua commendatione liquato. Virgæ quoque eius gestatæ modo uiatori prosunt in longo itinere pediti. Quin & uirgæ annuli expertes ferri inguinum tumori medentur.

Nucleis.) *Hic & in sequentibus quando nucleorum nomine utitur sine adiuncto, tunc semper de pineis intellige, de quibus dictum est lib. 1.*

Caræno.) *Carænum esse mustum coctum cui in coctura una parte absumpta duæ remanserint, diximus priore libro ex authoritate Palladij. An autem ob tertiam cõsumptam partem quod illa careat, nomen adeptum sit, non facile dixerim, nec etymologistis id asserentibus in hoc assentior, licet ita confectum hoc nomine appelletur, utitur hac dictione hijs libris noster Apicius, utitur & Palladius, item Marcellus medicus, & alij quos nos imitantes eandem scripturam & prolationem obseruandam, & non immutandam censemus: non obstante quod ex recentioribus aliqui pro eo legendum uelint Calenum, quoniam è Caleno uino ab authoribus non parum commendato potißimum fieri soleret, idq; ob bonitatem eius quæ nisi unius partis ex tribus in coquendo resolutione indigeret.*

IN CAPVT II.

HYdrogarum.) *Lege, hydrogaratum, hoc est, isicium hydrogaro conditum. Est autem hydrogarum, id est, ὑδρόγαρον, condimenti*

genus aquam cum garo significans quasi aquigarum, ab ὕδωρ quæ aqua est, sic appellatum, & garo.

Apothermum.) Lego, Apodermum, id est, ἀπόδερμον, excoriatum isicium, sic dictum quod ex nucibus depilatis & excorticatis conficiatur, præsertim pineis & amygdalis, à uerbo ἀποδέρω, quod est excorio: & δέρμα est pellis & corium siue cortex.

Ambolatum.) Lege, amylatum, hoc est, isicium cum amylo confectum, sicut piperatum ex pipere, & reliqua. Quid autem sit amylum, dicemus mox in sequentibus.

Phasiani.) Phasianus auis est à phasi Colchorum fluuio sic dicta, unde ad nos adportata. Hinc illud Martialis, Argiua primum sum transportata carina, Ante mihi notum nil nisi Phasis erat.

Pyrethrum.) Pyrethrum herba est caulem & folia dauco & fœniculo similia, umbellam uero anetho similem & rotundam habens: Radicem pollicis craßitudine, longam, sapore maxime feruido. Abundat commanducata hac herba in ore saliua. Ea propter dentium doloribus subuenit cum aceto elixa & decocto illo collutione facta. Commanducata etiam pituitam trahit, ut author est Dioscorides li. 3.

Induces.) Lege, inducet, hoc est, coeat & in unum cogatur.

Ettamen.) Lege, & tum, id est, deinde.

Iolæ floris.) ex antiquo exemplari legendum, Olei floris. Qui quid sit docet nos Plinius lib. 15. ca. 6. cum ait. Premi plusquam centenos modios non probant, Factus uocatur. Quod uero post molam primum est, flos.

Quartarium.) Per quartarium intelligo hic quartam partem libræ quæ continet uncias tres.

Semuncia.) hoc est, uncia semis uel dimidia.

Cenlicem.) ex antiquo exemplari legendum, Calicem. Qui poculi genus est & uas potorium rotunda specie.

Acetabulum.) Acetabulum liquidorum mensura est & quarta pars sextarij continens cyathos tres, authore Aphricano. Plinius tamen hæminæ quartam partem significare dicit, Et Paulus Aegineta sesquicyathum implere acetabulum.

Cochleare.) Minimum mensurarum est cochleare, & octaua pars cyathi.

Peces conditi.) Vtcunq; legeris, siue peces conditi, siue ut manu scriptus codex habet, facies conditi: menda est, & sine intellectu uerba:

quare castigandus locus & emendandus, legendumq́; sales coditos: qui qua les sint, docuit author lib. 1.

De pauo.) Dicitur & pauus & pauo. Ausonius in epigrammate de his quæ sexum mutarint, Pauaq́; de pauo constitit ante oculos. Pauo natura, formæ è uolucribus dedit palmam. Primus hos Q. Hortensius augurali cœna posuisse dicitur, quod protinus factum tam luxuriosi quàm seueri bo ni uiri laudabant, ut scribit Varro.

Vt callum uincant.) id est, ut duriciam superent, hoc est, ut tenerescant & emollescant, citra tamen eliquationem.

Secundum locum habent de cuniculis, item quartum &c.) Hic tertius ordo & quod secundum concernit, deest: quare ex antiquo manu scripto exemplari instaurandus est locus, sic: Secundũ locum habent de phasianis. Item tertium locum habent de cuniculis. Sunt autem cuniculi, leporum generis animalia, sic dicti, quod sub terra cuniculos facere soleant, ubi lateant in agris. Quorum caro melior est quàm leporum.

Isicia multa ab alieno.) Legendum, isicia amylata, id est, amylo confecta.

Voluerit.) Lege, ferbuerit uel bullierit.

Amylo obligas spisso.) hoc est, amyli farina obduces & consperges spissa & crassa. Est enim amylum factitium & frumenti medulla arte præparata, appellatum ab eo quod sine mola fiat. Fitq́; ex omni tritico & siligine. Optimum autẽ ex trimestri. Inuentio eius Chio insulæ debetur, ut lib. 18. tradit Plinius, unde & laudatißimum. Post quod maxime laudatur Creticum, mox Aegyptium. Probatur leuitate, leuore, candore atq; ut recens sit. E siligine quomodo fieret docet libri sui capite 87. Cato in hunc modum. Amylum sic facito. Siliginem purgato bene, postea in alueum indat, eò aquam addat bis in die. Die decimo aquam exiccato, exurgeto bene, in alueo puro misceto bene, facito tanquam fex fiat. Id in linteum nouum indito, exprimito cremorem in patinam nouam, aut in mortarium, id omne ita facito, & refricato denuo. Eam patinam in sole ponito, ut arescat. Vbi arebit, in ollam nouam indito, inde facito cum lacte coquat. Conficitur item ex zea ut author est Dioscorides. Est item frugis genus aliquando significans amylum, ex quo fit illud factitium. In qua significatione Celsus accipit lib. 2. ubi id cum alijs quibusdam inter ea quæ boni succi & stomacho aptißima sunt, connumerat. Est autem tritici generis & maxime trimestris quod sitanium ab aliquibus uocari tradit Dioscorides, qui duo triticei genera agnoscẽs li. 2.

ait: Pyrus, id est, πυρὸς. Romani triticum dicunt. Probatißimum in secunda ualetudine sanis corporibus in usu triticum est recens, quodq; integro incremento creuerit, perfectum & luteo colore est. Laudatur post hoc trimestre: Sitanium ab aliquibus appellatum. Tritico, inquit Plinius, nihil fertilius. Hoc enim natura ei tribuit, quoniam eo maxime alat hominem.

Subruendum feres amulum.) Legendum, & sorbendum feres amylatum.

Luculentum.) ex antiquo scripto exemplari legendum, Lutulentum, id est, spissum & crassum.

Defrutum de cotoneis.) hoc est, uinum cydonite, quod solis ardore in defruti modum & mellis craßitudinem coctum & redactum est. Conficitur autem cydonite uinum, ut li. 5. Dioscorides tradit, hoc modo. Mala seminibus purgato, raporum modo ea concidito: tum in musti cadum mala pondo 12. demissa triginta diebus dimittito, ex eo tempore per colum traiectum uinum reponito. Conficitur & aliter sic. Tundito mala, tusaq; exprimito: mox expreßi succi sextarijs decem mellis unum misceto, sicq; reponito. Habet hoc uinum spissandi uim, stomacho intestinorumq; torminibus accommodatum est: iocinorosis itidem: renum cum urinæ malo aliquo doloribus & urinæ angustijs. Sunt & aliæ cydonite cōfectiones, quas petere poteris à Palladio in Octobri mense.

Camarum.) Lege, caricarum, hoc est, uinum sycite, quod è carica fico confectum decoctione in defruti substantiam redactum est. Fit siquidem è fico sicuti è palmis uinum, quorum confectiones breuiter docet lib. 14. ca. 16. Plinius in hunc modum. Fit & è pomis quæ dicemus interpretationibus non nisi necessarijs additis. Proximūq; ei è palmis, quo Parthi & Indi utuntur, & oriens totus. Maturarum quas uocant & chydeas modio in aquæ congijs tribus macerato expressoq;. Sic fit & Sycites è fico, quem alij Palmiprunum, alij trocin uocant. Aut si dulce esse non libeat, pro aqua tantundem uinaceorum adijciunt. Dioscorides lib. 5. Sumi dicit caricas quæ chelidoniæ aut phœniceæ uocantur.

Orizæ.) Oriza frumenti genus est notum, non pauci usus in cibo. Ex hac ptisana etiam conficitur. Vnde illud Horatij: Sume hoc ptisanarium orizæ. Plinius lib. 18. Italici, inquit, maxime oriza gaudent, ex qua ptisanam conficiunt, quam reliqui mortales ex hordeo. Orizam uulgo Risum appellant, ægre concoquitur, aluum supprimit, & medias in nutriendo uires habet, authore Dioscoride & Paulo Aegineta. Celsus inter res boni succi

&

& quæ craßiorem pituitã faciunt, enumerat, & hijs quæ imbecillis materiæ sunt annumerari posse dicit. Quo pacto autem ptisana ex ea conficeretur docet Paulus li. 1. dicens. Ptisana sic coquitur. Vni eius parti, aquæ quindecim, atq; paulum olei adijce, ac post ebullitionem acetum quoq;. Cum uero exacte iam cocta fuerit, salem tenuem. Sunt qui porrum quoq; & anethum addant.

Expromas.) Expromere uocat proferre, eximere & eijcere.

Oridiam.) Legendum, Orindam. Quæ panis genus est, & ex quo conficitur, semen, Aethiopiæ peculiare & sesamo persimile, quod coquentes uescuntur, ut in lexico author est Hesychius inquiens: ὀρίνδης, ἄρτος, παρὰ αἰθίοψι, καὶ σπέρμα παραπλήσιον σησάμῃ, ὅπερ ἕψοντες σιτοῦνται.

Depilatis.) hoc est, decorticatis, à pelle & cortice depuratis & emundatis. Vnde & condimento isicioq; huic apodermi nomen inditum putamus.

Creta argentaria.) Plinius naturalis historiæ lib. 36. cap. 16. Alia creta argentaria appellatur: nitorem argenteum reddens. Est & utilißima qua circum præducere ad uictoriæ notam, pedesq; uenalium trans mare aduectorum denotare instituerunt maiores.

IN CAPVT III.

VVluulæ.) Vuluulæ dicuntur farciminis genus à uolua, quod in intestinis inuoluantur ad modum uuluæ suillæ, quæ olim lautißimi erat cibi. Vnde inuolucrum etiam illud album & tunicam in oui speciem boletos prorumpentes inuoluentem quod inuoluat ipsos, uoluam appellat Plinius.

Capita porrorum breuia duo à mole purgata.) hoc est, porri spicas & nucleos duos paruos ab integro bulbo separatos & à crinibus & pelle purgatos. Dependent enim à bulbo radiculæ quædam paruæ in modum pili quas crines uocant. Vnde Serenus etiam crinitas porri radices appellat. Et Apicius molis uocabulo, integrum bulbum intelligit, qui respectu nucleorum magnus est, nuclei contra parui & crinium respectu breues.

In materia bene lota.) Legendũ putamus, In mortario bene loto.

Fasciculo.) Fasciculus diminutiuum est à fasce. Fascis autem, lignorum aut alterius cuiuscunq; rei congeries est, quam ligando facimus.

Botellum.) Botelli & botuli uocantur farciminis genus, è carne suilla, adipibus concisis & alijs rebus impletis intestinis: à bolis, hoc est, fru

stulis carnis sic appellati, ut quidam uolunt. Bolus enim cuiusq; rei frustum significat. Botulum nominat Martialis hoc disticho, Qui uenit botulus mediæ tibi tempore brumæ, Saturni septem uenerat ante dies. Botelli uero meminit lib. 11. hoc uersu, Boletos imitatur & Botellos.

Thus crudum.) Lege, Ius crudum. Thuris enim nullus in opsonijs usus: nec eius alicubi in toto opere fit mentio.

IN CAPVT IIII.

LVcanicæ.) Lucanicæ farciminis genus sunt à Lucanis populis sic dictæ, à quibus ex mediocri intestino mulieres Romanæ facere didicerunt. De hijs Martialis est distichon hoc: Filia picenæ uenio Lucanica porcæ, Pultibus hinc niueis grata corona datur.

IN CAPVT V.

FArcimina.) Farcimina dicuntur intestina carne minutim concisa referta. Sic dicta à farciendo id est implendo. Replentur enim uarijs rebus ceu carne frustulatim minutatimq; incisa, sanguine, adipe suillo, aromatibus, sale & rebus alijs. Et inde fartores etiam qui farcimina faciunt.

Disco.) Discus est orbis & instrumentum mensarium super quod carnes & alia cibaria mensæ inferuntur.

Abamine porro.) Legendum, albamine porri, hoc est, porri medulla quæ alba est.

Compendia.) Compendium dicitur quod parsimonia quadam seruamus. Alterum manu scriptum exemplar habet copadia, de quibus plura in sequentibus.

Subassas.) Hic adscribe ex antiquo manu scripto codice hæc uerba: Vel elixum tantũ appones. Aliter circellos isiciatos. Reples intestinum & reliqua ut reddita sunt in textu.

Circellos.) Per circellos intelligit farcimina in circuli formam & rotunditatem effica.

Impensa.) Impensa dicitur quod rei alicui impenditur.

Exornas.) Verbo exornare utitur Apicius pro ordinatim & ornate eleganterq; disponere, collocare & adornare.

ANNOTATIONES IN TERTIVM LIBRVM APICII CAElij Gabriele Humelbergio Medico authore.

CEpuros, id est, κηπουρὸς, *olitor siue hortulanus*, à κῆπος *quod est hortus, & inde etiam* Cepuria *dicuntur hortensia quæ antiqui acetaria nuncupabant ab accipiendo.* Plinius *lib.* 19.*ca.*4. Horti, *ait, maxime placebant quia non egerent igni, parcerentq; ligno.* Expedita *res & parata semper, unde acetaria appellabantur.* Facilia concoqui,*nec oneraturo sensum cibo, & quæ minime accenderent ad desiderium panis.* Pars *eorum* ad condimenta *pertinens fatetur non domi uersuram fieri solitam. Estq; hortus omnino pauperis ager & macellum. Verum hortus non semper unius significationis fuit.* Apud antiquos *enim omnis uilla hortus dicebatur.* Vnde Plinius *lib. præmemorato ait*, In *duodecim tabulis legum nostrarum nusquam nominatur uilla. Semper in significatione ea hortus:in horti uere heredium. Sed horti multitudinis numero arboribus ad uoluptatem consiti, quos primus instituit* Athenis Epicurus *hortorum magister.* Et *antiquitas nihil prius mirata est quàm* Hesperidum *hortos ac regum* Adonis & Alcinoi.*Item pensiles,siue illos* Semiramis *siue* Assyriæ *rex* Cyrus *fecerit.* Pensiles *autem dicuntur quod supra ædificia uel columnas facti pendeant.* Græci *hortos paradisos,Latini etiam pomaria & uiridaria uocant. Cæterum hortus communi significatione locus dicitur in quo herbæ & olera dispositis areolis nascuntur, & hortus olitorius uocatur.* Olus *uero dicitur omnis herba qua uescimur.* Theophrastus: Olera *enim uocamus quæ in usu cibario sunt,ut intubum,aphaca,porcellia, senecio atq; in totum quæcunq; intubacea sunt propter foliorum similitudinem.* Demum *indidit huic libro Cepuri nomen* Apicius *noster,quod in eo de oleribus quæ in cibum assumuntur, & eorum pulmentarijs & condimentis agat,& ipsa conficere doceat.*

IN CAPVT I.

DE oleribus, ut omne olus smaragdinum fiat.) Hæc *omnia tituli uice scribito.* Deinde *caput ipsum inchoato & perficito sic.* Omne *olus smaragdinum fiet,si cum nitro coquatur.*

Smaragdinum.) *hoc est,uiride, nitidum, splendidum, translucidumq; & aspectui iucundum,ceu gemma smaragdus.*

Nitro.) *Nitrum minerale est, cuius quondam aliquibus locis usus pro sale fuit, tanta illi coloris, saporis & totius substantiæ similitudo est, & à salis natura non multum distans. Tenerescunt eo multa præsertimq; herbarum radices & olera quæ uiridiora fiunt: eoq; candorem contrahunt opsonia. Hinc illud Martialis: Ne tibi pallentes moueant fastidia caules: Nitrata uiridis braßica fiat aqua. Est autem aliud ab eo quod nunc decocta terra ad bellorum usus & tonitruariorum instrumentorum bombardarumq; fingitur, & sal nitrum etiam atq; sal petræ uocatur.*

IN CAPVT II.

PVlmentarium ad uentrem.) *hoc est, ad aluum astrictam emolliendam pulmentum. Pulmentarium est pulmentum & cibus pulmentaris, id est, cibus ad modum pultis factus. A pulte siquidem dictum est pulmentum. Puls autem cibus est ex farre in puluerem & farinam craßiorem redacto factus, quo longo tempore pro pane usi fuerunt ueteres, ut lib. 18. cap. 8. testatur Plinius, cuius uerba sunt hæc: Pulte autem, non pane, longo tempore uixisse Romanos manifestum. Quoniam inde & pulmentaria hodieq; dicũtur, siue puls ipsa siue quicquid uis aliud quod inter cibos ad modum pultis factum sumitur, hoc est, pulmenti uicem quod implet, & à quibusdam pulmentaris cibus appellatur.*

Betas minutas.) *Betas paruas & tenellas, quæ maioris in emolliendo uentre sunt efficaciæ, præsertim candida, qua aluus soluitur, cum nigra potius inhibeatur, authore Plinio.*

Porros requietos.) *hoc est, porros non commotos nec plantatos, quos uirgines etiam uocat Marcellus medicus. Et tales maioris ac imoniæ sunt, & ideo quoq; efficatiores.*

Quædã ducenda.) *Legendũ ex scripto exemplari, quædã dulcedo.*

Polypodium.) *De Polypodio scribit lib. 26 ca. 8. Plinius sic: Polypodion quam nostri filiculam uocant: similis est enim filici. Radix in usu pilosa, coloris intus herbacei, craßitudine digiti minimi, acetabulis cauernosa ceu polyporum cirrhi, subdulcis, & in petris nascens aut sub arboribus uetustis. Exprimitur succus aqua madefacta, & ipsa concisa inspergitur oleri & betæ uel maluæ uel salsamento, uel cum pulticula coquitur ad aluum leuiter soluendam, uel in febri. Detrahit bilem & pituitam, stomachum offendit. Aridæ farina indita naribus polypum consumit. Florem & semen non fert. Polypodium ad aluum deijciendam cum alijs miscet etiam Cato libri de Re rustica cap. 158. Et Apuleius quoq; ad aluum concitandam utilem tradit*

hijs uerbis. Herbæ radioli (sic enim uocat) radicem euulsam & cultro corticem purgatam cum malua coquito, & ius earum bibatur, sine labore uel aliquo tædio uentrem deducit, & omnes æstus. Estq; nunc medicis ad eundem effectum in multo usu.

Patinam.) Patina uas est nunc mensarium, nunc uero coquinarium, in quo cibi coquuntur, sic dictum quod pateat.

Aliter ad uentrem. Facies betaceorum &c.) Hoc totum pulmentariũ ex uetusto manu scripto exemplari huc adscripsimus. In quo etiam non una menda fuit, præsertim in his uerbis, facies detergine: pro quibus legendum, fasces, deterges. Item pro nigrum, legendum nitrum, pro frustra, frusta, & pro quo operies, cooperies. Verum per betaceos intellige plantæ asparagos siue cymas, de quibus amplius mox post. Per nuces autẽ intellige, iuglandes potissimũ & præsertim uirides, quæ humidiores sunt, uentremq; subducunt, quamuis aridæ quoq; si in aqua maceratæ ab interno putamine mundentur, recentioribus haud minus efficaces sunt, ut author est li. 1. Paulus Aegineta.

Betaceos Varronis. Varro &c.) Quod nunc ponit pulmentarium Apicius, ad Varronem refert authorem: de quo M. Fabius Quintilianus institutionis oratoriæ lib. 10. sic scribit: Terentius Varro uir Romanorum eruditissimus plurimos libros & doctissimos composuit, peritissimus linguæ Latinæ, & omnis antiquitatis, & rerum Græcarum nostrarumq;, plus tamen scientiæ collaturus quàm eloquentiæ. De eodem Valerius Maximus li. 8. scribit ita: Terentius autem Varro humanæ uitæ exemplo, & spacio nominandus, non annis, quibus sæculi tempus æquauit, quàm stilo uiuacior fuit, in eodem enim lectulo & spiritus eius & egregiorum operum cursus extinctus est. Anno octogesimo ætatis suæ libros de Re rustica scripsit. Item inter alios scripsit etiam satyras, è quibus forte hic, & quem infra lib. 7. de bulbis citat Apicius, desumptus est locus. Nam una inter illas est quam περὶ ἐδεσμάτων de edulijs inscripsit, ut author est Atticarum noctium li. 7. A. Gellius.

Mulso.) Mulsum est quod Græci οἰνόμελι, id est, œnomeli dicunt, ex uino & melle cõfectus potus, de quo & Martialis ait, Attica nectareum turbatis mella falernum, Misceri decet hoc à Ganymede merum. Fit autem, ut li. 5. Dioscorides tradit, duobus uini cadis uno mellis plerunq; mixto. Quidam ut celerius ad usum absoluant, mel cum uino decoquunt, sicq; in uasa alia diffundunt. Optimum autem quod ex uetere & austero uino, proba-

tißimoq; melle confectum est, de quo li. 22. Plinius sic prodit: Semper mulsum ex uetere uino utilißimum, facillimeq; cum melle concorporatur, quod in dulci nunquam euenit. Ex austero factum non implet stomachum, neq; ex decocto melle, minusq; inflat, quod ferè euenit. Appetēdi quoq; reuocat auiditatem cibi, aluum mollit frigido pluribus, calido sistit. Corpora auget. Multi senectam longam mulsi tantum intinctu tolerauere, neq; alio ullo cibo, celebri Pollionis Romuli exemplo, quem centesimum annum excedentem cum Diuus Augustus hospes interrogaret, qua nam ratione maxime uigorē illum animi corporisq; custodisset, ille respondit: Intus mulso, foris oleo. Varro regium cognominatum morbum arquatum tradit, quoniam curetur mulso. Hactenus ille.

Vel sale, aqua & oleo.) Hæc ex uetusto exemplari adscripta sunt.

In se cocta iusculum facere & potari melius etiam si.) Lego, In se coques, iusculum facies, & potabis: melius erit si &c.

Apios.) De apio herba, quàm Græci quia piro, quod ἄπιος, id est, apios illis dicitur, similem radicem habet, sic uocant, Plinius lib. 26. ca. 9. sic tradit. Apios ischas siue raphanos agrios iuncos duos siue tres spargit in terra rubentes, folijs rutæ, radice cepæ sed amplior, quare quidam raphanum syluestre uocant. Intus habet mammam candidam, extra cortices nigros. Nascitur in montosis & asperis, aliquando & herbosis. Effoditur uere, tusaq; in fictili mergitur: deiectoq; quod supernatat, reliquus succus purgat utraq; parte sesquiobolo in aqua mulsa. Sic & hydropicis datur acetabuli mensura. Inspergitur & aridæ radicis farina potioni, aiuntq; superiorem partem eius uomitione biles extrahere: inferiorem per aluum.

Albam.) Lege, albamen, hoc est, partem interiorem candidam & à cortice exteriore nigro purgatam.

Id est, ex tribus heminis &c.) Hæc tanquam suppositicia omisimus.

IN CAPVT III.

ASparagi.) Asphbaragus aut si mauis asparagus, spinosi generis frutex est paruus, ramosus, folijs numerosis longis fœniculo similibus, radice plurima, longa, rotūda. Duo eius genera, satiuum & syluestre. Quorum satiuum Columella, Syluestre uero Plinius Corrudam ab aliquibus uocari tradit. Solum illis nullum gratius quàm Rauennatium, licet syluestre semper sit mitius, teste Plinio. Vnde illud Martialis: Mollis in æquorea quæ creuit spina Rauenna, Non erit incultis gratior asparagis. E semine singulis soli

soli fossulis deposito coeunte unitatemq; faciente radices producuntur implicitæ & connexæ, quas olitores spongias uocant, ut li. 11. Columella, & in Martio mense tradit Palladius. Asparagi uentrem molliunt. Pectoris & spinæ doloribus, intestinorumq; uitijs prosunt. Vrinã cient utilißime præterquam quod uesicam exulcerant. Radix calculos exturbat, lumborum & renum dolores sedat, ceu li. 20. refertur à Plinio. Coliculi cocti in ciborum usu sunt. Radix & semen medicinæ deseruiunt. Cæterum antequam asparagos relinquamus, illud adhuc addendum, uidelicet, Asparagum aliquando plantarum & olerum ex terra prodeuntium primum & nondum in folia explicitum germen significare. Et sic accipitur à Paulo Aegineta lib. 1. capite de asparagis inscripto, ubi bliti, lactucæ, atriplicis, maluæ ac betæ plantam humidam, asparagum uero siccum esse dicit. Contra autem raporum, sinapis, radiculæ, nasturcij, pyrethri, braßicæ, omniumq; aliorum quæ calida sunt, siccam quidem plantam, asparagum uero humidum esse.

Submittes.) Per hoc uidetur indicare uelle non multa coctura opus esse, sed breui tantum elixatura ut subcrudum quasi adhuc fiet, quale molliendæ aluo idoneum erit: & hoc de coliculis maxime intelligendum. Et ad hanc breuem cocturam etiam respexisse uidetur Augustus in prouerbiali dicto quo ad exprimendam festinatæ rei uelocitatem, ut refert Tranquillus, uti consuetus erat, dicens: Velocius quàm asparagi coquantur.

IN CAPVT IIII.

CVcurbitæ.) Cucurbitarum duo genera sunt, longæ & rotundæ. Cibis quo longiores, tenuioresq;, eo gratiores, & ob id salubriores quæ pependo creuere, minimumq; seminis tales habent, duricia eius in cibis gratiam terminante. Rotundæ uasorum usum præbent. Sed de his quæ Plinius scribit, subiungam. Eius lib. 19. uerba sunt hæc. Nuper in balnearũ usum uenere urceorum uice. Iam pridem uero etiam cadorum ad uina condenda. Cortex uiridi tener, deraditur nihilominus cibis. Cibos salubres ac leues pluribus modis existimant, qui perfici humano uentre non queant, sed non intumescant. Inuenta est & ratio qua cibis quoq; seruarentur semina. Cucurbitæ reptantibus flagellis scandunt per artesum aspera in tectum usq; natura sublimitatis auida. Vires sine adminiculo standi non sunt. Velocitas pernix leui umbra cameras ac pergulas operientes. Inde hæc duo prima genera, Camerarium & plebeium quod humi creditur. In priore mire tenui pediculo libratur pondus immobile aure. Cucurbita quoq; omni modo fastigiatur uaginis maxime uitilibus, coniecta in eas postquam defloruit. Crescit qua cogi

tur forma: plerunq; & draconis intorti figura. Libertate uero pensili concessa, iam uisa est nouem pedum longitudinis. De uiribus eius dicit Paulus Aegineta quod refrigerat & humectat, atq; aluum mouet, sed paulum alimenti præbet. Et Dioscorides li. 2. ait: Elixæ totius cucurbitæ mox expressæ succus additis exiguo melle & nitro aluum leniter soluit. Si quis etiam in excauata cruda cucurbita uinum infuderit & per noctem sub dio habuerit temperatumq; ieiunus biberit, aluum leniter molliet. Chrysippus medicus, ut li. 20. refert Plinius, damnabat eas in cibis. Sed omnium cõfessu stomacho utilissimæ iudicantur, & interaneorum uesicarumq; exulcerationibus.

Calloſiores ad gutum.) hoc est, gustui & esui firmiores, iucundiores & gratiores.

Id est, laseris radicem.) Hæc tanquam supposititia omisimus.

Iure colocasiorum.) hoc est, in modum colocasiorum & uti colocasia coquuntur. Quid autem sint colocasia, dicetur li. 7.

Cepam.) Ceparum plura genera. Omnibus odor lachrymosus. Vnde & lachrymosam uocat in de cultu hortorum Columella. Apud nos, inquit li. 19. Plinius, duo prima genera, Vnum condimentarium, quod illi gethyon, nostri pallacanam uocant. Alterum capitatum. Optima autem quæ rotundissima. Item russa acrior quàm candida: sicca quàm uiridis, & cruda quàm cocta: sicca quàm condita. Gethyum pene sine capite est, ceruicis tantum longæ, & ideo totum in fronde, sepiusq; resecatur ut porrum. Inflandi, erodendiq; uires cunctæ habent, ut libro secundo tradit Dioscorides. Cibi appetentiam excitant. Siticulosæ sunt, extenuant stomachi uelut ex repletione fastidia & bonã faciunt aluum. Succus naribus instillatus caput purgat. Alui fluoribus subueniunt. Copiosus ceparum cibus capitis dolores. Efficaciores ad ciendam urinam coctura cepæ fiunt. Faciunt in ualetudine maiore copia in cibo sumptæ lethargum.

Duracina.) Scilicet persica, quibus primi libri capite 26. id nominis etiam accommodatum est.

Condimenta uiridia.) Condimenta dicuntur quæ ad condienda opsonia fiunt. Viridia uero, quæ ex herbis uiridibus recentibusq; & non siccis fiunt, quales erunt quæ consequenter ab eo enumerantur, nam præcedentes siccas accipi debere censemus.

Pulegium.) Pulegium nota herba est, quæ etiam aliorum salgamorum modo seruabatur, authore Columella lib. 12. ca. 7. Ex quo compertum est olim in sanitatis usu quotidianum ipsius fuisse cibum. Huius natura, ut lib.

lib. 19. testatur Plinius, in carnarijs reflorescens est. Vnde idem lib. 18. dixerat, miretur hoc qui non meminerit ipso brumali die pulegium in carnarijs florere, adeo nihil esse occultum natura uoluit. Et lib. 2. ait: Floret ipso brumali die suspensa in tectis arentis herba pulegij. Est autem calefaciens & concoctiones adiuuat. Efficax item, li. 20. tradente eodem Plinio, ad recreandos defectos animo cũ surculis suis in ampullas uitreas aceti deiectum. Qua de causa dignior é pulegio corona uertigini quàm è rosis cubiculis nostris pronuciata est. Nam & capitis dolores imposita dicitur leuare. Quin & olfactu capita tueri contra frigorum æstusq; iniuriam. Pectoris ac uentris dolorem inhibet. Si aquæ insalubres bibẽdæ sunt, tritum inspergitur. Ad tussim efficax habetur. Flos recentis incensus pulices necat odore.

Caromenta.) Legendum puto, Calamintham. Quæ nepeta dicitur & quam Apuleius mentham montanam uocari dicit. Herba congener aut consimilis menthæ. Vtilis est orthopnoicis, torminibus, coleris & ictericis, authore Dioscoride. Plinius li. 20. ca. 14. ait: Item pulegio est nepetæq; societas. Decocta enim in aqua ad tertias discutiunt frigora. Mulierumq; menstruis prosunt, & æstate sedant calores. Nepeta quoq; uires contra serpentes habet. Fumum ex ea nidoremq; fugiunt: quam & substernere in metu obdormituris utile est.

IN CAPVT V.

Citrium.) Lege, Citrinu. Qui nostro tempore citrulli uocantur, cucumerum generis & in eorum censu, sic quidem à flauo citri colore appellati, quem in extrema maturitate ostendunt: teretesq; hij sunt & aliquando recti incuruiq;. Frigidæ sunt naturæ & humidæ, frigidioresq; cucumere. Generant humores frigidos & noxios è quibus & febres fiunt, diutius ipsis in stomacho commorantibus. Nocent etiam frigiditate sua stomacho, quare aromata & ameos semẽ illi miscenda, nisi ualde calidus sit stomachus. Ius aluum mollit. Semen uero sitim extinguit, quam ob causam febricitantibus prodest.

Sil montanum.) Sil siue sile herba est alio nomine seseli appellata, cuius radice uel semine olim uina condiebant, quæ antemeridiano tempore sumebant. Vnde silatum ueteres dixere, quod nunc ientaculum uocamus. Montanum autem appellat, quod in montibus nascatur. Dioscorides li. 3 ait: Tordilium id est Creticum seseli nascitur in Amano Ciliciæ monte breuis & fruticosa herba: paruo, in orbem circumacto, duplici, & clypeolis similis semine, modice acri & aromatum modo odorato. Bibitur contra urinæ

angustias. Efficax etiam & radix, adiuuatq; pectoris uitiorum exscreationes in eclegmate cum melle. Sile autem Tordylion esse testatur li. 20. ca. 22. Plinius cum ait: Adijcitur Tordylion. Est autem id semen ex sili. Paulus Aegineta li. 7. una immutata litera id Gordylion uocat.

IN CAPVT VI.

CVcumeres.) Scilicet satiui, qui priuatim & communiter hoc nomine uocantur. Sunt enim & alij in cucumerum censu, suis etiam priuatim designati nominibus, ueluti citrini & citrulli nunc dicti: item pepones & melopepones mox dicendi. De quibus omnibus lib. 19. ca. 5. Plinius prodit in hunc modum. Carthilaginei generis extraq; terram est cucumis, mira uoluptate Tiberio principi expetitus. Nullo quippe non die contigit ei pensiles eorum hortos promouentibus in soles rotis olitoribus: rursusq; hibernis diebus intra specularium munimenta reuocantibus. Quin & lacte mulso semine eorum biduo macerato apud antiquos Graeciae authores scriptum est seri oportere ut dulciores fiant. Crescunt qua coguntur forma. In Italia uirides & quàm minimi. In prouincijs quàm maximi & citrini aut nigri. Placent copiosissimi Aphricae ac grandissimi. Ast cum magnitudine excessere, pepones uocantur. Viuunt hausti in stomacho in posterum diem, nec perfici queunt. In cibis non insalubres, tamen plurimum natant. Oleum odere mire, nec minus aquas diligunt: defecti quoq; ad eas modice distantes adrepunt, contra oleum refugiunt. Aut si quid obest, uel si pendeant, curuantur: idq; uel una nocte deprehenditur. Si uas cum aqua subijciatur à quatuor digitorum interuallo descendentibus ante posterum diem: At si oleum eodem modo sit, in hamos curuatis: ijdem in fistula flore dimisso mira longitudine crescunt. Ecce cum maxime noua forma eorum in Campania prouenit mali cotonei effigie. Forte primo natum ita audio unum, mox semine ex illo genus factum, melopeponas uocant. Non pendent hij, sed humi rotundantur. Mirum in his praeter figuram, coloremq; & odorem, quod maturitatem adepti quanquam non pendentes statim à pediculo recedunt. Haec Plinius. Quod autem de cucumere & cucurbita dicit crescere qua cogantur forma: id etiam ab Hippocrate in libro de seminis genitalis natura prius proditũ est, ubi ait: Si quis cucumim cucurbitámue iam deflorescẽtem, matrisq; pediculo adhaerescentem in paruo uasculo mittat, cauo uasis illius par similisue reddetur. Si uero quis eundem in maiore uasculo mittat, quod probe cucumim cucurbitámue capiat (quod tamen maius quàm cucumis natura non sit) cucumis par similisq; cauo huius etiam uasis erit. Nam cum crescit,

cauo illius uasis hæret, & innititur. Cunctaq; nascentia semper ferme crescunt, & habent, quemadmodum ea quis cogat. Demum de cucumeris satiui natura sic tradit li. 2. Dioscorides. Bonam facit aluum. Stomacho accommodatus est. Refrigerat. Non corrumpitur in stomacho, licet ægre concoquatur. Vesicæ utilis. Olfatu defectus animæ restituit. Habet semen ciendæ urinæ mediocrem uim. Contra uesicæ exulcerationes cũ lacte passóue idem utiliter bibitur. Et Paulus Aegineta ait, Cucumis minus quidem pepone refrigerat humectatq;, sed uehementius urinam ciet, & uix cõcoquitur: quod & si consequitur, mali tamen succi est. Atq; in summa omnes autumnales fructus refrigerant, & humectant, & sunt exigui alimenti, & mali succi.

Ructu.) Ructus dicitur quando uentriculi humor recalescens inflatur & concoquitur.

Grauitudine.) id est, grauedine, molestia & aggrauatione.

Teneriores.) molliores, sapidiores & iucundiores. Plin. li. 20. Coctos deraso cortice ex oleo, aceto & melle iucundiores esse certum est.

Modico. Apij semen liquamine & oleo bis obligabis.) Legendum puto sic: modico. Vel, apij semine, liquamine & oleo elixabis, obligabis.

IN CAPVT VII.

PEpones & melones.) Cucumerũ generis sunt tum pepones tum melones, figura tantum & quantitate differentes. Pepones quidem uocantur cum magnitudine excessere aut in longitudinem processerunt. In rotundum uero effigiati & mali formam referentes, melopepones ex pepone & malo facto nomine, dicuntur, & hij sunt quos in Martio mense Melones uocat Palladius, quo nomine etiam nunc in communi sunt usu. Verum pepones, inquit li 20. Plinius, refrigerãt maxime in cibo & emolliunt aluum. Et, ut Dioscorides tradit, Caro peponum ciendæ urinæ utilis in cibo sumpta. Item Hippocrates lib. 2. de Ratione uictus ait: Pepones lotium & uentrem mouent, sed inflant. Quæ omnia & de melone dici possunt, licet imbecilliores sint eius uires. Paulus Aegineta lib. 1. cap. de temporarijs fructibus, de hijs ita decernit. Pepon, in totum & mali succi est, & frigidus humidusq;, ac uomitionem mouet: quod si non concoquatur, choleram inducit, eius semen urinam ciet, calculos renum conterit, & in totum uehementer abstergit. Melopepon, omnia quæ de pepone dicta sunt, imbecilliora obtinet.

IN CAPVT VIII.

MAluas minores.) Quæ maiores aut minores dicantur maluæ, satis ex Plinio lib. 20. ca. 21. colligere licebit, ubi de maluis & earum generibus agens sic scribit: In magnis laudibus malua est utraq; & satiua & syluestris. Duo genera earum amplitudine folij discernuntur. Maiorem Græci malopen uocant in satiuis, alteram ab emolliendo uentre dictam putant malachen. E syluestribus cui grande folium & radices albæ, althæa uocatur, ab excellentia effectus à quibusdam aristalthæa. Ex quibus Plinij uerbis colligitur maluas bifariam inter se diuidi: suntq; prima & præcipua illarum genera duo, Satiua & syluestris. Quarum utraq; iterum in alia duo secernitur. Prior quidem illa in satiuam & hortensem quæ in hortis ad ciborum usum serebatur & qua pro olere utebantur: & in eam quæ locis incultis nascitur syluestris, quæ etiã edendo fuit, sed minus quàm alia, ceu Dioscorides testatur, qui li. 2. de hijs agens ait: Duplex maluæ genus, hortensis altera, syluestris & incultis locis nascens altera. Estq; hortẽsis magis quàm syluestris edendo, stomacho tamen inutilis, bonam facit aluum, multoq; magis eius caules. Ipsa intestinis & uesicæ utilis est. Posterior autem quæ syluestris est, duabus illis undiq; procerior & altius à terra erigitur: & in hortis consita arborescit, unde à Galeno anadendromalache quasi arborea seu arborescens malua uocatur. Dioscorides à multiplici remediorum potestate & usu althæam quasi medicam dici tradit lib. 3. quippe Græcis ἀλθαίνειν mederi est, & ἄλθος pharmacum & remedium. Palladius in Octobri mense hibiscum his uerbis. Althææ hoc est hibisci folia. Sed de maluæ generibus satis. Aluum autem mollire testatur etiam Martialis hoc disticho, Vtere lactucis & mollibus utere maluis. Nam faciem durum Phœbe cacantis habes. In cottidiano autem cibi usu fuisse indicat etiam Hesiodus ἐν ἔργοις καὶ ἡμέραις, cum ait: Νήπιοι οὐδ᾽ ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς, οὐδ᾽ ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ᾽ ὄνειαρ. Et Paulus Aegineta li. 1. inter olera esculenta eam cõnumerat & aluum subducere testatur cum ait: Malua refrigerat quidẽ, sed obscure, magis uero humectat, atq; ob uiscositatem aluum ducit. Nec his tantum contenta est dotibus, sed diei horas insuper nobis ostendit, ad solem circumagendo folia, uti testatur Theophrastus, & in carmine Columella dicens: Et moloche prono sequitur quæ uertice solem. Quam ob causam etiã ab aliquibus heliostrophos uocata est, ut refert Apuleius.

De grano ex.) Lege, œnogaro &c.

IN CAPVT IX.

CYmæ & coliculi.) *Quid sit cyma, quid coliculus, docet nos Plinius lib. 19. ubi de braßica agit, hijs uerbis: Cyma à prima sectione præstat proximo uere. Hic est quidam ipsorũ caulium delicatior teneriorq́; cauliculus Apicij luxuria, & per eum Druso Cæsari blanditus non sine castigatione Tiberij patris. Post cymam ex eadem braßica contingunt æstiui, autumnales cauliculi, mox hiberni, iterumq́; cymæ: nullo æque genere multifero, donec sua fertilitate consumatur. Et Columella in carmine sic illa describit: Tunc quoq; conseritur toto quæ plurima terræ: Orbe uirens pariter plebi regiq́; superbo: Frigoribus caules & ueris cymata mittit. Sunt itaq; cymæ seu cymata (utroq; enim genere dicitur) tenerrimi coliculi quos appetente uere in prima florum germinatione & in summa stirpe hoc olus profert. Cæterum braßicæ laudes plurimæ sunt: quas omnes exequi (ut Plinij uerbis li. 20. utar) longum esset, cum & Chrysippus medicus priuatim uolumen ei dicauerit per singula membra hominis digestum. Et Dieuches, ante omnes autem Pythagoras & Cato non parcius celebrarint. Verum ne nihil de hac habeamus, ex Catone quædam adscribamus: præsertim cum ipsa sit, ut ait, quæ omnibus oleribus antistat. Eam esto uel coctam uel crudã. Crudam si edas, in acetum intingito, mirifice concoquit, aluum bonam facit, lotiumq́; ad omnes res salubre est. Si uoles in conuiuio multũ bibere, cœnareq́; libenter, ante cœnam esto crudam quantũ uoles ex aceto. Et item, ubi cœnaueris, comesto alia quinq; folia, reddẽt te quasi nihil ederis, biberisq́;, bibesq́; quantum uoles. Deinde capite sequenti, quod est 157. ubi tria braßicæ genera facit, iterum inquit: Si uoles eam esse, consectam, lautam, siccam, sale, aceto sparsam esto, salubrius nihil erit. Quo libentius edas, aceto mulso spargito, mentham siccam, & rutam, coriandrum sectam, sale sparsam paulo libentius edes. Id bene faciet, & mali nihil sinet in corpore consistere, & aluum bonam faciet. Si quid antea mali intus erit, omnia sana faciet. De capite & de oculis omnia deducet & sanum faciet. Hanc mane esse oportet ieiunum. Et si bilis atra est, & si lienes turgent, & si cor dolet, & si iecur aut pulmones aut præcordia, uno uerbo omnia sana faciet quæ intro dolitabunt. Has & alias miras eius laudes Cato. Celsus lib. 2. braßicam, magisq́; etiam cymam eius inter res mali succi connumerat, & aluum mouere, si subcruda est: astringere uero bis decoctam testatur. Demum braßica uitibus inimica, uti in Augusto mense testatur Palladius, cuius capite 5. uerba sunt hæc. Raphanum tamen sicut braßicam, constat esse uitibus inimicam: nam si circa se serantur, natura discordante refugiunt. Et Plinius li. 20. ca. 9. ex Græcorum*

opinione dicit ipsam uino aduersari, ut inimicam uitibus: & lib. 19. ca. 8. de eadem inquit, Et cum braßica corrumpatur in dolio uini sapor, odore betæ folijs demersis restitui traditur.

Mediabis.) hoc est, per medium seces & concides.

Assati.) ex antiquo exemplari legendum, elixati.

IN CAPUT X.

Porri.) Porrorum duo genera sunt. Vnum sectiuum à secando dictum, quod frondem illi supra terram eminentem auferre solerent. Cui nuper, ut li. 19. scribit Plinius, authoritatem dedit princeps Nero, uocis gratia ex oleo æstiuis mensibus diebus singulis, nihilq; aliud ac ne pane quidem uescendo. Alterum est capitatum uocatum eo quod in caput crescat. Ambo eiusdem naturæ, nisi quod capitato efficatior uis est. Inflat autem porrum, ut li. 2. tradit Dioscorides, mali succi est, grauia & tumultuosa facit insomnia. Vrinam cit, bonam facit aluum, extenuat, oculorum claritati officit. Dulcescit & minore inflandi ui porrum una & altera elixum aqua, tum frigida demersum. Venerem stimulat. Facit & ad phthisin. Purgat fauces & animæ canalem in cibo sumptum. Continuus tamen eius cibus oculorum claritati officit & stomacho nocet. Si quis authore Sotione, ut refert Constantinus, cuminum præsumat ante porros, non olebit.

Maturos.) hoc est, mites & suaues. Maturus à uerbo maturo dicitur, quod est aliquid neq; citius neq; tardius facio, sed medium quendam temperatumq; modum obseruo: & quod ita fit, mature fieri dicitur, ceu ex Nigidij authoritate refert in Atticarum noctium li. 10. ca. 11. A. Gellius: Vnde & in frugibus & in pomis matura dicuntur, quæ neq; cruda & immitia sunt, neq; caduca & nimis decocta, sed tempore suo adulta maturataq;. Præmaturum uero dicitur præcox, hoc est, quod præter morem cæterorum citius & festinatius maturescit, & præcoquum etiam appellatur. Item immaturum quod nondum maturum & immite est atq; acerbum.

Pugnum.) Per pugnum qui & pugillus dicitur, intellige tantum quantum digitis comprehenditur, quod pugni quantitatem æquet aut paulum superet. Pugnus autem est ea pars manus, quæ in digitorum commissura extuberat & prominet, à punctione id est percußione, in qua armorum uicem præstat, sic dicta. Græci κόλαφον colaphon, & Attica elegantia κόνδυλον condylon appellat. Et a Suetonio Tranquillo in Tiberij uita Latine etiam Talitrum uocatur. Verba Suetonij sunt: Corpore fuit amplo & robusto (deinde) sinistra manu agiliore ac ualidiore, articulis ita firmis ut re

cens

cens integrum malum digito terebraret, caput pueri uel etiam adolescentis talitro uulneraret.

Apertos.) Lege, opertos, id est, tectos & inuolutos.

In primis.) Lege, in prunis, id est, sub prunis & in igne uel cinere calido & feruente.

In bacca.) Legendum puto, in cacabo.

IN CAPVT XI.

Betæ.) Beta hortensiorum leuißima. Vnde illud Martialis, Vt sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ, O quàm sæpe petet uina, piperq́; cocus. Eius duo genera, nigra & candida quæ præfertur, meliorisq́; succi est, authore li. 8. Theophrasto. Mira differentia si uera est, inquit li. 19. Plinius, candidis solui aluos, modice nigris inhiberi. Et cum braßica corrumpatur in dolio uini sapor, odore betæ, folijs demersis restitui. Medici innocentiorem quàm olus esse iudicauere, quam ob rem appositas nemini degustare etiam religio est, utq́; ualidis potius in cibo sint. Gemina ijs natura & oleris & capite ipso exilientis. Nam ut Paulus Aegineta li. 1. ait: Bliti, lactucæ, atriplicis, maluæ & betæ planta humida, asparagus uero siccus est. Per asparagum autem intelligit quod primum & nondum in folia explicitum earum plantarum ex terra prodit germen. Nec sine remedio est utraq;. Nigra cum lente cocta, ut tradit Dioscorides, aluum efficacißime compescit, multoq́; magis radix. Candida bonam facit aluum. Ambæ ob nitrosam quam habent uim mali succi sunt. Ideoq́; caput purgat naribus earum succus cum melle instillatus.

Farinam.) Scilicet frumenti, & forte amylum intelligit. Farinam à farre dictam nomine ipso apparet, inquit lib. 18. Plinius. Quæ sicca moluntur plus farinæ reddunt. Quæ salsa aqua sparsa candidiorem medullam, uerum plus retinent in furfure.

Medullam.) id est, massam & substantiam, corpusq́; unum.

IN CAPVT XII.

Olisera.) Lege, Olisatra. Est autem olisatron herba quæ olus atrū dicitur & Smyrnion etiam: licet Smyrnion propria planta sit Dioscoridi li. 3. à cuius similitudine quadam sic dicta est à quibusdam. Columella li. 11. ca. 3. dicit: Olus atrum quod Græcorum quidam uocant Hipposelinon, nonnulli Smyrnion. Et Scribonius Largus compositione medicinali 126. ait: Smyrnij, quod est semen olusatri. Condiebatur quondam aliorum salgamo-

rum modo, ceu lib.12.cap.56.tradit & docet Columella. Dictum est autem olus atrum Latinis à radicis colore quem foris habet nigrum: Græce Hipposelinon dicitur, quasi grande apium. Qualis autem herba sit docet nos Dioscorides lib.3.ca.72.sic eam depingens. Olus atrum aliud ab eo quod smyrnion dicitur, hortensi apio maius, candidiusq; est. Cõcauum habet caulem, excelsum, tenerum, & ueluti lineis intersectum. Folia latiora cum puniceo colore aliquo in quibus libanotidi similis coma est, flore plena corymborum modo antequam floreat concreta. Semen illi nigrum est, longum, solidum, acre, aromatum modo odoratum. Radix illi itidem odorata, intus candida, foris nigra: ori & in cibis grata, nec adeo crassa. Nascitur umbrosis locis & prope palustria. Estur olerum modo ceu apium. Estur & radix eius elixa & cruda. Quin etiam folia coliculiq; elixi in cibo eduntur, & per se, & cum piscibus condiuntur. Cruda itidem duo hæc inter salgama sale seruantur. Ducit menses semen eius in mulso potum. Bibitur idem inungiturq; contra febrium in accessionibus cum tremore algores. Vesicæ stillicidio opitulatur. Potestq; radix eadem omnia.

IN CAPVT XIII.

RApæ.) Notæ sunt rapæ & quotidiani usus in cibo. Quondam aliorum salgamorum modo etiam condiebantur, ceu diximus li.1.ex authoritate Columellæ & Palladij, & Apicius etiam docuit. Sed de natura earum Dioscorides li.2.sic prodit: Nutrit satiui elixa radix, inflat, Venerem stimulat, sed inutili & humore fluida carne uescentes auget. Sumitur in cibo etiam elixus raporum in prima germinatione asparagus ciendæ urinæ accommodatus. Semen in antidota additur & his quæ contra uenenata ad leuandos somno dolores conficiuntur. Succurrit & letalibus uenenis potum: idem etiã Venerem stimulat. Minor nutriendi uis rapis est in muria seruatis & in cibo sumptis, appetentiam tamen cibi excitant. Vbi sciendum quos Dioscorides in his asparagos, Plinius rapatia uocat. Eius lib.18. uerba sunt hæc, Et hominũ nõ minore rapatiorum suis horis gratia quàm cymarũ. Folia item rapæ cibarijs etiam seruiunt decocta ad minutal, quod rapatiolum uocant & rapitium.

Napi.) Napi congeneres sunt rapis, à quibus longitudine in primis differunt. Plura eorum genera. Palma Romæ, ut li.19.scribit Plinius, Amitternis datur, deinde Nursinis, tertia nostratibus. Hinc illud Martialis de napis. Hos Amiternus ager fœlicibus educat hortis, Nursinas poteris partius esse pilas. Condiuntur etiam rapar ũ modo, condituræq; rationem docet li.12. Columella.

lumella. Inflat etiam, ut li. 2. testatur Dioscorides, napi elixa radix, minus tamen quàm rapa nutrit. Letalibus uenenis aduersatur semen eius, præpotumq; inefficacia ea reddit, antidotis ideo miscetur. Conditurq; & seruatur raparum modo naporum itidem radix. Præterea naporum generis est etiam quoddam syluestre, satiuum etiam radiculæ perexiguæ in acetariorum usu non improbatæ, præsertim uerno tempore: uulgo rapontium uocatur.

Vel acetum.) Lege, mel, acetum.

IN CAPVT XIIII.

RAphani.) Raphanus apud antiquiores Græcos pro Crambe, id est braßica accipitur, ceu latius annotauimus in cōmentarijs nostris in Serenum, apud posteriores uero tum Græcos tum Latinos & Apicium nunc radicem significat quæ comeditur & quam radiculam uocat Celsus. Cui amaritudo est plurima, ut inquit li. 19. Plinius, & uis mira colligendi spiritum, laxandiq; ructum, ob id cibus illiberalis utiq; si proxime olus mandatur. Aegypto mire celebratur propter olei fertilitatem quod de semine eius faciunt. Frigore adeo gaudet, ut in Germania infantium puerorum magnitudinem æquet. Vtilißimi in cibis hiberno tempore existimantur: ijdemq; dentibus semper inimici, quoniam atterant. Mirumq; omnibus uehementiam saporis inesse. Constantinus Cæsar de Agricultura li. 12. ca. 22. ex Florentino. Succus ipsorum ex aqua acceptus boletis & uenenis resistit. Si uero raphani succo quis manus suas probe illinat ac confricet, intrepide & citra periculum reptilia ac serpentes apprehendet. Dulces erunt, quorum semen in uino, aut uuarum passarum succo fuerit maceratum. De eodem Dioscorides li. 2. tradit sic: Calefacit idem in cibo gratus ori, sed stomacho parum accommodatus est. Ructus & urinam cit. Bonam itidem facit aluum, sed oportet à cibo eum sumere, sic magis digestioni conferentem. Præsumptus enim cibum in stomacho supra se suspendit. Præsumptus itidem uomitionibus accommodatus est: sensus exacuit. Estur elixus utiliter contra ueterem tußim, & quæ crassa in pectore concrescunt. Est & agrestis raphanus quem armoraciam Latini uocant. Palladius in Octobri mense, item betam ficcioribus locis necnō armoraciam seremus uel transferemus ad culta ut melior fiat, nam hæc agrestis est raphanus. De hoc etiam Dioscorides ait: Agrestis uero raphanus quem Romani armoraciam uocant, folia satiui similia habet. Radicem gracilem, mollem, sapore acri. Coquuntur olerum modo folia & radix in cibos: estq; illi calefaciendi & urinam ciendi uis: uerum tamen ipsa æstuosa est. Vtimur nunc plurimum ad intinctus.

Piperato.) *Piperatum condimentum est à pipere sic dictum, sicut cuminatum à cumino, coriandratum à coriandro.*

IN CAPVT XV.

OLus molle.) *hoc est, pulmentarium oleraceum tum substantia tum effectu molle, tenerum & uentris subductiuum.*

Excides.) *Legendum, exprimes.*

Pultario.) *Pultarium uasis coquinarij genus est in quo pultes coquuntur.*

Lactucarum.) *Lactuca nota herba est, sic dicta, ut in Ianuario mense tradit Palladius, quod abundantia lactis exuberet. Huius diuersas ob causas, diuerso etiam tempore uarius fuit usus. Antiquitus enim quod ebrietati obluctaretur, eamq; prohiberet, in cœnæ fine sumebatur: post uero ad conciliandam appetentiam in cœnæ principio sumi cœpta est. Vnde illud Martialis extat: Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum: Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes? Hac nunc quoq; æstiuo tempore plurimũ utimur in acetarijs. Herba multũ salubris, unde Columella in carmine: Iamq; salutari properet lactuca sapore, Tristia quæ releuat longi fastidia morbi. Et Paulus Aegineta li. 1. ipsam optimi succi sanguinem facere testatur. Hæc condiebatur etiam muria, seruabaturq; aliorum salgamorum modo, ceu docet li. 12. ca. 9. Columella. Plura eius genera, quæ ab eodem referuntur in carmine, & à Plinio lib. 19. ubi etiam ait: Est quidem natura omnibus refrigeratrix, & ideo æstate gratæ, à stomacho fastidium auferunt, cibiq; appetentiam faciunt. Diuus certe Augustus lactuca conseruatus in ægritudine fertur prudentia Musæ medici, cum priores eam ob religionem nimie commanducarent, in tantum recepta commendatione ut seruari etiam in alienos menses eam oxymelite repertum sit. Stomacho, uti li. 2. testatur Dioscorides, accommodata est lactuca domestica. Refrigerat, somnum cõciliat, aluum mollit & lactis abundantiam facit. Elixa maiore ad nutriendum efficacia est. Illotæ & ut ex terra eruta est lactucæ cibus in stomacho cibum non continentibus utilis est. In cibo frequentior eius usus claritati oculorum officit. Celsus somno aptam dicit, maximeq; æstiuam, cuius cauliculus iam lacte repletus est, & boni succi, stomachoq; idoneam. Et uentrem mouere testatur etiam Martialis li. 11. hijs uerbis: Prima tibi dabitur uentri lactuca mouendo Vtilis.*

Arescat.) *Legendum ex uetusto scripto exemplari, Acescat, & pro malefactos, madefactos, id est, humectos.*

IN CAPVT XVI.

Herbæ

HErbæ rusticæ.) *Herbas rusticas uocat agrestes & sponte ruri nascentes, quibus pleræq; gentium utuntur in cibis, maximeq; Aegyptus frugum fertilißima, sed ut sola ijs carere poßit, tanta est ciborũ ex herbis abundantia. In Italia & alibi paucißimæ sunt, eaq; uerius oblectamenta quàm cibi: quales sunt asparagus, pastinaca pratẽsis, lupus salictarius, cichorium, urtica, carduus, & aliæ tum spinosæ tum sine spinis, quæ à Plinio recensentur li. 21. ca. 15.*

A manu.) *hoc est, sine coctura & uti sunt cruda & frigida scilicet liquamen, oleum & acetum.*

In patina.) *scilicet cocta, liquamen, oleum & acetum cum pipere & alijs.*

Baccis lentisci.) *Baccæ dicuntur minutiores arborum fructus quales sunt oliuis, lauris, cornis, myrthis & lentisco. Lentiscus uero arbor est, quæ mastichen sudat gummi modo, de qua dictum est li. 1. Estq; tota arbor adstringentis naturæ: siquidem fructus, folia, ramorumq; & radicum cortex æquali potestate sunt, ait Dioscorides.*

IN CAPVT XVII.

VRticæ.) *Agrestium & sponte nascentium herbarum maxime nota, & commune omnium satorum uitium est urtica, acetabulis in flore purpuream lanuginem fundentibus sæpe altior binis cubitis, ut lib. 21. inquit Plinius. Plures eius differentiæ. Syluestris quam fœminam uocant, mitior. Et in syluestri quæ dicitur Canua, acrior. Caule quoq; mordaci fimbriatis folijs. Quæ uero etiam odorem fundit, herculanea uocatur. Semen omnibus copiosum, nigrum. Mirum sine ullis spinarum aculeis lanuginem ipsam esse noxiam, & tactu tantum leui pruritum, pustulasq; confestim adusto similes existere. Notum est remedium olei. Sed mordacitas non protinus cum ipsa herba gignitur: nec nisi solibus roborata. Incipiens quidem ipsa nasci uere non ingrato. Multis etiam religioso in cibo est ad pellendos totius anni morbos. Syluestrium quoq; radix omnem carnem teneriorem facit simul cocta. Et quamuis hac ob aculeatam foliorum mordacitatem, & quia maxime urit, unde & nomen adepta est, uix quicquam inuisius gignatur è terra, ut idem li. 22. ait, plurimis tamen scatet remedijs. Condidit laudes eius Phanias physicus, utilißimam cibis coctam conditámue professus: arteriæ, tußi, uentris destillationi, stomacho, panis, parotidis, pernionibus: cum oleo sudorem, coctam cum conchulis ciere aluum, cum ptisana pectus purgare. Et Diosco*

Pli. lib. 18. cap. 17.

rides lib. 4. ait: Sanguinis narium eruptiones compescunt concisa folia, mox cum suo succo naribus indita. Semen prodest pleuritidi, pulmonarijsq;, exscreatione pectus purgat. Aluum molliunt folia marinis conchulis concocta: Inflationes soluunt & urinam cient, cũ ptisana decocta eadem exscreationes adiuuant. Et Paulus Aegineta inter esculenta numerans eam, tenuium esse partium dicit, & aluum ducere, exiguiq; esse alimenti: sed, quod Celsus ait, bonũ succi est.

Aduersus ægritudinem.) Scilicet, quamcunq;, hoc est, ad præcautionem morborum qui toto eo anno contingere possunt & hominem infestare, tutus enim ita eris à totius anni morbis.

IN CAPVT XVIII.

INtuba.) Scilicet agrestia & sponte nascentia, à quibus tamen domestica exclusa nolumus. Sunt autem uaria intuborum genera, ut li. 2. tradit Dioscorides cum ait: Duplex intubi genus est: agreste & erraticum alterũ, ab amaritudine picris, & cichorium appellatum: latioribus folijs. Alterum satiuum & in cibis gratius. Satiui rursus duplex itidem genus. Lactucæ similius alterum & latifolium: angustifolium alterum & quadam tenus amarum. E quibus generibus satiuum & domesticum nunc endiuiam uocant & in lactucarum censum referunt aliqui. Vnde Plinius lib. 19. cap. 8. in lactucarum tractatione ait: Nec ex eodem genere possunt dici, neq; ex alio intubi. Item lib. 20. ca. 8. Intubi quoq; non extra remedia sunt. Erraticum apud nos quidam ambubeiam appellauere: in Aegypto cichorium uocant quod syluestre sit: satiuum autem serim. Celsus item lib. 2. ca. 29. de rebus aluum adstringentibus agens, & alterutrum sumi iubens, satiuum intubum, agreste ambubeiam uocare uidetur cum ait: Lenticula cui uel beta uel intubus uel ambubeia adiecta est. Cæterum de intuborũ medicina Dioscorides hæc prodit, Adstringũt, refrigerant & stomacho accommodata sunt, aluum elixa sistunt, eadem ex aceto sumpta, præsertimq; erratica stomacho utiliora: ardores enim & infirmitates eius in cibo leniunt. De cichorio uero Plinius lib. 20. ait, Cichorium refrigerat. Succus decocti uentrem soluit. Iocinori & renibus & stomacho prodest. Item si in aceto decoquatur, urinæ tormina discutit: item morbum regium è mulso si sine febre sit. Seris & ipsa lactucæ simillima duum generum est. Syluestris melior. Nigra ista & æstiua: deterior hiberna & candidior. Vtraq; tamen stomacho utilißima, præcipue quem humor uexat. Cum aceto in cibo refrigerant uel illitæ discutiuntq; & alios quàm stomachi.

Lactucæ.

Lactucae.) potissimum agrestes, quas & ipse mox in altero exemplariorum agri lactucas nominat. Sunt autem huiusmodi lactucae syluestres non omnes quae eo nomine comprehenduntur & ob similitudinem quandam & cum additione aliquando, lactucae dicuntur. Sed tantum eae quae satiuae opponuntur sponte sua in aruis nascentes, quarum li. 2. Dioscorides meminit in hunc modum: Satiuae similis est, ampliore tantum caule, candidioribus folijs, gracilioribus, asperioribus & in gustu amaris. Papaueris similes aliquatenus uires habet. Ideoq; lactis liquorem qui in ea est papauerum opio quidam commiscent. Purgat potus lactis liquor hic obolorum duorum pondere cum aceto mulso per aluum corporis aquas. In uniuersum soporifera est agrestis lactuca, & somno dolorem leuat. Quin etiam menses trahit. Libidinum imaginationes in somno, Veneremq; auertit agrestis quemadmodum & satiuae semen. Potest & succus omnia eadem sed minore efficacia.

Pro lactucis uero.) Haec dictio, uero, in scripto exemplari habetur, sed mendose, quare pro ea legendum Vere, hoc est, uerno tempore lactucarum loco. Hyberno autem tempore quo pacto condire conueniat, subiungit mox inquiens, Hyeme &c.

Embammate.) Embammata dicuntur sapores, intinctus & immersiones quibus intingitur panis uel opsonium in uasculis repletis re liquida, à uerbo ἐμβάπτειν quod immergere & intingere significat.

Agri lactucas.) id est, ruris & quae in agris & ruri agrestes sponte nascuntur, quas potissimum condire nunc docet. In scripto exemplari pro agri legitur acri, & ad acetum refertur.

Oxyporo.) condimento acetoso, quale etiam descriptum est libro primo, & nunc iisdem quasi uerbis repetitur, paucis immutatis.

Ad digestionem.) id est, ad cibi concoctionem in uentriculo promouendam. Aliàs enim digestio est concocti cibi in totum corpus eiusq; partes distractio, authore Galeno.

Inflationem.) Scilicet dissoluendam. Est autem inflatio cum copiosior in stomacho collectus spiritus stomachum simul & aluum distendit, impediturq; nutrimenti dispensatio, authore Galeno.

Aut Libycum: tundis cuminum.) Haec uerba, similiter & ea quae aliquibus interiectis sequuntur, scilicet, Postea melle omnia comprehendis, cum necesse fuerit: ex scripto exemplari huc translata sunt & apposita.

Cochlearium.) Cochlearium siue cochleare, mensurae genus est,

& mensurarum minima, cyathiq́; pars octaua. Est item instrumentum mensarium quo in mensa ad cibos liquidiores utimur: estq́; coquinarium, idq́; maius, quo utuntur coqui ad condimenta & alia cibaria paranda.

IN CAPVT XIX.

CArdui.) Inter aruenses & sponte nascentes, ganeæq́; deseruientes herbas numerãtur & cardui, licet in hortis etiam serantur. Res, ut li. 19. Plin. ait, maximũ quæstus, nõ sine pudore dicenda. Certũ est quippe carduos apud Carthaginem magnã Cordubamq́; præcipue sestertia sena millia è paruis ijs reddere, quoniam portenta quoq; terrarum in ganeam uertimus, etiam ea quæ refugiunt quadrupes consciæ. Verum Carduorum plura sunt genera & generatim omnis spinosi generis herba eo nomine comprehenditur: priuatim tamen scolymum uocatum significat, quem & strobilum à Romanis appellari testatur lib. 3. Dioscorides, qui illum sic describit. Chameleoni nigro, albæq́; spinæ folia carduus similia habet, nigriora tantum craßioraq́;. Foliosum & oblongum caulem erigit, in cuius summo spinosum capitulum est. Radicem habet nigram, crassamq́;. Coquitur, esturq́; asparagi modo non multo ante nata & adhuc tenera cardui herba. De hac diuersis locis egit Plinius, & in primis li. 20. ca. 23. de hijs agens inquit: Syluestrium carduorum genera sunt duo. Vnum fruticosius à terra statim: alterum uni caule craßius. Vtriq; folia pauca, spinosa, muricatis cacuminibus. Sed alter florem purpureum mittit inter medios aculeos celeriter canescentem, & abeuntem cum aura: Scolymon Græci uocant. Radix cuiusq; ex aqua decocta potatoribus sitim facere narratur. Stomachum corroborat, & uuluis si credimus etiam conferre aliquid traditur, ut mares gignantur: ita enim Cherias Atheniensis scripsit, & Glaucias qui circa carduos diligentißimus uidetur. Manducatus carduus hic odorem commendat oris. Deinde lib. 21. ca. 16. ait: Scolymos carduorum generis ab alijs distat, quod radix eius uescendo est decocta. Mirum quod sine interuallo tota æstate aliud floret in eo genere, aliud concipit, aliud parturit. Aculei arescente folio desinunt pungere. Et demum de eodem lib. 22. capite numeri eiusdem sic etiam scribit: Scolymon quoq; in cibos recipit oriens, & alio nomine Limonion appellat. Frutex est nunquam cubitali altior: cristisq́; foliorum ac radice nigra, sed dulci. Eratosteni quoq; laudata in pauperis cœna. Vrinam ciere præcipue traditur, Venerem stimulari in uino, Hesiodo & Alceo testibus: qui florẽte eo cicadas acerrimi cantus esse, & mulieres libidinis auidißimas, uirosq́; in coitum pigerrimos scripsere, uelut prouidentia naturæ hoc adiumento tunc ualentißimo.

Vel liquamen.) *Legendum, mel, liquamen. Quod deinde sequitur condimentum, ex antiquo codice adscripsimus.*

IN CAPVT XX.

SPhondili uel fundili.) *Hic & in sequentibus pro hijs dictionibus semper legendum est. Spongioli uel funguli. Sunt autem spongioli & funguli fungorum generis, è quibus hij quidem dicti sunt forma diminutiua, illi uero à spongiæ similitudine ita uocati. Fungorum utiq; plura sunt genera & in primis boleti, de quibus in sequentibus dicetur. Sunt pezitæ qui sine radice aut pediculo nascuntur: item tubera de quibus dictum est in præcedentibus. Sunt & alia genera de quibus post boletos lib. 22. ca. 23. Plinius sic scribit: Fungorum lentior natura, & numerosa genera, & origo non nisi ex pituita arborum. Tutißimi qui rubent callo minus diluto rubore quàm boleti, mox candidi, uelut apice flaminis insignibus pediculis. Tertium genus suilli, uenenis accommodatißimum. Familias nuper interemêre, & tota conuiuia. Anneum Serenum præfectum Neronis uigilum & tribunos & centuriones quosq;: uoluptas tanta ancipitis cibi. Siccantur pendentes suilli iunco transfixi. Et paulo post, Libet, inquit, & coquendi dare aliquas communes in omni eorum genere obseruationes: quando ipsæ suis manibus deliciæ præparant hunc cibum solum, & cogitatione ante pascuntur, succineis nouaculis aut argēto apparatu comitante. Noxij erunt fungi, qui in coquendo duriores fiunt. Innocentiores qui nitro addito coquentur, si utiq; percoquantur. Tutiores fient cū carne cocti, aut cum pediculo pyri. Prosunt & pyra confestim sumpta. Debellat eos & aceti natura contraria hijs. Imbribus prouenıunt omnia hæc. Sed de fungis plura in sequentibus.*

Pro salso.) *hoc est, loco salsamenti.*

Prædurabis.) *hoc est, post cocturam refrigerando & desiccando callosiores & duriores efficies, coquendo enim emollescunt.*

Passum collocabis.) *Legendum, Passo colorabis.*

Neruos.) *hoc est, crines & filamenta quæ per longitudinem habent protensa.*

Augmento.) *Legendum, Omento. Quod quid sit, dictum est lib. 2.*

IN CAPVT XXI.

CArotæ seu pastinacæ.) *Carotam & pastinacam radices tanquam congeneres hic iungit Apicius & ob similitudinem uirium ijsdem eadem apparat cōdimenta. Carota nempe, siue ut nunc pronunciant,*

careota, cari siue carei, unde nomen traxit, radix est: quam Atheneus dipno
sophistarum li. 9. celebrans, maiorem pastinacam appellat, uulgari & cotti
diana illa meliorem: quæ etiam elixa pastinacæ modo estur, authore li. 3. ca.
60. Dioscoride, licet seorsim etiam sub sisari nomine de eadem agat li. 2. ca.
104 his uerbis: *Suauis in cibo ori elixa sisari radix est, stomacho utilis. Vri=
nam cit, & cibi appetentiam excitat.* Præterea Paulus Aegineta lib. 1. ca. de
ijs quæ edendo sunt radicibus, hanc tanquam congenerem pastinacæ & dau
co simul iungit inquiens, σαφυλίνου δὲ καὶ δαύκου καὶ κάρου αἱ μὲν ῥί=
ζαι, hoc est, *Staphylini uero quæ pastinaca est, & dauci & cari radices.*
Vbi cari radicem, siser transferunt interpretes, de quo li. 19. mox post pasti=
nacæ genera Plinius etiam sic scribit. *Siser & ipsum Tiberius princeps no
bilitauit flagitans omnibus annis à Germania. Gelduba appellatur castellum
Rheno impositum, ubi generositas præcipua.* Ex quo apparet frigidis locis
conuenire. *Inest longitudine neruus qui in decoctis extrahitur, amaritudinis
tamen magna parte relicta, quæ mulso in cibis temperata etiam in gratiam
uertitur.* Et li. 20. idem ait, *Stomachum excitat, fastidium abstergit siser.* Ex
quibus omnibus facile colligere licet carotam aut è pastinacæ genere aut illi
congenerem similémue esse. Celsus hanc stomacho idoneam & urinam mo=
uere, sed mali succi esse dicit. Condiebatur olim sicuti & oleris atri radix:
cuius conditura modum docet li. 12. ca. 56. Columella. Hactenus de Carota.
Nunc de pastinaca, cuius duo genera traduntur. Vnum satiuum, alterum a=
greste, quod Daucus etiam appellatur, authore Galeno & Paulo Aegineta.
Satiuum Græci simpliciter staphylinum uocant. Agreste uero semper cum
addito. Vnde Columella li. 9. ca. 4. *Tum agrestis pastinaca & eiusdem nomi
nis edomita quam Græci staphylinon uocant.* Vbi per edomitam intelligit
satiuam. Et Dioscorides li. 3. de agresti agens ait: *Staphylinon agrion, Roma
ni pastinacam erraticam uocant.* Radix illi odorata & quæ cocta edendo
est: *urinam cit, & Venerem stimulat.* Magis edendo est hortensis: *ad ea=
dem omnia sed minore efficacia utilis.* Quibus generibus & alia iungit lib.
19. ca. 5 Plinius ubi ait: *Pastinacæ unum genus agreste sponte prouenit: Sta=
phylinos Græce dicitur.* Alterum seritur radice uel semine primo uere uel
autumno. *Annicula utilis esse incipit, bima utilior, gracilior autumno, pati=
nisq; maxime. Et sic quoq; uirus illi intractabile est.* Hibiscum à pastinaca
gracilitate distat, *damnatum cibis, sed medicinæ utile.* Est & quartum genus
in eadem similitudine pastinacæ, quam nostri Gallicam uocant, Græci uero

daucon

daucon. Cuius genera etiam quatuor fecere. De quibus Dioscorides etiam agit sub dauci nomine libri 3. cap. 77.

Et cumino.) Legendum, in cuminato.

Coliorum.) Legendum, Coloratum.

ANNOTATIONES IN QVARTVM LIBRVM APICII CAElij Gabriele Humelbergio Medico authore.

PAndecter, id est, πανδέκτης, omniceps, omnitenens & copiosus: quasi omnium aut saltem plurimorum & multigenorum condimentorum & pulmentariorum opsoniorumq; receptaculum. Quo nomine præsens insignitus est liber ab Apicio, eo quod si non uniuersim omnia, saltem plurima & multigena, plurifariaq; in ipso descripta contineantur opsoniorum & eorundem condimentorum genera: ἀπὸ τοῦ πάντα ἔχειν ἢ δέχεσθαι, quod omnia habeat siue contineat. Qua ratione etiam medicinæ pandectas Matthæus Syluaticus, & iuris pandectas uocauit Iustinianus.

IN CAPVT I.

SAlacattabia.) Lege, Salacaccabia, id est, ἁλακακκάβια, salsitia ollaria & salsa caccabularia, hoc est, quæ in cacabis uocatis ollis coquuntur. Conflata est autem dictio ab ἅλας, id est, salas, (aspiratione ceu sepius fit, conuersa in literam s.) quod salsitium est, & cacabus qui olla est & uas coquinarium per diminutionem cacabulum etiam dictum, quo tuceta, carnes & pulmentaria coquuntur. Non male aulicoccia nominari posse putauerim: quo nomine antiqui exta designabant quæ in aulis, id est, ollis coquerentur.

Recentem.) Post hanc dictionem, adscribendum cum puncto sequente puto alteram illam quæ est, conteres. Scilicet prædicta omnia & id quidem in mortario, uti ex sequentibus colligo, & condimenti ratio etiam exigit.

Posca.) Posca est potus ex aceto & aqua temperatus & commixtus, quem Græci ὀξύκρατον oxycratum uocant.

Maceratum.) Macerare nunc extenuare est, nunc uero madefacere, humectare & emollire.

Caseum bubulum.) *Qui unguinosior est cæteris. Et, ut Rei rustica lib. 2. testatur Varro, maximi cibi est bubulus & qui difficillime transeat sumptus. Secundo ouillus minimi cibi, & qui facillime deijciatur, caprinus. Est etiam discrimen, utrum casei molles, ac recentes sint, an aridi & ueteres. Cum molles sunt, magis alibiles, in corpore non resides: ueteres & aridi contra.*

Concisi capparis minuti secusculis.) *Vti ex sequentibus colligo, legendum puto ceu reddidi sic: Concisas cepas aridas minutim, iecuscula.*

Apiciana.) *ab authore Apicio sic denominata. Apicius noster cum aliorum gulæ mancipatorum patinas & condimenta scriptis suis inserit, non id facit quo gulositati & lasciuæ uoluptati materiam præstet, cuius causa fortaßis ab authoribus suis excogitata sunt, sed eo tantum consilio ut talibus taquam salubrioribus è multis uoluptuarijs excerptis, humanæ saluti & commodo consulat, sicuti nunc & aliquando in sequentibus etiam tum aliorum tum Apicij cõdimenta suis interserit. Apicij inquam Romani illius potißimum, cuius mentio facta est in præfatione nostra. Nisi Apiciana condimenta hæc quis ad hunc nostrum referre maluerit authorem, qui talibus salubritatis causa à se excogitatis cum primis usus fuerit.*

Panis Picentini.) *Qui ex alica fiebat, de quo lib. 18. cap. 11. Plinius ait: Durat sua Piceno in panis inuentione gratia ex alicæ materia cum nouem diebus macerata, decimo ad speciem tracta & subacta uuæ passæ succo est. Ibi postea in furnis ollis indita, quæ rumpantur, ibi torrent. Neq; est ex eo cibus nisi madefacto, quod fit lacte maxime mulso. Meminit huius etiam Martialis hoc disticho: Picentina ceres niueo sic nectare crescit, Vt leuis accepta spongia turget aqua. Picentinus autem dicitur à Piceno quinta regione Italiæ, quondam uberrimæ, ut li. 3. tradit Plinius, multitudinis 360. M. Picentium in fidem Rom. populi uenere. Orti sunt à Sabinis uoto uere sacro.*

Glandulas hædinas.) *Carnes glandulosas & glandia ipsa hædi, quæ sunt ceruices & carnes earum in quibus glandulæ ipsæ positæ sunt.*

Caseum Vestinum.) *Vestini populi sunt Italiæ inter Mauricinos & Sabinos, in quarta regione à Plinio li. 3. nominati. Apud hos non minimæ laudis casei fiebant, & inter Romæ proximos præcipui, Nam laus caseo Romæ, ubi omnium gentium bona iudicantur. Proximus autem urbi Vestinus Crustuminusq;, & è Ceditio campo laudatißimus, testante lib. 11. cap. 42. eodem Plinio. Meminit Vestini etiam casei & bonitatis eius Martialis hoc disticho:*

distich o: Si sine carne uoles ientacula sumere frugi, Hæc tibi Vestino de grege massa uenit.

Cepas aridas.) Quo usui meliores fiant, inueterantur cepæ: idq; non uno modo. Plinius li. 19. ca. 6. Quod si diutius allium cepeq; inueterari libeat, aqua salsa tepida capita intingenda sunt: ita diuturniora fient, melioraq; usui, sed in satu sterilia. Alij contenti sunt primo super prunas suspendisse, abundeq; ita profici arbitrantur ne germinent: quod facere allium cepamq; extra terram quoq; certum est, & cauliculo acto euanescere.

Niuem.) Quam cœlestium aquarum spumam uocat li. 17. ca. 2. Plinius, & ex himbre mollius coacto gigni scribit idem lib. 2. ca. 61. Hac ueteres ad uini & aliarum rerum refrigerationem utebantur, illamq; luxuriæ causa æstiuis mensibus seruabant, quibus & aquam eius potare possent, cuius rei Martialis etiam meminit lib. 14. non uno disticho. Nam sub lemmate Lagena niuaria ait, Spoletina bibis, uel marsis condita cellis, Quo tibi decoctæ nobile frigus aquæ? Et sub lemmate niues inquit, Non potare niuem, sed aquam potare rigentem, De niue cōmenta est ingeniosa sitis. Et iterum, Maßiliæ fumos miscere niualibus undis Parce puer, constet ne tibi pluris aqua. Colabant autem niuem aliquādo per uas ex lapide spongioso factum, quod colum dicebatur niuarium, de quo Martialis sunt uersiculi hij: Setinos moneo nostra niue frange trientes, Pauperiore mero tingere lina potes. Interdum uero colabant eam per saccum niuarium appellatum, sicuti uina per uinarium. Vnde Martialis iterum ait: Attenuare niues norunt & lintea nostra, Frigidior colo non salit unda tuo. Præterea Nero Cæsar æstate niuatis piscinis uti solebat, ceu in uita eius testatur Suetonius, cuius uerba sunt hæc: Epulas è medio die ad mediam noctem protrahebat: refotus sæpius calidis piscinis ac tempore æstiuo niuatis. Luxuria itaq; reponendæ niuis commenta est officinas. Optime autem seruatur in palea, iuxta illud Diui Augustini li. 21. de Ciuitate dei, ubi ait: Quis paleæ dedit uel tam frigidam uim ut obrutas niues seruet? uel tam feruidam ut poma immatura maturet? Quam rem tamen Plinius taxat inquiēs: Hi niues, illi glaciem potant, pœnasq; montium in uoluptatem gulæ uertunt, Seruatur algor æstibus, excogitaturq; ut alienis mensibus nix algeat, decoquunt alias, quas mox & illas hyemant.

Sub ora.) hoc est, à latere & in margine, & hoc ad refrigerationem & delectationem, cibiq; appetentiam excitandam.

Panem Alexandrinum.) Qui frumenti ratione candidus & non illaudabilis existit. Vnde Plinius lib. 18. ca. 7. de frumentis ait: Cyprium

fuscum est, panem nigrum facit: itaq; miscetur Alexandrinum candidum.

Allium.) De allio, quod in cibario usu & opsonijs aliquando tum rusticis tum urbanis hominibus est, & unde alliata fiunt, Plinius lib. 19. sic scribit: Allium ad multa ruris præcipue medicamenta prodesse creditur. Tenuissimis & quæ separantur in uniuersum uelatur membranis, mox pluribus coagmentatur nucleis, & hijs separatim uestitis. Asperi saporis, & quo plures nuclei fuere, hoc est asperius. Tædium huic quoq; halitu ut cepis, nullum tamen coctis. Et li. 20. c. 6. Allio magna uis, inquit, magnæ etiam utilitates contra aquarum & quorumlibet locorum mutationes. Suspiriosis coctum aliqui crudum id dedere. Coctum utilius est crudo, elixumq; tosto: sic & uoci plus confert. Tineas & reliqua animalia interaneorum pellit in aceto mulso coctum. Tenesmo in pulte medetur. Credunt & comitialem morbum sanare, si quis eo in cibo utatur ac potione. In uino austero tussi, & alio modo acceptũ. Facit & somnos, atq; in totum rubicundiora corpora. Vitia eius sunt quod oculos hebetat. Inflationes facit. Stomachum lædit copiosius sumptum, sitim gignit. Cæterum contra pituitam & gallinæ & gallinaceis prodest. Mixtum farre in cibo iumentis urinam reddere, atq; non torqueri tradunt, si eo trito natura tangatur. Hæc ille.

IN CAPVT II.

PAtina.) Patina uasis genus est coquinarij quo cibi coquuntur, interdum uero mensarij genus quo dapes elixæ & iurulentæ mensis inferuntur. Terentius, Iam dudum animus est in patinis. Et per diminutionem patella dicitur. A patina etiã patinarius est dictus, in patina conditus. Plautus, Is habet succum, is suauitatem, eum quouis pacto condias, uel patinariũ, uel assum uerses quo pacto lubet.

Erolus.) Iuxta scriptum codicem legendum, & ouis.

Nuces fractas.) Iuglandium quas escarias uocat Marcellus medicus, nucleos confractos & concerptos. Hic animaduertendũ quandocunq; nucum uocabulum sine adiuncto positum repereris, id de iuglandibus intelligendum, de quibus lib. 15. ca. 22. Plinius scribit in hunc modum. Nuces iuglandes quanquam & ipsæ nuptialium fescenninorum comites: multum pineis minores uniuersitate: eædemq; portione ampliores nucleo. Necnon & honor ijs naturæ peculiaris, gemino protectis operimẽto: puluinati primum calicis, mox lignei putaminis. Quæ causa eas nuptijs fecit religiosas tot modis foetu munito, quod est uerisimilius, quàm quia cadendo tripudium sonumue faciant. Et has è Perside à regibus translatas indicio sunt Græca nomina.

mina. Optimum *quippe earum genus perſicum atq; baſilicum uocant.* Et
hæc fuere prima nomina. Caryon *à capitis grauedine propter odoris graui=
tatem conuenit dictum.* Tinguntur *cortice earum lanæ, & ruffatur capil=
lus primum prodeuntibus nucleis.* Id *compertum infectis tractatu manibus.*
Pingueſcunt *uetuſtate. Sola differētia generum in putamine duro fragiliue,
& tenui ac craſſo, loculoſo & ſimplici.* Solum *hoc pomum natura compa=
ctili operimēto clauſit.* Nanq; *ſunt bifidæ putaminum carinæ.* Nucleorumq́;
illis quadripartita diſtinctio lignea intercurſante membrana. Et lib. 23. ca. 8.
medicinam earum tractans idem ait: Nuces *iuglandes* Græci *à capitis graue
dine appellauere.* Etenim *arborum ipſarum foliorumq́; uires in cerebrū pe
netrant: hocq́; minore momento, ſed in cibis nuclei faciunt.* Sunt *antē recen=
tes iucundiores, ſiccæ unguinoſiores & ſtomacho inutiles, difficiles conco=
ctu, dolorem capitis inferentes: tuſsientibus inimicæ, & uomituris ieiunis
aptæ, teneſmo ſolo, trahunt enim pituitam.* Eædem *præſumptæ uenena hebe
tant.* Item *aduerſantur cepis, leniuntq́; earum ſaporem.* In *ſanctuarijs* Mi=
thridatis maximi regis deuicti Cn. Pompeius *inuenit in peculiari commenta
rio ipſius manu compoſitionem antidoti è duabus nucibus ſiccis: item ficis
totidem, & rutæ folijs uiginti ſimul tritis, addito ſalis grano, & qui hoc ie=
iunus ſumat, nullū uenenum nociturum illo die.* Quin *etiam, ut li. 1.* Dioſco=
rides tradit, maiore copia ſumptæ lumbricos latos pellunt. Recentes *ſtoma
cho quod dulciores ſunt, minus nocent.* Quam *ob cauſam allijs ad auferen=
dam eorum acrimoniam miſcentur.* Seruantur *etiam uirides in alienos men=
ſes, ceu docet in* Ianuario *menſe* Palladius, *cuius hæc ſunt uerba:* Nuces *ſer=
uantur uel paleis obrutæ, uel harena, uel folijs ſuis aridis, uel arca ex ligno
ſuo facta incluſæ, uel cepis miſtæ, quibus hanc uiciſsitudinem reddunt, ut eis
acredinem tollant.* Martialis *ſe expertum dicit uirides nuces tantum liberas
putaminibus ſuis melle demergi, & poſt annū uirides eſſe, & ipſum mel ita
medicabile fieri, ut ex eo facta potio arterias curet & fauces.*

Teres eas.) *Legendum, torres eas.* Repetitur *hæc patina infra, niſi
quod illi tunc merum etiam addit.*

Friſilis.) *In uetuſto exemplari fuſilis legitur & id mendoſe.* Legen=
dum puto, frictilis, à frigo quod eſt torreo: nam mox frigere iubet oliſatra.

Refrigerabis & friges. Accipies cerebella iiij. eneruabis,
coques.) *Hæc omnia ex antiquo exemplari huc adſcripta ſunt.* Vbi *ta=
men male etiam legebatur refringues pro & friges.*

In thermoſpodio.) *hoc eſt, in calido cinere.* σποδὸς *enim cinis*

est. θερμὸς uero calidum significat.

Postea quod.) Lego, postea quàm.

Ficedulas curtas.) Lege, Ficedulas curatas, id est præparatas. Est autem ficedula auis parua, scitißimi saporis, quã solam totam comesse oportere uolunt gulæ proceres. Pascitur uuis & à quibus nomen habet ficis. Vnde illud Martialis: Cum me ficus alat, cum pascar dulcibus uuis: Cur potius nomen non dedit uua mihi? De hac li. 10. ca. 29. Plinius ait: Alia ratio ficedulis. Nam formam simul coloremq; mutant: hoc nomen non nisi autumno habent: postea melancoriphi uocantur.

Tres.) Legendum, teres, & ad piper referendum, aut saltem adscribenda hæc dictio si priorem obseruare uolueris.

Scrupulos: sed.) Legendum, Scrupulos 6. ut certa quantitas habeatur.

Vini cyathum: uini paßi ciatum mittes in cacabum olei unc iij.) Lego sic, Vini cyathum unum, paßi cyathum unum, olei unc. iij. mittes in cacabum. Et quandocunq; in sequentibus hæc duo, unum passum, iuncta repereris, tunc illa per colon aut uirgulam separato tanquam diuersa. Passum enim per se sine adiuncto uini rationem in se continet. Estq; passum, uinum dulce ex uuis paßis expressum: cuius conficiendi modi traduntur à Plinio li. 14. Columella li. 12. & Palladio in Octobri mense. Passum ex potionibus ualentißimi generis & boni succi, sed stomacho alienum & aluum adstringere tradit Celsus.

Impensam.) Temperaturam, mixturam & condituram. Impensa dicitur quod in rem aliquam expenditur.

Pronciuntur.) Ex antiquo exemplari adscribe, teres, suffundes uinum, colas.

Ex rusticis.) Scilicet herbis, id est, agrestibus & sponte ruri nascentibus, de quibus habitum est libro præcedenti.

Siue tinis.) Legendum censeo, cymis.

Ita facies.) hoc est, condies & præparabis quemadmodum præcedentes de asparagis.

De sambuco.) Sambucus nota arbor, habet alterum genus magis syluestre, quod Græci chameacten, Latini ebulum uocant, multo breuius. Vtriusq; decoctum in uino ueteri foliorum uel seminis uel radicis ad cyathos binos potum stomacho inutile est, aluo detrahens aquam. Acini eius infirmiores quàm reliqua tingunt capillum: urinam mouent: foliorum mollis-

sima

ſima ex oleo & ſale eduntur ad pituitam bilemq; detrahendam. Ad omnia efficacior quæ minor. Radicis eius in uino decocti duo cyathi poti hydropicos exinaniunt. Caules teneri minoris ſambuci in patinis cocti aluum ſoluunt: ijdemq; in aqua macerantur, ut ea ſparſa pulices necentur. Foliorum decocto ſi locus ſpargatur, muſcæ necantur. Cortex interior tritus ex uino albo potus aluum ſoluit. author Plinius lib. 24. ca. 8.

Speculum exiccabis patinam: compones ad ſurcellum.) Hoc loco uerba quædam deſunt, ſcilicet, perunges & in patinam, quæ ex antiquo exemplari adſcripſi: aliqua uero primitus notis tantum ut puto & per abbreuiationem ut nunc loquimur, ſcripta fuerunt, é quibus notis poſtmodũ coalitis & literis aliquot perperam immutatis facta ſunt uerba mendoſa ceu ſpeculum & ſurcellum: hoc quidem ex hac ſcriptura, ſucc. illum. Prius uero illud ex tali, ſ. pe. colum. Quare integre & emendate ita legendum: pro ſpeculum quidem, ſuccum per colum: & pro ſurcellum, ſuccum illum, & hæc ſcriptura colligitur etiam ex patina ſequente: ex qua itidem uerbum illud exiccabis, mutaui in colabis. Quod autem dixi notis ſcripta, ſciendum eſt, Notis ſcribere eſſe cõpendioſo ſcribendi genere excipiendo uti, ut inquit Budæus. Tranquillus de Tito principe Romano: E pluribus comperi notis quoq; excipere uelociſſime ſolitum, & cum amanuenſibus ſuis per ludum iocumq; certantem: imitari chirographa quæcunq; uidiſſet.

Liquamen poſtea.) Ex ſcripto codice lege, liquamen, fricabis: poſtea.

De toris.) Legendum, de roſis. Roſa, inquit li. 21. ca. 4. Plinius, naſcitur ſpina uerius quàm frutice: in cibos quoq; proueniens. Illic etiam iucundi odoris quamuis anguſti. Germinat omnis primo incluſa granato cortice, quo mox intumeſcente & in uirides alabaſtros faſtigiato paulatim rubeſcentes dehiſcit, ac ſeſe pandit in calicis medio ſui ſtantis complexa luteos apices. Et eiuſdem libri capite 19. de medicina eius dicit: Flos ſomnum facit. Semen dentium dolori illinitur, urinam ciet, ſtomacho imponitur, item igni ſacro non ueteri: naribus ſubductum caput purgat. Capita pota uentrem & ſanguinem ſiſtunt. Vngues roſæ epiphoris ſalubres ſunt. Folia uitijs ſtomachi & uentris & inteſtinorum & præcordijs utiliſſima illita. Cibo quoq; lapathi modo condiuntur. Cauendus quoq; in his ſitus celeriter inſidens. Et aridis & expreſſis aliquis uſus. Sed de roſis plura li. 1.

Exfoliabis.) Exfoliare eſt folia decerpere.

Albumtolles.) id eſt, foliorum floris decerptorum partem imam

quæ alba est & unguis uocatur, forcipe præcides & proijcies tanquam inutilem & nullius usus, eo quod sole non cocta & inodora inutili humore abundat.

De apabadiade.) Ex uetusto codice emendate legendum. De Apua. Apuani lauas. Apua piscis genus est molle, quod aphyen Græci uocant, eo quod nullo ferè alio principio quàm è pluuia nascitur, authore Plinio, cuius li. 31. ca. 8. ubi de muria & alece agit, uerba sunt hæc. Cœpit tamen & priuatim ex inutili pisciculo minimoq; confici, apuam nostri, aphyen Græci uocant: quoniam is pisculus è pluuia nascitur. Aristoteles à spuma in qua nascitur aphron, & Atheneus aphritim uocat, quæ ex spuma quæ imbre admisso calluerit, consistens, nec incrementum capit, nec prolem adfert, & longiore tempore perit, sed denuo nascitur pisciculus. Qui quoniam mollis ac tener, cui in coquendo nihil aliud adhibetur præter oleum in quo feruenti frigitur, moxq; ut contigit oleum, iam decoctus est: in prouerbium abijt ut dicatur, Aphya in ignem, & alterum, Aphyæ honos oleum. Verum sunt & alia complura aphyæ genera, & quæ aliorum piscium fœtura existunt. Nam ut in nonum librum naturalis historiæ Plinij annotauit Massarius, aphyæ genus est, authore Atheneo & libro de historia sexto Aristotele, quod Cobitis, hoc est, ut Theodorus uertit, Gobionaria creat, gobiones parui, ignobiles, albi, qui terram subeunt. Est & aliud genus aphyæ quod in portu Athenensium natum encraulos dictos progenerat, quod Archestratus & Chrysippus commendare uidentur. Itemq; aliud mænarum & mugilum fœtura. Quam uero phalericam uocant membradas gignit, ex quibus Sardinæ, ex Sardinis Sardæ oriuntur. Cæterum apuæ, inquit Atheneus, membrades, & trichiæ, & alij omnes quorum spinas simul comedimus, concoctionem spirituosam faciunt, alimentum humidum exhibent, cum concoctio non adæquetur, sed carnes cito concoquantur, & spina serius dissoluatur: meliores uero sunt elixi, & aluum inæqualiter soluunt. Et ut Aetius li. 11. ca. 30. testatur, Ex aquatilibus ad renum & uesicæ ulcera congruunt apua marina minima aßidue comesta.

Cumana.) Cumana est quam testam uocant, ex terra rubra à figulis rota formatum uas coquinarium, & de hoc intelligit Martialis cum ait: Hanc tibi cumano rubicundam puluere testam Municipem misit casta Sibylla suam. Huic similis uidetur esse cucuma, uas coquinarium: caldarium.

Apabadialis.) Legendum, Cum apua elixabis.

De abua siue apua.) Legendum, De apua sine apua, hoc est, ut apua

apua esse non agnoscatur.

Vrticas marinas.) Vrticæ marinæ piscium generis sunt, quas Plinius li. 9. ca. 45. inter ea numerat quæ nec animalium, neq; fruticum, sed tertiam ex utroq; naturam habent, quemadmodum & spongias. Noctu uagantur, carnosæ frondes ijs. Natura ut carne uescantur. Vis pruritu mordax, eademq; quæ terrestris urticæ. Contrahit ergo se quàm maxime rigens: at prænatante pisciculo frondem suam spargit, complectensq; deuorat: aliâs marcenti similis, & iactari se passa fluctu algæ uice contractos pisces, attrituq; petræ scalpentes pruritu inuadit. Eadem noctu pectines & echinos perquirit. Dum admoueri sibi manum sentit, colorem mutat & contrahitur. Tacta uredinem mittit, paulumq; si fuerit interualli, absconditur. Ora ei in radice esse traduntur: excrementa per summa tenui fistula reddi. Aiunt itẽ, ut idem li. 32. refert, urticam marinam in uino potam prodesse calculosis.

Ad uaporem.) Accipitur uapor ab Apicio pro calore. Sic Plinius etiam li. 2. Molliri eis creditur solis uapor, geminatus ardore sideris. Et li. 15. Gleucino mustum incoquitur uapore lento.

Ire possint, ut.) Lego, bullire poßint, &c.

Patina ex lacte.) Lac succus est maternus quo animalia nutriuntur, habetq; communiter omne lac saporis & succi bonitatem. Estq;, ut Rei rusticæ li. 2. tradit Varro, omnium rerum, quas cibi causa capimus, liquentium maxime alibile, & id ouillum, inde caprinum. Quod autem maxime perpurget est equinum, tum asininum, deinde bubulum, tum caprinum. A mulgendo, atq; ortu optimũ est id, quod neq; emunctum longe abest à mulso, neq; à partu continuo est sumptum. Celsus ex potionibus ualentißimi generis esse dicit lac, & boni succi, aluumq; mouere, sed stomacho alienum & quod facile intus corrumpatur. Dioscorides lib. 2. ait, lac egregie nutrit, aluum tamen mollit, intestinorumq; & stomachi inflationes facit. Interaneorum exulcerationibus communiter medetur, præcipueq; gutturis, pulmonum, intestinorum, renum, uesicæq;. Minore inflandi ui est quod semel decoctum fuerit. Inutile lienosis omne lac est, iocinorosis itidem, uertiginosis, comitialibus, neruorum uitijs, febribus & capitis doloribus. Quod & Hippocrates Aphorismorum li. 2. testatur inquiens: Lac dare caput dolentibus malum, malum uero & febricitantibus, & quibus ilia suspensa murmurãt, & siticulosis. Malum autem & quibus in febribus acutis biliosæ sunt deiectiones, & quibus sanguinis multi deiectio facta est. Conuenit autem & tabidis dare, qui non ualde multum febricitant, & in febribus longis, & par-

uis, si nullum ex supra dictis signis affuerit, & præter rationem consumptis. Item in renibus calculum gignit, authore Paulo Aegineta.

Pullum raptum.) Hoc est direptum, discerptum & in frusta partitum.

Longanones porcinos ex iure Tarētino farsos, coctos.) Vna transposita & in alium locum translata dictione sic legendum puto. Longanones porcinos farsos, ex iure Tarentino coctos, ut farsi longanones, ex iure coquantur, non farciantur. Est aūt longanon intestinum, quod rectū uocatur, est & farciminis genus ceu sanguiculi uocati, apexabo & hilla. Ius autem Tarentinum intelligit quale est quod hac ipsa patina mox subiungit, à Tarentinis fieri consuetum & in deliciarum usu habitum. Fuerunt siquidem Tarentini maximi uoluptarij, molles & delicati, luxuiq; dediti, unde illud Satyrici: Atq; coronatum & petulans, madidumq; Tarentum. Dicti quidem Tarentini à Tarento quod Sabinis molle significat, & Tarentum appellatum quod iuglandes fragili putamine & molli uixq; attrectato frangibili, & pineas, similiter & oues molles habeat, indeq; molle Tarentum uocatur Horatio.

In cinere pullorum.) Legendum, Iocinora pullorum.

Piscis aselli.) Dictionem aselli ex uetusto exemplari adscripsi. Est autem asellus piscis quem onon & oniscon Græci uocant, duos in capite lapillos molaris forma & cor in uentre habens, solus omnium qui uentrem uarium habet. Dictus quidem asellus secundum Varronem à colore asinino. Duo genera ut li. 9. tradit Plinius inquiens: Asellorum duo genera, Callariæ minores, & bacchi qui non nisi in alto capiuntur, ideoq; prælati prioribus. Et paulo ante, Asello post lupum præcipuam fuisse authoritatem, idem Plinius ex Cornelij Nepotis & Laberij poetæ sententia testatur. Boni nutrimenti est, authore Galeno. Diphilus bacchum boni succi & malæ concoctionis esse dicit. Aetius oniscon piscem ad uitia interaneorum commendat.

Pulpas ostreorum.) hoc est, carnem ostreorum, quæ duabus partibus constant, sphondylo scilicet & lacinia. Sphondylus dicitur callosum illud rotundum albicans, quod intus habent in medio ostreæ, à similitudine sphondyli, id est, uerticuli instrumenti quo mulieres in filando utuntur. Reliqua uero caro circumsparsa, lacinia uocatur.

Echinos.) Echinon Græci hirtum uocant. Et inde echinatum dicimus quod aculeis hirtum est, ad similitudinem calicis castanearum, qui echinus etiam dicitur, quia eo modo quo echinus marinus aculeis armatus est.

Est

Est & herbæ genus apud Galenum & Hippocratem & alios: item Echinus est animal, Latine Herinaceus appellatus: cuius duo genera sunt. Terrestris alter, quem describit li. 8. ca. 27. Plinius, cuius caro tabidis & quorum corpus macie conficitur, prodest. Alter est aquatilis siue marinus, quem nunc intelligit Apicius noster, & de quo plura in sequentibus.

Recentiores.) *hoc est, recentes & non salitos. Recens enim salsum excludit. Et sic pisces recentes ad differentiam salsorum appellat Celsus lib. 2.*

Suminis.) *Sumen Apicius pro ubere accipere uidetur, ceu patet infra li. 7. ubi copiosius de eo dicetur: licet aliquando etiam pro panticibus obesis accipiatur.*

Turdorum.) *Turdus auis est, merulæ magnitudinis, pectore albo, nigrantibus maculis uariegato, quæ per hyemem iuniperi baccis enutritur, de qua Plinius li. 10. ca. 24. post hirundinum tractationem ait: Abeunt & turdi simili modo in uicina: sed hij plumam non amittunt, nec occultantur, uisi sæpe ibi, quo hybernum pabulum petunt. Itaq; in Germania hyeme maxime turdi cernuntur. Fuit olim & nunc quoq; est inter alias aues in cibis maxime laudatus turdus. Vnde Martialis in Xenijs sunt uersiculi hij: Inter aues turdus si quis me iudice certet, Inter quadrupedes gloria prima lepus. Et Horatius ait: Nil melius turdo, uulua nil dulcius ampla.*

Præter ficedulas.) *Hæc enim est quam solam totam comesse oportere uolunt gulæ proceres.*

Vinum passum.) *Hæc duo sic iuncta semper separatim interposito puncto uel uirgula scribito, ut non una & eadem, sed duæ diuersæ res intelligantur, uinum scilicet per se, & passum itidem per se: sine addito enim paßi uocabulo uti solent authores, quemadmodum & mulsi.*

Alternis detrulare fundes cum piperi grana integra.) *Legendum, alternis de trulla refundes cum piperis granis integris. Trulla uero diminutiuum est à Trua. Est autem uasis genus inter mensaria etiam numeratum, forma rotundum & semicauum, & pro poculo à maioribus positũ. Horatius li. 2. Sermonum: Qui Veientanũ festis potare diebus Campana solitus trulla. Et aliquando pro coquinario etiam usurpatur, ut à Marcello medico libri de medicamentis capite ultimo, mittenda in cacabum uel trullam ut ferueant. Est & in quod aqua ex urceolo manuali siue alio uase superne demittitur. Et aliquando etiam pro alijs uasis accipitur. Est item Trulla tectorij operis instrumentum, quo linendis muris & arenato gipsa-*

toq; inducendis utuntur.

Coria.) Per coria intelligo impensarum in struendo ordines: quemadmodum Vitruuius laterum in parietibus struendis ordines Coria etiam uocat, quæ uulgo turba opificum Cursus appellat.

Diploidem.) Per diploidem intelligo rerum struendarum tunicam, thorum & subterniculum duplicatum.

Laganum.) Lagana sunt placentæ quæ ex candida farina fiunt tenuißima ad patinarum usum, à luxuria quæ λαγνοία dicitur. Item quædam quasi membranulæ ex farina & aqua, quæ iure pingui coctæ, & caseo, pipere, croco, cinamoq; conditæ in cibis non iniucundæ sunt.

Trullas imples desuper adijcies uinum uero.) Lego, Trullas impensæ desuper adijcies, unum uero &c.

Fistula percuties.) hoc est, baculo percutiendo leuigabis & attenuabis.

Condies diligenter.) Lege, Concides diligenter.

Et obligas.) Lege, amylo obligas.

Subcultrasti.) Subcultrare uocat cultello concidere. Est autem cultellus siue culter instrumentum ad scindendum simul & uulnerandum aptum.

Modico melle.) Ex antiquo exemplari legendum, modico mero.

Tyrotaricha.) id est, τυροταρίχη, caseata salsa à τυρὸς caseus & τάριχος salsus.

Ex quocunq;.) Ex uetusto exemplari adscribe, pisce: deinde post dictionem pullorum adscribe, oua dura, ex eodem exemplari.

Rutæ baccam.) Rutæ folliculum cum semine quod in eo continetur.

De tursione.) Tursio piscis est cetariorum generis in ponto nascens & rostris canicularum similitudine maleficus. Pli. li. 9. ca. 9. Delphinorum similitudinem habent qui uocantur Tursiones. Distant & tristitia quidem aspectus: abest enim illa lasciuia maxime: tamen rostris canicularum maleficentia aßimulati. Theodorus Gaza apud Aristotelem li. de historia animalium 6. & 8. phocenā interpretatur Tursionem & Tyrsionem. Et quia Cetacei generis est, duræ, ut similes, & coctu difficilis est carnis, ac succi craßi, authore Paulo Aegineta. Et Celsus inter ea quæ nos alunt, & ualentißimi generis sunt, enumerat etiam omnes beluas marinas, ex quibus cetos est, quæq; his pares sunt.

Vinum

Vinum, acetum, oleum transferes.) *Hic multa desunt quæ in antiquo scripto exemplari habentur, & cætera etiam emendatius, quare ex eo ita legendum erit. Vinum, liquamen, oleum in patellam pones ut coquatur, ouis obligabis, piper asperges & inferes. Patella ex olisatro. Elixas, & reliqua ut reddita sunt.*

Cum duxerit.) *Ducendi uocabulo Apicius noster utitur pro contraho, constringo & coeo, quod aliquando etiam siccare dicit.*

Ex lagitis.) *Pro lagitis hic & in sequentibus semper legendum, lacertis. Est autem lacertus is piscis salsamentis idoneus cuius meminit satyrographus: Conchen æstiui cũ parte lacerti. Et Martialis, Vel duo frusta rogat Cybij, tenuémue lacertum. Est & animal terrestre, de quo nihil ad præsens.*

Cirema.) *In uetusto exemplari scriptum est Cizeria: sed legendum, Gigeria. Sic appellantibus antiquis gallinarum intestina & quæ cum hijs coquebantur. Luci. Gigeria sunt sine allio, his uescamur alacriter. Gingreria uero dicebantur ex multis opsonijs decerpta.*

Salsum coctum.) *hoc est, salsitium uel salsamentum coctum, non crudum. Salsum dicitur quod salis saporem habet, uel sale conditum est condimentum & embamma, siue sapor & intinctus.*

Suffundes ut dulcis fit.) *Lege ut in sequentibus, suffundes passum uel mulsum ut dulcis sit.*

Amulorum.) *Legendum, Mullorum. Mullus piscis est marinus, olim in precio habitus, quem triglen uocant. Sed de hoc plura in sequentibus.*

Rades.) *Radere pisces est illos desquamare & squamas ijs auferre. Sunt autem squamosi mulli, squamis pallentibus seu ad uiredinem uergentibus, ungis quibusdam aureis paralellis: qui si uiui desquamentur colorem sanguineum recipiunt.*

Nuda compones adijcies ut.) *Legendum, Munda compones, adijcies liquamen ut.*

Duratos.) *Legendum ut in præcedenti patina, curatos. Est autem curare Apicio diligenter & exacte præparare.*

Cepas Ascalonias.) *Inter ceparum genera, quæ copiose enumerat li. 19. Plinius, nobilißima est Ascalonia ab oppido Iudææ appellatum. Ceparum natura ut crescente luna decrescant & minuantur: rursum decrescente, crescant & augeantur contra lunarem rationem, quã ob causam &*

Pelusiotas ipsis abstinere credunt. Et Aegyptus cepas ac allium inter deos iureiurando habet. Vnde illud satyrographi. Porrum & cepe nefas uiolare & frangere morsu, O sanctas gentes quibus hæc nascuntur in hortis Numina. Temperate sumptæ salubres putantur eo quod aluum emolliant, somnum inducant & appetentiam faciant. Præterea Venerem excitant: cum aliàs ipsis grauetur caput, lædatur cerebrum, somnusq; grauis inducatur.

Coronam bubulam.) Legendum fortasse, Cunilam, cuius plura genera sunt. Quæ bubula appellatur, semen pulegij habet. Contra serpentes in uino bibitur. Item testudines cum serpentibus pugnaturæ hac se muniunt. Quidamq; in hunc usum panacem uocant, referente Plinio lib. 20. cap. 15.

Lucretiana.) Ab authore cui in usu fuit sic appellata.

Cepas pallacanas.) Cepas condimentarias sic appellatas. Plinius li. 19. Ceparum apud nos duo prima genera. Vnum condimentarium, quod illi gethion, nostri pallacanam uocant: alterum capitatum.

Fatuum.) Hoc est, insulsum, insipidum, quod sapore caret. Fatuus cibus dicitur insipidus, à fatuis hoc est insipidis uel insipientibus hominibus.

Patina zomore ganonas.) In uetusto exemplari legitur, Patina zomote ganone. Locus hic utrobiq; mutilatus & deprauatus est, legendumq; arbitror. Patina piscium zomoteganite, id est, ζωμοτηγανίτη, ut intelligatur patina piscium in sartagine coctorum & proprio iure conditorum: ait enim mox, suffundes ius de suo sibi, hoc est, ius proprium in quo cocti sunt. Estq; conflata dictio, à ζωμὸς quod ius est & brodium, ac τήγανον quod sartaginem significat. Et inde τηγανίτης, id est, teganites dicitur panis in sartagine coctus & cum caseo assatus, authore Hesychio, cuius in lexico uerba sunt hæc, τηγανίτης, ἄρτος ἐπὶ τηγάνου γεγονὼς καὶ μετὰ τυροῦ ὀπτώμενος.

Vinum coctum.) Quale est sapa, defrutum uel carænum aut mulsum.

De suo sibi fricabis.) hoc est per se sine liquoris alicuius admixtione.

Tenuerit.) hoc est ut aliquando uocat siccauerit & duxerit strinxeritq;, id est, coierit & crassescerit, spissaueritq;.

Solearum.) Solea piscis est marinus è planorum genere, & inter lautiores, bonosq; numeratus, & patinis commendatus, sicq; dictus à figura qua crepidæ similis est quam soleam uocamus. Plani autẽ pisces qui & lati appellan-

appellantur, sunt qui parte prona supinaq; plana constant & in latera dilatantur. Hos in mari uidisse certissima securitas est, quia nunquam sunt ubi maleficæ bestiæ, quam ob causam urinatores sacros illos appellant, ut refert Plinius. Tales grauissimi & duri sunt, authore Celso.

Battues.) Batuere est percutere & uirgis uerberare. Plinius lib. 30. Crocodilorum morsibus ex aceto in linteolis, ita ut batuerentur ante ictum uulnera. Et Plautus in Casina: Quibus batuatur tibi os senex nequissime.

Heminam.) Hemina liquidorum mensura, sextarij dimidium est, cyathos continens sex.

Conditi.) Conditum est uinum aromatis & alijs odoriferis concinnatum, in qua significatione etiam à Græcis usurpatur, ut uidere est apud Aetium, Oribasium & Paulum.

Non feres.) Legendum, transferes, id est, transpones.

Dentice, aurata & mugile.) Pisces sunt patinis commendati & in cibis, de quibus plura in sequentibus.

De pisce lupo.) Piscis lupus qui nunc Varolus à Venetis dicitur, piscis est squamosus, squamis aliquanto minutis, candicantibus præsertim supina parte, ore immenso sine dentibus, interius tantum aspero: à capite uirga quædam nigra ex utroq; latere in caudam usq; protrahitur. Huic post acipenserem præcipuam, Plinio li. 9. referente, authoritatem fuisse Cornelius Nepos & Laberius poeta mimorum tradidere. Laudatissimi qui appellantur lanati à candore molliciaq; carnis, præcipue in amne capti, qui cæteris ob saporis gratiam præferuntur. Martialis eos cum fluuios ascenderint laudans, laneos uocat hoc disticho: Laneus euganei lupus excipit ora Timaui, Aequoreo dulces cum sale pastus aquas. Verum quod nominis rationem concernit, constat lupum piscem à quadrupede animali Lupo appellatum. Quemadmodum enim huius tanta uoracitas est, ut alio deficiente cibo, terra uescatur: ita ille uoracissimus etiam pisces & purgamenta quæcunq; uel etiam putrida insectatur, à qua uoracitate Græcis etiam Labrax dicitur, hoc est λάβραξ, à λα particula intensiua, & βορός, quod est edax, uti Perottus Sipontinus tradit. Et inde li. 8. ca. 17. Columella rapacem lupum uocat. Sunt & alia quæ de eodem traduntur mira, ceu quod lapidem in capite gestet & alia quæ à Plinio uarijs locis scribuntur. Siquidem lib. 9. cap. 16. ait: Prægelidam hyemem omnes sentiunt: sed maxime qui lapidem habere in capite existimantur ut lupi, coracini (siue ex Aristotele de historia animalium li. 8. chromes,) sciænæ, pagri. Et eiusdem libri capite 51. inquit, Piscium au-

tem lupus & trichias bis anno pariunt & saxatiles omnes. Et capite ultimo ait: Sunt & inimicitiarum atq; concordiæ miracula. Mugil & lupus mutuo odio flagrant. Nigidius author est prærodere caudam mugili lupũ, eosdemq; statis mensibus concordes esse. Lupus item caute insidias euitare nouit. Nam ut li. 32. ca. 2. ex Ouidij Halieutico refert Plinius: Rete circundatus, harenas arat cauda, atq; ita conditus transit rete. Et paucis interpositis uerbis iterum ait: Minus in prouidẽdo lupus solertiæ habet, sed magnum robur in pœnitendo. Nam ut hæserit in hamo tumultuoso discursu laxat uulnera, donec excidant insidiæ. Cæterum lupi patinis etiam commendati, inter teneros durosq; pisces sunt medij atq; planis leuiores, authore Celso. Hactenus de pisce lupo, qui nec Lucius, ut quidam putant: nec ut aliqui rentur, est sturio. Ceu luce clarius demonstrat in annotationibus suis in 9. librum Plinij Massarius.

Olei guttas.) hoc est, olei modicum & quod guttatim instillatur.

De sorbis.) Sorba fructus sunt, malorum pyrorumq; generi iure annumerãda, quibus quadruplex differentia, ut li. 15. c. 21. tradit Plinius. Alijs enim eorum rotunditas mali, alijs turbinatio pyri: alijs ouata species, ceu malorum aliquibus. Hæc obnoxia acri odore & suauitate iucunda. Cæteris uini sapor. Generosissima quibus circa pediculos folia. Quartum genus torminale appellant, remedio tantũ probabile, assiduum prouentu, minimumq; pomo, arbore dissimili, folijs pene platani. Non ferunt ante trimatum ex ullo genere. Cato & sorba sapa condi iubet. Seruantur etiam diu hoc genere, ut in Ianuario tradit Palladius, lecta duriora, ac posita, ubi mitescere cœperint, fictilibus usq; ad plenum claudantur urceolis, gipso desuper tectis, & bipedanea scrobe loco sicco sub sole mergũtur ore peruerso, & desuper spissius terra calcatur. Item secta per partes siccantur in sole, & seruantur in uasculis in hybernum. Cum uoluerimus uti, aqua feruenti macerata reuirescunt sapore iucundo. Aliqui cum pediculis suis uiridia lecta suspendunt locis opacis & siccis. Item ex sorbis maturis sicut ex pyris uinum fieri traditur, & acetũ. Alij sorba in sapa asserunt diu posse seruari. Celsus sorba stomacho aptissima tradit, & aluum adstringere, magisq; ea quæ torminalia uocantur. Martialis item sorborum uim adstringentem & naturam exprimit hoc disticho: Sorba sumus molles durantia uentres, Aptius hæc puero, quàm tibi poma damus. Et Serenus uentris solutioni mederi docens ait: Proderit & pueris quos dentis origo fatigat, Castaneas coxisse nuces & sorba uetusta.

De piscibus persica duriora.) *Legendum, de persicis. Duriora uero intelligit sicciora & quæ duracina uocantur: sicq; fortaßis legendum, quibus palma tribuitur.*

Purgata est medio.) *Legendum, purgata è medio, hoc est à parte dura interiore & semine.*

Ouis myxis.) *Legendum, ouis mixtis.*

Vrticarum.) *Vrticæ duo genera facit li. 4. Dioscorides. Alterum agrestioribus, hirsutioribus, latioribusq; & nigrioribus folijs: semine lini semini simili, uerũ tamen minore. Alterum quod cnyphen uocant: Romani urticam mollem, exili semine, sed non adeo ut antedictũ asperum. Aluum molliunt urticæ folia marinis conchulis cõcocta. Inflationes soluunt & urinam cient: cum ptisana decocta eadem exscreationes adiuuant. Sed de urticis & eorum generibus plura superius li. 3.*

Coquescet.) *Superfluit hic una litera, qua ablata legendum, coques, &, ut duæ sint dictiones.*

IN CAPVT III.

MInutal marinum.) *Vocat marinum quod ex piscibus marinis concinnatur. Minutal uero à minuo dictum, edulij genus est quod ex minutatim & in minutißimas partes concisis oleribus & fructibus, alijsq; rebus conficitur.*

In cacabum.) *Hic adscribendum aut saltem subintelligendum uerbum mittes.*

Cum caparis.) *In uetusto exemplari legitur, concapis. Ego legendum puto, concarpis, id est, discerpis & in frusta concidis.*

Obligas, cum ferbuerit.) *Hæc uerba, cum ferbuerit, repetita tanquam superfluentia, duximus expungenda.*

Testiculos caponum.) *Capones qui & capi dicuntur, sunt galli castrati. Castrantur autem nunc exemptis testiculis, nunc calcariorum inustione, quemadmodum Varro Rei rusticæ lib. 3. ca. 9. docet. Verba eius sunt hæc: E gallinaceo genere, proprio nomine uocãtur fœminæ, gallinæ: mares, galli: capi semimares, quod sunt castrati. Gallos castrant ut sint capi, candenti ferro inurentes calcaria ad infima crura usq; dum rumpantur, atq; extet ulcus, quod oblinunt figlina creta. Horum testiculi nunquam improbantur, cum aliorum animalium sint indigestibiles & cacochymi, digesti autem bene nutrientes. Gallorum autem optimi præsertim saginatorum, qui & suaues sunt & probũ alimentũ corpori præbent, authore Paulo Aegineta.*

Glandulas porcellinas.) *Porcellorum ceruices & glandia quæ ita dicuntur quod in his glandulæ nascuntur. Carnes glandulosas: quas puto esse eas quæ à lacteo colore & sapore lacteolum uulgo uocantur in delicijs habitum: quamuis & aliarum partium ceu mammarum sint glandulæ & carnes glandulosæ. Quæ, authore Paulo Aegineta, suaues sunt & laxæ, præcipue mammarum, sed maxime suillæ, dum uidelicet lacte replentur, ac ne minoris quidem alimenti sunt quàm carnes.*

Matianum.) *Dictum est matianum, uel à Matio authore, uel à malis matianis sic etiam dictis ab eodem Matio, quod huiusmodi pomis inserendis fuerit insignis. Plinius li. 15. ca. 14. Reliqua cur pigeat nominatim indicare? cum conditoribus suis æternam propagauerint memoriam: tanquam ob egregium aliquid in uita factum. Ni fallor, apparebit ex eo ingenium inserendi, nihilq; tam paruum esse quod non gloriam parere poßit. Ergo habent originem à Matio, Cestioq; & Manlio.*

Spatulam.) *Spatula à spata deriuatur quæ in triplici significatione est, aliquando enim gladium, aliquando uero rudem, instrumentúmue coquinarium quo cibi in ollis ad ignem feruentes despumantur: interdum item pectoris costas latiores significat, pro quarum siue potius scapularum in homine uocatarum, in brutis armorum carne nunc accipit Apicius noster.*

Tessellatim.) *Hoc est, frustulatim in modum tessellæ.*

Tergilla.) *Tergilla diminutiuum est à tergore. Intelligit autem pellem & cutem ipsam suis crassam quæ aliquando tergus dicitur: siue dorsum aut spinam, pulpasq; à latere eminentes dorsi, quæ posterior thoracis pars est, & tergum etiam dicitur.*

Ex præcoque.) *Legendum, ex præcoquis. Sunt autem præcoqua mala quæ ante tempus maturescunt, & præcocia etiã dicuntur à præcox. Intelligit autem persica potißimum quæ præcoqua æstate maturescunt.*

Fracta.) *Lege ut in præcedentibus, tractam.*

Inuenies inter lepores.) *Scilicet lib. 8. inferius.*

IN CAPVT IIII.

Ptisana uel succus.) *Hoc est, pulticula siue cremor & sorbitio ptisanæ. Est autem ptisana purgati & contusi hordei farina seu substantia, ad usum antea præparata, qua cum opus esset, utebantur. Tundebatur autem, non molebatur ex quo fiebat hordeum, ceu nomen quod πτίσσειν est, indicat: primoq; tusum in sole siccabatur: mox iterum tusum, iterum in sole siccabatur, & ut diutius duraret, cum suo polline condebatur. Ex quo*

deinde

deinde exigẽte necessitate tum in sanitatis usu tum ad medicinam pulticulæ fiebant & sorbitiones, quæ ptisanæ nomine designabantur. Quarũ aliquas & eas quidem operosas ac lautas nunc conficere docet Apicius noster. Simplicior autem est modus, quem libro euporiston tertio tradit Oribasius in hunc modum. Ptisanæ competenter conficiuntur, quando minus in bullitione inflatæ fuerint, sine odore sint: hoc illis proficit, qui post ægritudinem fastidium habent, siue duriciam uentris patiuntur: ea ratione ut mittas in heminam ptisanæ decem heminas aquæ, & ad mollem ignem positas diutius agitando coquas, donec succi fluant, & sic mittes mel & acetum, quando minus in bullitione inflatæ fuerint sine odore, & post hæc ad molles ignes donec multum suscipiat. Admiscendum est autem eis in illo tempore acetũ, quando iam non inflantur. Coctis autem diligenter sic mitti oportet salem tenuissimum non multũ: ante uero pro sapore in initio mox oleum si mittatur in coctione nihil nocet. Sed & si porrorũ modice mittatur, et anethi, & hoc ipsum mox in initio. Verum Paulus Aegineta plus aquæ accipit & sine melle conficit li. 1. capite de frumentaceis, ubi ait: Ptisana sic coquitur, Vni eius parti aquæ partes quindecim atq; paulum olei adijcito, ac post ebullitionem acetum quoq;: cũ uero exacte iam cocta fuerit, super inijciendus etiam tenuis atq; friatus sal est: sunt qui porrum quoq; atq; anethum addant. Fit autem non solũ ex hordeo, sed & ex tritico, & ut libro sequenti docet Apicius, alica quoq;, & oriza: unde Horatius, Sume hoc ptisanarium orizæ: & alijs item frugibus. Sed quæ ex hordeo fit simplex, cæteris præstantior est, ut cuius usus, Plinio lib. 18. tradente, ualidissimus saluberrimusq; tantopere probatur: & cuius laudes, sorbitionis gratia, in libro de Ptisana (qui in quarto de uictus ratione in morbis acutis continetur) conscripsit Hippocrates, ubi ait: Ptisana in hijs morbis, cæteris quæ ex frugibus constant pulmentarijs, mea quidem sententia, rectissime antefertur, neq; mediocri laude efferendi sunt hij, qui eam anteponere decreuerunt. Nam uiscositas eius lenis, continua, iucunda, lubrica & modice laxa est, sitim arcet, & (ubi ablutione opus est) facile descendit, non adstringit, non uellicat grauiter, neq; in uentre tumescit, quippe cum decoqueretur, tumuit quantum maxime intumescere potuit. Quibus autem & quando dandum, & quid in exhibitione eius obseruandum sit, ibidem prosequitur idem longius. Celsus boni succi, lenem & stomacho aptam atq; inter imbecillissima annumerari posse dicit. Hactenus de ptisana hordei, quæ nunc pro pulticula & sorbitione, nunc pro tusi hordei farina & substantia accipitur.

Ante diem infundes.) *Hoc est, pridie & die præcedente lotionem & fricationem, in aqua infusam macerabis & humectabis.*

Et coledium ut ubi coquantur.) *Legendum puto, & colocasium, ut ibi coquantur. De colocasio uero quid sit, dicetur infra lib. 7.*

Ligas.) *Legendum puto ut in sequenti libro, lyas: aut Latina uoce in eadem significatione liquas, hoc est, in humorem resoluis & liquidum humectumq; reddis.*

Supra acronem coloesium.) *Apicius noster Græcis interdum utens dictionibus, sæpiuscule illis Latinam dat formam & inflexionem, sicuti & nunc facit in dictione acron, id est, ἄκρον, quæ ipsis Græcis sublime & summum significat. Intelligit autem, ni fallor, per acronem colocasium (sic enim legendum pro coloesio hic & in sequentibus puto) summum colocasij caulis uerticem, in summoq; caule emergentem & bullantem multiplicem fabam, quam Ciborium appellari dicit Dioscorides lib. 2. cap. 96. & ita describit. Flos cum defloruit uesparum fauis similes utriculos profert: in quibus fabæ sunt paululum bullarum modo supra operculum emergentes. Vocatur id ciborium, ab aliquibus autem cibotium quasi scriniolū. Et Theophrastus lib. 4. de Plantarum historia inquit: In caulibus quale in papaueribus summum caput est: continuis fauorum modo foraminibus perforatum & in singulis his singula emergentia semina. Et huiusmodi caulis caput nunc Apicium intelligere puto.*

Silfi frictum.) *E capite 5. libri sequentis legendum, sil frictum, ut de silis semine intelligatur. Sicq; sæpius in sequentibus loco silfi legendum puto sil, id tamen non perpetuo.*

Tisanam barricam.) *Initium alterius sorbitionis est, & corruptus locus, quare ita legendum puto. Aliter. Ptisanam taricham, id est, salsam.*

Defrixas.) *Lege, defricas.*

Et super uiridia.) *Lego, Insuper uiridia, scilicet condimenta quæ sequenter enumerat.*

Et uiride.) *Legendum, & uiridia.*

Tribueris.) *Lege, triueris.*

Minutas.) *Lege, minutias, hoc est, præcisuras, particulasq; in quas concisi sunt coliculi.*

IN CAPUT V.

Gustum

GVstum.) *Gustum quod per diminutionem non ineleganter gustu=lum dixeris, intelligo ferculum quod non copiose & ad satietatem, sed parce & quasi gustando solum accipitur, quales sunt cibi quos ientacu=la uocamus, de quibus Martialis ait: Surgite iam, uendit pueris ientacula pi stor, Cristatæq; sonant undiq; lucis aues.*

Gingibera.) *Legendum, Gigeria, ut supra capite huius secundo.*

Aucellas.) *Vna interposita litera legendum puto, auicellas, ut de auiculis & paruis auibus intelligatur.*

Damascenas cochleas.) *Lego diuisim & interpunctim, dama=scena, cochleas.*

Lancem.) *Lanx quæ & langula dicitur à latitudine, uas est latum & rotundum ac concauum in quo cibaria mensæ inferuntur.*

Scellas.) *Legendum puto ut paulo ante, auicellas, & sic etiam in se=quentibus.*

Surclas.) *Id est, surculo connectis & ligas ne recidat.*

Primotica.) *Id est, quæ primo nascuntur & præcoqua sunt.*

ANNOTATIONES IN QVINTVM LIBRVM APICII CAElij Gabriele Humelbergio Medico authore.

OSprios, *id est,* ὄσπριος, *legarius, leguminarius, pultarius. Quo nomine inscriptus est liber hic quintus, quod uariorum leguminum pulmentaria & eorum conditurꝫ comprehendat & conficere doceat. Legumina autem frugum genus sunt. Si=quidem frugum duo prima genera sunt, lib. 18. tradente Plinio, frumenta ut triticum & hordeum, & legumina ut faba & cicer. Dicta quidem legumi na quod è terra uelluntur, non subsecantur, authore Varrone Rusticarum rerum lib. 1. ca. 23. cuius uerba sunt hæc. Quæ uelluntur è terra neq; subse=cantur, quod ita leguntur, legumina dicta. Deinde capite 32. ait: Quæ alij legumina, alij (ut Gallicani quidam) legaria appellant, utraq; dicta à legendo, quod ea non secantur, sed uellendo leguntur. Horum autem genera cum sint complura, maxime grata, ut li. 2. ca. 7. ait Columella, & in usu ho=minum uidentur, faba, lenticula, pisum, phaselus, cicer, cannabis, milium, pa nicum, sesama, lupinum, linum etiam & hordeum, quia ex eo ptisana est.*

Verum legumina omnia, ut lib. 2. de ratione uictus in morbis acutis testatur Hippocrates, & cruda & cocta & fricta & macerata & uiridia, flatum excitant, quam ob rem nisi cum alijs cibis, ipsis utendum non est. Praeterea singulae species sua habent uitia. Celsus ualentißimi generis & plurimi alimenti esse dicit, & mali succi, stomacho aliena, & inflare.

IN CAPVT I.

PVltes Iulianæ.) *De pulte dictum est li. 3. Iulianæ uero, ab authore sic dictæ uidētur Iuliano, qui huiusmodi usus sit. In quo Ammianus Marcellinus ciborum extollit parsimoniam, cuius mensarum tenuitas erat rectè noscentibus admiranda.*

Ligas.) *Lege, obligas.*

Lyatæ.) *Nisi Græcis dictionibus sub Latina inflexione & forma sæpiculæ uti soleret Apicius noster, pro lyatæ & uerbo lyas reponendum censuissem Latina uocabula liquatæ & liquas, in eadem scilicet in humorem resoluendi & liquidum humidumq; faciendi significatione, sed dictam ob causam nihil immutare uolui.*

Vbi satis fuerit.) *Lege, ubi satis ferbuerit.*

Copadias inulam.) *Ex uetusto exemplari legendum. Copadia, similam: de quibus utrisq; copiosius dicetur infra li. 7.*

Oenococti.) *Ex præcedentibus legendum, œnogari cocti.*

Tractogale.) *Legendum puto, Tractogalatæ. Sic etiam li. 6. pullum uocat tractogalatum, à tracta & lacte quod Græcis γάλα dicitur.*

Teres sorbiculos.) *Ex uetusto exemplari legendum, tres orbiculos, id est circulos uel globulos.*

Et partibus in lesum mittis ne uratura quædam miscendos agitabis cum cocta fuerit ut: & super ignem mittis: melle ex musteis &c.) *Hic locus corruptißimus est, sicq; ex uetusto manu scripto exemplari emendate legendus. Et partibus in lac summißis, ne uratur, aquam miscendo agitabis, cum cocta fuerit, ut est, super ignem mittis, melle ex musteis &c. Mel dicitur musteum quod nouum est & recens. Et sic etiam petasonem uocat musteum id est recentem & nouum.*

Pultes alicam &c.) *Hanc ultimam pulticulam, quia eadem est primæ Iulianæ, ideo tanquam superflue repetitam, censui omittendam.*

IN CAPVT II.

Lenticu-

Enticulam ex spondilis siue fondilis.) *Legendum, Lenticula ex spongiolis siue fungulis, de quibus dictum est li. 3. Lenticula uero quæ & lens dicitur, leguminis genus est, cuius duo genera in Aegypto dicit esse libro 18. cap. 12. Plinius. Alterum rotundius, nigriusq́;: Alterum sua figura. Vnde uario usu translatum est in lenticulas nomen. Inuenio apud authores æquanimitatem fieri uescentibus ea. Laudatur maxime quæ apud Pelusium nascitur oppidum. Vnde illud Vergilij: Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis. Et Ausonius in monosyllabis ait: Et Pelusiaco de semine plana, teres, lens. Martialis item: Accipe Niliacam Pelusia munera lentem, Vilior est alica, carior illa faba. Optima, ut Plinius li. 22. ca. ultimo tradit, quæ facillime coquitur, eaq́; quæ maxime aquam absorbet. Aciem oculorum obtundit & stomachum inflat, sed aluum sistit in cibo, magisq́; discocta cœlesti aqua. Eadem soluit minus percocta. Propter dissolutionem stomachi 30. grana lentis deuorantur. In choleris quoq́;, dysenteria, efficatior est in tribus aquis cocta: in quo usu melius semper eam torrere aut tundere, ut tenuißima detur uel per se uel cum cotoneo malo aut pyris aut myrtho aut intybo erratico aut beta nigra aut plantagine. Pulmoni est inutilis & capitis dolori, neruosisq́; omnibus, & felli, nec somno facilis. Stomachi quidem causa polentæ modo potionibus inspergitur. Celsus ipsam inter ea quæ aluum adstringunt enumerat his uerbis. Lenticula, cui uel beta uel intubus uel ambubeia uel plantago adiecta est: magisq́; etiam si illa ante fricta est.*

Cacabum mundum.) *Si non plura, saltem hæc uerba adscribenda puto, mittes, coques.*

De castaneis.) *De his lib. 15. ca. 23. Plinius sic scribit. Nuces uocamus & castaneas, quanquam accommodatiores glandium generi. Armatum ijs echinato calice uillum, quod inchoatum glandibus. Mirumq́; uilißima esse quæ tanta occultauerit cura naturæ. Trini quibusdam partus ex uno calice, cortexq́; lentus. Proxima uero corpori membrana & in his & in nucibus saporem, ni detrahatur, infestat. Torrere has in cibis gratius modulantum, laturas præstanti ieiunio fœminarum quandam imaginem panis. Sardibus heæ prouenere primũ: ideo apud Græcos Sardianos balanos appellant. Laudatißimæ Tarentinæ & Neapolitanæ, de quibus Martialis, Et quas docta Neapolis creauit lento castaneæ uapore tostæ. Inflationem faciunt & tarde concoquuntur. Crudæ tostæq́; sistunt, testante Hippocratæ: decoctæ minus. Plinius li. 23. Castaneæ, inquit, uehementer sistunt stomachi & uentris fluctiones. Sanguinem excreantibus prosunt. Carnes alunt. Seruantur*

etiam in alienos menses, ut in Nouembri tradit Palladius hijs uerbis. Castaneæ seruantur uel in cratibus dispositæ, uel intra sabulonem, ne inuicem tangantur immersæ, uel in uasculis fictilibus nouis conditæ & loco sicciore defossæ, uel inclusæ uirgeis ex fago receptaculis, & lutatæ, ut spiracula non relinquas, uel hordei paleis minutissimis obrutæ, uel palustri ulua figuratis densioribus sportis reclusæ.

Tutunclabis.) Legendum puto hic & in sequentibus, tudiculabis. Est autem tudiculare imprimere & sculpere: aliquando tamen metaphorice pro commouere usurpatur, ut hoc loco & in sequentibus.

Rute: suffundis.) Lege, Rutæ, fricabis: suffundis.

Melle, liquamine, aceto.) Lege, mel, liquamen, acetum.

IN CAPVT III.

PIsa.) Pisum siue pisa, utrunq; enim dicitur, leguminis genus est, inæquales ut cicercula habẽs angulos, siliquas cilyndraceas, folia multiplicia: cuius caules in terram sparguntur si non habeant adminiculum, quod si non habuere, deteriora fiunt pisa, authore Plinio li. 18. ca. 7. Inflant pisa, minus tamen quàm fabæ, testante Hippocrate. Et Galenus li. 1. de alimentis ait: Etsi simile quid tota substantia pisa cum fabis obtinent, nec alio quàm illæ modo comeduntur: duo tamen sunt in quibus euariant, non enim similiter ac fabæ inflant, nec abstergunt, ideoq; segnius quàm illæ per aluum secedunt.

Careum hoc est carauita careum.) In uetusto scripto exemplari legitur cariutam, ut de radice carei quæ careota uocatur, alterum uero careum de eiusdem plantæ semine intelligatur. Verum prior carei dictio cum expositione sua quamuis expungenda nobis uisa fuerit, noluimus tamen quicquam immutare, unicuiq; utriusq; aut alterutrius utendi pro arbitrio suo potestatem relinquentes. Est autem Careum quod & caron dicitur planta cuius semen medicinæ maxime commendat Dioscorides. Atheneus uero dipnosophistarum li. 9. radicem celebrat, pastinacam maiorem appellans, uulgari & quotidiana ista meliorem. Quæ pastinacis aut congener aut non dissimilis est, uti ex Oribasio li. 3. euporiston capite de his quæ in cibis calefaciunt, colligere licet, ubi has tres tanquam congeneres iungit sic: Pyrethrum acre est & calidum pastinaca, daucus, careota. Et Paulus Aegineta li. 1. cap. de radicibus quæ edendo sunt ait: Staphylini uero & dauci & cari radices minus quàm rapa nutriunt: calent tamen, odorataéq; sunt, & manifestæ urinam cient. Sed de his dictum est etiam lib. 3. de oleribus circa finem.

Ocymum.) Ocymum herba est quã basilicon nunc uocant. Cuius co-

pioſior cibus claritati oculorũ officit, uti li. 2. teſtatur Dioſcorides: aluũ mollit, inflationes facit, urinam cit, lac prouocat & ægre concoquitur. Semen potum accommodatum eſt quibus atra bilis nocet, & anguſtijs urinæ & inflationibus. Paulus Aegineta li. 1. inter eſculenta numerat, & concoctioni resiſtere, ſtomachoq; noxium, & prauos ſuccos in corpore gignere tradit. Celſus urinam mouere dicit, quemadmodum & reliqua boni odoris in horto naſcentia.

Liquino.) *Legendum, liquamen, uino.*

Lucanicas.) *Ex uetuſto exemplari adſcribe, aſſas.*

Petaſonem.) *Petaſo inter ſuccidias numeratur & eſt coxa cum crure porcina.*

Heminam.) *Præcipue Italicam quam & libram nominant, ut li. 4. de ſanitate tuenda Galenus ait: Libra autem 12. continet uncias, quæ ſunt drachmæ 96. cum Attica 100. contineat. In liquidis uero hemina eſt quam Græci cotilon uocant, ut ait Celius Aurelianus.*

Fundis deinde nucleos.) *Ex uetuſto exemplari legendum, fundis, lyas, angularem accipies, conuerſari poteſt, & omento tegis, oleo profundis, deinde nucleos &c. Angularem uero uaſis genus uocat coquinarij, à forma angulari indito nomine.*

Abſonia.) *Legendum, opſonia. Opſonium uero id eſt ὀψώνιον dicitur impenſa, ſumptus & quicquid per luxum animi paratum, non per uſum uitæ neceſſarium ut uinum & panis in cibo additur, ſed tanquam edendi irritamentum repertum eſt. Et inde uerbum opſono & opſonor, id eſt conuiuor, ut tradit Perottus, à quo opſonator, opſonatrix, opſonatio & frequentatiuum opſonito. Neuius: Multi mecum eo die opſonitauere: & Plautus in Moſtellaria, Opſonate pollucibiliter. Aliquando tamen opſonare eſt opſonia emere & concinnare, & opſonator qui emendis opſonijs præeſt & empta coquo tradit, de quo Martialis eſt diſtichon hoc ſub lemmate opſonator. Dic quotus es, quanti cupias cœnare, nec unum Addideris uerbum cœna parata tibi eſt. Et Seneca li. 6. epiſtolarum ad Lucilium ait: Adijce opſonatores quibus dominici palati notitia ſubtilis eſt, qui ſciunt cuius illum rei ſapor excitet. Vnde de coquo Martialis eſt diſtichon in apophoretis hoc: Non ſatis eſt ars ſola coquo ſeruire palato. Nanq; coquus domini debet habere gulam. Item ab opſonio dicitur etiam paropſis patinæ genus aliquantum concauæ in qua opſonia ponuntur.*

Ocyius candidũ.) *Ex uetuſto exemplari legendũ, hoc ius candidũ.*

Pisum Indicum.) *Dictum sic est ab Indis apud quos fieri solebat.*

Sepias.) *Pisces de quibus dictum est li. 2.*

Si quomodo sunt cum atramento suo.) *Hoc est, totas cum liquore suo atro & atramēto uocato, quod ijs pro sanguine esse dicit Plinius: sed quàm uere, ipse uiderit. Sed de hoc plura Massarius in annotationibus suis Plinianis.*

Boletum.) *Legendum, boletari, scilicet uase, de quo dictum est li. 2.*

Vitelliana.) *Ab authore Vitellio. Qui Imperatorum nonus luxui deditißimus duplici gulæ uitio notatus fuit. Siquidem tum intempestiuæ tū sordidæ gulæ fuit, uti in uita eius fusius notat Suetonius hijs uerbis. Sed uel præcipue luxuriæ seuitiæq; deditus epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat, in ientacula & prandia & cœnas, comessationesq; facile omnibus sufficiens uomitandi consuetudine. Indicebat autem aliud alij eadem die: nec cuiquā minus singuli apparatus quadrigenis milibus nummum constiterunt, famosißima super cæteras fuit cœna ei data aduentitia à fratre, in qua duo milia lectißimorum piscium, septem auium apposita traduntur: hanc quoq; exuberauit ipse dedicatione patinæ, quam ob immensam magnitudinem clypeum Mineruæ scutum Ioui custos urbis dictitabat. In hac scaurorum iecinora, fasianorum & pauonum cerebella, linguas phœnicopterum, murenarum lactes à Parthia usq; fretoq; Hispaniæ per nauarchos ac triremes petitarū commiscuit. Vt autem homo non profundæ modo, sed intempestiuæ quoq; ac sordidæ gulæ, ne in sacrificio quidem unquam aut itinere ullo temperauit quin inter altaria ibidem statim uiscus & farra pene rapta è foco manderet: circaq; uiarum popinas fumantia opsonia uel pridiana atq; semesa.*

Faba.) *Leguminis genus est faba, de qua li. 18. c. 12. Plinius ait: Inter legumina maximus honos fabæ. Quippe ex qua tentatus sit etiam panis. Lomentum appellatur ea farina. Quin & prisco ritu fabacia suæ religionis dijs in sacra est: præualens pulmentari cibo, & hebetare sensus existimata: insomnia quoq; facere. Ob hoc Pythagorica sententia damnata, uel (ut alij tradidere) quoniam mortuorum animæ sunt in ea, qua de causa parentando utiq; assumitur. Varro & ob hæc flaminem ea non uesci tradit: quoniam & in flore eius literæ lugubres reperiantur. In eadem peculiaris religio. Nanq; fabam utiq; in frugibus referre mos est auspicij causa: quæ ideo referuia appellatur. Et auctionibus eam adhiberi lucrosum putant. Sola certe frugum etiam exesa repletur crescente luna. Aqua marina, aliaue salsa non percoquitur.*

quitur. In cibario usu uis illi est inflans & ægre cõcoquitur, authore Dioscoride. Insomnuosa est: tussi tamen & carnis incremento utilis. Decocta in posca & cum cortice suo in cibo sumpta intestinorum tormina & cœliacas fluctiones sistit. Vtilis contra uomitiones etiam in cibo sumpta. Minus inflat diffusa in coquendo priore aqua. Viridis stomacho magis nocet, magisq; inflat. Et Plinius li. 22. ca. ultimo ait: Faba solida fricta feruensq; in acri aceto coniecta torminibus medetur. In cibo fresa & cum allio cocta contra deploratas tusses, suppurationesq; pectorum quotidiano cibo sumitur.

Aucellas.) Legendum puto ut in præcedentibus etiam, auicellas ut sit diminutiuum ab aue. Quemadmodum enim secunda forma uitellinum pro uitulino format à uitulo, similiter & à lumbis lumbellos pro lumbulis, sic ab aue auicellas pro auiculis.

IN CAPVT IIII.

COncicla.) Legendum puto conchicla cum aspiratione, & intelligo fabam cõchin de qua Martialis est distichon hoc, Si spumet rubra conchis tibi pallida testa, Lautorum cœnas sæpe negare potes. Est autem faba conchis quam solidam uocat Plinius, hoc est, integra & cum cortice suo decocta, ad discrimen fabæ fresæ quæ molliter fracta sine cortice coquitur, à similitudine scilicet concharum, quod confracto cortice uelut implicita conchis suis caruncula uideatur. Apud Marcellum medicũ libri de Medicamentis cap. 33. legitur: Faba quasi concicula, ubi etiam aspirationem addendam & legendum puto, conchicula.

Liquamen in ea.) Lege, liquamine.

Cumanam.) Cumana uas est coquinarium, de quo dictum est libro quarto.

Et cum bibat.) Lege, ut combibat, id est, absorbeat.

Suffundes liquamine temperabis: mittis superadiicies.) Legendum, suffundis liquamen: uino & liquamine temperabis: mittis in cacabum: superadiicies.

Commodiana.) A Commodo Imperatore qui conuiuiis deditus potauit in lucem & tabernis indulsit.

Vt ducat.) Id est, coeat & coalescat, condenseturq; & crassescat.

Concidis pullum minutatim, liquamine oleo & uino ferueat, concidis cepam coriandrum minutatim cerebella eneruata mittis in eundem pullum, cum coctus fuerit lauas exossas concidis &c.) Lege sic, Pullum lauas, exossas: concidis

minutatim cepam, coriandrum, cerebella eneruata : mittis in eundem pullum: liquamine, oleo & uino ferueat, cum coctus fuerit, concidis &c.

Aliter concicla conciclatus pullus uel porcellus exossatus pullum à pectore fœmora eius iungis in porrectum surculo alligas & impensam. Concicla farsilis paras & farcies. Alternis &c.) *Lege sic, Aliter concicla farsilis siue conciclatus pullus uel porcellus. Exossas pullum à pectore, fœmora eius iungis in porrectum, surculo alligas, & impensam paras, & farcies alternis &c.*

In operculo.) *Id est, testu, quod uas est coquinarium sub quo testuacia ex uarijs esculentis condimenta à testu sub quo calido coquuntur sic appellata, ut scribit Varro: item mustacea & placentæ coquuntur.*

IN CAPVT V.

PTisana & alica.) *Ptisana alicaria & quæ ex alica fit, & in paucis aut potius nihil differt ab ea quæ priore libro posita est, nisi quod illa sorbilis & liquidiore habitu ex hordeo conficitur, hæc craßiore & pulmentari habitu ex alica etiam, de qua Plinius lib. 22. cap. 25. sic tradit. Alica res Romana est, & non pridem excogitata, alioqui non ptisanæ potius laudes scripsissent Græci. Nondum arbitror Pompei magni ætate in usu fuisse, & ideo uix quicquam de ea scriptum ab Asclepiadis schola. Esse quidem eximie utilem nemo dubitat, siue eluta detur ex aqua mulsa, siue in sorbitiones decocta, siue in pulte.*

Ptisanam & alicam.) *Hæc uerba repetita tanquam superflua expunge.*

Vel dum.) *Lege, calidum.*

Ligas bene.) *Lege, lyas bene. Et cætera omnia ut in priore libro restitue & emenda.*

IN CAPVT VI.

FAbaciæ.) *Fabaciæ quæ & fabalia uocantur, frutices sunt, caulésue fabarum & siliquæ.*

Baianæ.) *Quæ Baijs nascuntur. Sunt autem Baiæ oppidum Campaniæ iuxta Lucrinũ sinum, inter Puteolos & Misenum montẽ, in cuius agro sunt aquæ calidæ & ad uoluptatem & ad uarios morbos accõmodatißimæ: præter quod & fertilitate & rerum copia, & ædificijs & littorum amœnitate præstant. Vnde Horatius, Nullus in urbe locus Baijs prælucet amœnis.*

IN CAPVT VII.

Fœnum

FOenum Græcum.) *Fœnum Græcum inter fruges est.* Plinius & Varro *Siliciam & Siliculam dici testantur: Columella siliquam simpliciter uocat. Vis eius siccare, mollire, dissoluere, testante* Plinio li. 24. *ad finem.* Nec *dubitatur quin decoctum eius utilißimum sit uuluis, interaneisq; exulceratis: sicuti semen articulis atq; præcordijs. Si uero cũ malua decoquatur: postea addito mulso potus ante cætera uuluis interaneisq; laudatur. Quippe cum uapor quoq; decocti plurimum prosit. Sumitur & sorbitio è farina ad pectus exulceratum, longamq; tußim. Diu decoquitur, donec amaritudo desinat: postea mel additur.* Paulus Aegineta *lib. 1. calefaciendi, uentremq; subducendi uim illi tribuit, si ante alios cibos sumptum fuerit.*

IN CAPVT VIII.

PHaseoli.) *Phaseolus est quem Græci lobum id est siliquam & dolichon alio nomine uocant, & à Dioscoride sub smilacis hortensis nomine describitur libri secundi capite 132. alius à phaselo quem uilem appellat* Vergilius: *quare errant qui eundem putant, ceu copiose annotarunt uiri doctißimi & in medicæ rei erroribus emendandis percelebres* Leonhardus Fuchsius *in* Paradoxis & Ioannes Manardus *in epistolis medicinalibus.* Verum *coquitur olerum modo ad cibum phaseoli siliqua cum semine asparagi modo elixa, authore* Dioscoride. Et Plinius *li. 18. ca. 12. ad finem ait: Phaseolorum siliquæ cum ipsis manduntur granis. Est autem uis illi & natura urinam ciere: sed grauia facit insomnia.* At Paulus Aegineta *lib. 1. integros cum siliquis & uirides sumptos, plures superfluitates parere dicit.* Phaselus *autem authore* Dioscoride, *inflat, ægre concoquitur, & si coctus uiridis in cibo sumatur, aluum mollit.*

Cicer.) *Cicer legumen est, cuius differentiæ plures, magnitudine, figura, colore, sapore. Est enim arietino capiti simile, unde ita appellatur album, nigrumq; est. Et columbinum, quod alij uenereum uocant: candidum, rotundum, leue, arietino minus, quod religio peruigilijs adhibet. Est & cicercula minuti ciceris, inæqualis, angulos habens ueluti pisum. Dulcißimum autem id quod eruo simillimum, firmiusq; quod nigrum & ruffum quàm quod album: author li. 18.* Plinius. *Bonam facit aluum satiuum cicer, ut lib. 2. tradit* Dioscorides, *urinam cit: sed inflationes facit, cutis colorem commendat. Est & alterum cicer, arietinum appellatum: datur ad ciendas urinas utriusq; cum rosmarino decoctum, contra morbum regium & aquam inter cutem. Renes tamen & exulceratam uesicam lædunt.* Paulus Aegineta *li. 1. de hijs sic tradit. Cicera inflant, abstergunt, genitale semen augent,* Ve-

nerem stimulant, calculum terunt. At fricta flatum quidem amittunt, sed difficulter concoquuntur.

Cum ouis.) Legendum, cum lobis, id est, siliquis.

Et solet.) Lege, ut solet, id est, ut moris est scilicet inferri & comedi sine aliquo condimento.

ANNOTATIONES IN SEXTVM LIBRVM APICII CAELII

Gabriele Humelbergio Medico authore.

TRopetes.) Legendum, Aëropetes, id est, ἀεροπέτης, aeriuolus, uolatilis, ἀπὸ τοῦ ἀέρος, ab aere, & uerbo πέτομαι, quod est uolo. Quo nomine insignitus est hic liber sextus ab Apicio, eo quod in eo de auitij generis, & uolucrum in cœlo & aere uolantium uitamq; transigentium opsonijs & condituris agitur. Verum de auium facultate Paulus Aegineta ait, Aues imbecillius alimentum præbent quàm quadrupedes, præsertim quàm sues, sed concoctu facilius, maxime perdix, attagena, columbinus pullus, gallinæ, phasianæ. In totum uero iuniores aues ueteribus sunt humidiores, coctu faciliores, alimenti ualentioris, atq; per aluum facilius deijciuntur. Simili discrimine elixæ ab aßis & in sartagine frictis distinguuntur. Item quæ in aridis locis, montibusq; degunt, palustribus, & facilius concoquuntur, & superfluitatibus minus redundant.

IN CAPVT I.

IN strutione.) Strutio qui & strutiocamelus, auis est uel omnium maxima, si tamen auis dicenda est, cum pennas duntaxat habeat ut adiuuent ad currendum. Plinius librum decimum de auium natura inchoans ait: Sequitur natura auium, quarum grandißimi & pene bestiarum generis strutiocameli. Africi uel Aethiopici altitudinem equitis insidentis equo excedunt, celeritatem uincunt. Adhoc demum datis pennis ut currentem adiuuent: cætero non sunt uolucres, nec à terra tolluntur. Vngulæ ijs ceruinis similes, quibus dimicant: bisulcæ comprehendendis lapidibus utiles, quos in fuga contra sequentes ingerunt pedibus. Concoquendi sine delectu deuorata mira natura. Sed non minus stoliditas, in tanta reliqui corporis altitudine

cum

cum colla frutice occultauerint, latêre sese existimantiũ. Præmia ex ijs oua propter amplitudinem pro quibusdam habita uasis: conosq; bellicos & galeas adornantes pennæ. Strutionis caro cæterarum auium carne craßior & peior: concoctu difficilis & stomachum aggrauans, quare non gustandam nec edendam dicit Rasis. Et Paulus Aegineta ait: Strutiocameli caro plures relinquit superfluitates, difficulter concoquitur demptis alis, quæ succi bonitate cæteris auibus haud inferiores sunt.

IN CAPVT II.

IN grue.) Grues à uocis sono dictæ, immenso tractu à mari Eoo ueniunt: quibus aduenientibus, inducias habet gens Pygmeorum cum ijs dimicantium. Captæ ad mensas transferuntur. Corn. Nepos qui diui Augusti principatu obijt, cum scriberet turdos paulo ante cœptos saginari, addidit ciconias magis placere quàm grues, cum hæc nunc ales inter primas expetatur, illum nemo uelit attigisse, ut refert li. 10. Plinius, qui etiam dicit in Balearibus insulis in honore mensarum esse Vipiones: sic enim uocant minorem gruem. Caro quoquo modo cocta tardæ concoctionis est, atram bilem generans, & recrementi quàm alimenti plus in se habens, ideoq; biduo aut triduo antequam edantur, necari debent. Celsus gruem inter ualentißima numerat, hoc est, in quibus plurimum alimenti est. Ius ipsarum uocem claram reddere, semenq; augere dicitur.

Anate) In nantium uolucrum genere, & inter aues quas Græci uocant ἀμφίβια, quia non tantum, ut li. 8. Columella ait, terrestria, sed aquatilia quoq; desiderant pabula: nec magis humo, quàm stagno consueuerunt: habetur & anas. Cuius caro, cæterarumq; auiũ quæ in paludibus & aquis degunt, humida omnis est, teste Hippocrate. Huius item caro cæterarum auium domesticarum carne calidior est & plurimi nutrimenti, sed mali & multarum superfluitatũ, hominũq; noxia, ut quæ facile febres generet. Nec nisi pectore tantum & ceruice commendata in cibis. Vnde illud Martialis est distichon: Tota quidem ponatur anas, sed pectore tantum, Et ceruice sapit: cætera redde coquo.

Leuas & iterum.) Vetus scriptum exemplar habet lauas. Ego legendum puto utrunq; sic, leuas, lauas, hoc est, de olla eximis & lauas, id est, mundas.

Pruna uel damascena.) Videtur hic alterum deesse genus ceu armeniaca uel aliud, quod cõiunctio illa disiunctiua, Vel, desiderare facit: nisi expungenda potius fuerit aut pro etiam accipienda & interpretanda. Ve

rum ingens est prunorum turba, quorum maxime laudantur damascena. Plinius post enumerata quædam genera li. 15. ait: Nec non ab externa gente armeniaca, quæ sola & odore commendantur: & mox post, Nuper in Bethica malina appellari cœperunt malis insita, & alia amygdalina, amygdalis: his intus in ligno nucleus amygdalæ est. Nec est aliud pomum ingeniosius genitum. In peregrinis arboribus dicta sunt damascena à Syriæ Damasco cognominata, iam pridem in Italia nascentia, grandiore quanquam ligno, & exiliore carne. Hæc cæteris præstantiora atq; salubriora. Aluum mouent, bilem leniunt & sitim sedant. Sed de hijs plura in præcedentibus li. 1.

Caput eius aqua: quam non tangat: sed sit foris ab aqua cuncta fuerit.) Ex uetusto exemplari emendate legendum: Caput eius aquam non contingat, sed sit foris ab aqua, cum cocta fuerit.

Sauano.) Sauanum aut sabanum uocatur pannus asper abstersorius, uel linteum ad id utile.

Cum uerius.) Legendum, cum neruis, id est, fibris, cum quibus, ut ait, manducari non potest. Nam ut Paulus Aegineta tradit, Gruum caro referta fibris & durior est.

Excipis.) Ex uetusto exemplari legendum, ex rapis.

Exiliabis.) Lege, elixabis.

Vel collocas ut.) Legendum, uel colocasiæ ut.

IN CAPVT III.

PErdice.) Auium libidinosissimæ creduntur perdices, nec in animali alio par opus libidinis, ut ait Plinius. Iucundissimi sunt saporis, ideoq; apud ueteres solis diuitum mensis ponebantur. Hinc illud Martialis: Ponitur Ausonijs auis hæc rarissima mensis: Hanc in lautorum mandere sæpe soles. Huius caro facilis concoctu, pauci recrementi & alimenti plurimi existit. Cerebri uim & intellectum auget atq; genituram, demortuamq; Venerem excitat.

Attagena.) Attagena siue attagen, utroq; enim genere dicitur, auis est palustris, uersicoloribus plumarum maculis distincta, olim inter raras epulas habita, & ex Ionia, quæ Asiæ, in qua Ephesus, pars est, laudatissima: quanquam à Varrone apud Gellium prima laus tribuatur Phrygijs cum ait: Phrygia attagena. Ionicam præfert Martialis inquiens: Inter sapores fertur alitum primus Ionicarum gustus attagenarum. Et Plinius ait: Attagen maxime Ionius celebratur: uocalis aliàs, captus uero obmutescens: quondam existimatus inter raras aues: Iam & in Gallia Hispaniaq; capitur. Huius caro

concoctu.

concoctu facilis, authore Paulo, & quadrupedum carne imbecillioris alimenti.

Turture.) E columbino genere sunt uel turtures. Quarum educatio superuacua est, ut tradit Columella: quoniam id genus in ornithone nec parit, nec excludit. A uolatura ita ut capitur, farturæ destinatur: eaq; leuiore cura quàm cæteræ aues saginatur, præcipueq; milio pinguescit, qđ semine huius maxime delectatur. Probãtur in cibis pinguiores, quæ præcipua earum laus est, alioqui parũ gratæ. Vnde Martialis: Dum pinguis mihi turtur erit, lactuca ualebis, Et cochleas tibi habe, perdere nolo famem. Caro ipsarum facilis concoctionis & boni alimenti est: aluum sistit, & ideo dysentericis mire utilis, sed efficatior ad id sanguis earum habetur.

Passam uel uinum.) Legendum, passam: mel, uinum.

Elixas ibi: & madefactam depilabis perdices coctura: occisa perdix potest ex iure coqui non indurescant: si dierum ferbuerit: elixa coqui: debet.) Hic locus deprauatus est, quem ita legendum censeo. Elixabis, & coctura madefactam depilabis perdicem: concisa perdix potest ex iure coqui dum indurescat, si iterum ferbuerit, elixa condiri debet. Aliter &c.

IN CAPVT IIII.

PAlumbis.) Palumbi columbini generis sunt in arboribus sæpibúsue nidificantes. Hos antiqui cellares etiam habebant & pascendo saginabant. Vnguium tantum incommodum patiuntur, senectæ indicium, sed citra perniciem recidi possunt. Palumborum duo genera sunt. Alterum omnium huius generis maximum, ab Aristotele φάττα nuncupatum: Latini à torque quo insignitur, torquatam appellant, siue torquatum palumbum. Martialis: Inguina torquati tardant, hebetantq; palumbi: Non edat hanc uolucrem qui cupit esse salax. Traditur etenim caro eius ob glandium esum Venerem hebetare, cum columbarum potius stimulet. Alterum genus est quod Græci dicunt οἰνάδα, & Latini uinaginem interpretati sunt, ab usu labruscæ qua uescitur. Hæc utroq; columbarum genere maior, torquata minor est. Saginantur etiam & farturæ destinantur ceu reliquæ altiles: de qua re uide Catonem libri sui de Re rustica capite 91. Varronem li. 3. & Columellam li. 8. Caro palumborum siccior est carne columborum.

Columbis.) Columbæ sunt quæ in turribus aut domibus nidificant, primæ pudicitiæ aues, licet crebra sit illis Venus. Vnde Martialis: Ne uioles teneras præduro dente columbas, Tradita si gnidiæ sunt tibi sacra deæ. Ea-

rum duo genera. Vnum agreste siue saxatile, quod habetur in turribus, ac columinibus uillæ, à quo appellatæ columbæ, ut li. 3. Rei rusticæ tradit Varro: quæ propter timorem naturalem summa loca in tectis captant. Quo fit, ut maxime agrestes sequantur turres, in quas ex agro euolant suapte sponte, ac remeant. Alterum genus columbarum est clementius, quod cibo domestico contentum intra limina ianuæ solet pasci: & ideo domesticæ & cellares dictæ. Ex his duabus stirpibus fit miscellum tertium genus fructus causa. Columbarum pullos pipiones uocant: quorum minus penniti, satis calidi & humidi existunt, & ideo tardæ concoctionis: sed multum alimenti & sanguinis præstantes. Volare incipientes, salubriores habentur. Pituitosis cibus eorum non incongruit. A ueterum tamen esu abstinendum maxime: ut quæ craßioris sint alimenti & haudquaquam laudandi.

Altilibus.) Altile dicitur quod alendo saginatum & pinguefactum est. Vnde gallina altilis & altiles aues, quæ saginatæ sunt. Hic monitũ uolo lectorem, libri huius capita in aliũ ordinem esse redacta quàm in alijs exemplaribus sint reperta, multosq; errores emendatos quos breuitatis causa libuit non annotare.

IN CAPVT V.

ANeti, flos, uino.) Lege, anethi flores: uinum.

Ponticam.) Scilicet nucem, quæ & auellana & prenestina dicitur, & ex Corylo arbore nascitur. Nominis rationem & qualitatem docet nos li. 15. ca. 22. Plinius, ubi post iuglandium descriptionem ait: Cæteris quicquid est, solidum est, ut in auellanis & ipso nucum genere: quas ante abellinas patrio nomine uocabant. In Asiam Græciamq; è Ponto uenere, & ideo ponticæ nuces uocãtur. Has quoq; mollis protegit barba. Sed putamini, nucleisq; solida rotunditas inest. Eæ & torrentur. Vmbilicus illis intus in uentre medio. Hæ in cibo sumptæ, ut idem li. 23. ca. 8. testatur, capitis dolorem faciunt, & inflammationem stomachi: & pinguedini corporis conferunt plusquam uerisimile est. Tostæ & destillationi medentur. Tußi quoq; ueteri tritæ & in aqua mulsa potæ. Quidam adijciunt grana piperis, alij è passo bibunt. Sunt item tardæ concoctionis & in cerebro augmentũ facientes, ut uolunt.

Amygdalam.) Nux amygdala est quæ & Græca & Thasia appellatur. De hac mox post auellanas Plinius ait: Tertia ab hijs natura amygdalis, tenuiore sed simili iuglandium summo operimento: item secundo putaminis. Nucleus dißimilis latitudine & acriore callo. Hæc arbor an fuerit in Italia Catonis ætate, dubitatur: quoniam Græcas nominat, quas quidam & in iuglan=

iuglandium genere seruant. Duo earum genera: aliæ enim amaræ, aliæ uero dulces existunt. Amaræ medicinæ magis conueniunt, & ,ut Plinius li. 23. testatum reliquit, somnum faciunt & auiditatem. Vrinam & menses ciunt: iocinoris & renum doloribus ex aqua potæ prosunt. Calculosis & difficili urinæ in passo sunt efficaces. Aiunt quoq; quinis ferè præsumptis ebrietatem non sentire potores. Vulpesq; si ederint eas, nec contingat è uicino aquam lambere, mori. Minus ualent in remedijs dulces, & eæ tamen purgant & urinam ciunt. Recentes stomachum implent. Paulus li. 1. ait: Amygdalæ, incidendi attenuandiq; uim habent. Vnde & uiscera & thoracem purgant, maxime uero amaræ. Palladius in Ianuario mense dicit, Amygdala ad legendum maturitatem fatentur, cum fuerint spoliata corticibus. Hæc sine cura hominis seruantur in longum. Si difficulter corium dimittent, paleis obruta continuo relaxabunt, item decoriata, si aqua marina lauemus, aut salsa, & candida fiunt, & plurimum durant.

In caraxas.) Vna adscripta dictione, legendum puto, auem incharaxas, hoc est, ut libro sequente uocat, designas, id est, perforas. Est autem uerbum à Græco formatum χαράττω, quod est sculpo & designo, & inde scarifico, id est, scalpurio & scalpello aperio perforoq;, ut humorem emittere aut combibere poßit. Apollonius: Iuuat autem hæc incharaxatio in oculis diuturna facta rheumatica paßione. Item, oportet etiam & per ipsa loca patientibus fieri incharaxationes.

Nuces depilatas.) Id est, iuglandes decorticatas.

Omne genus dactylum.) Lege, dactylorum. Qui fructus sunt arboris palmæ: cuius historiam diligenter descriptam habes apud Plinium libro 13. c. 4. Palmis inclyta est Iudæa. Sunt quidem in Europa uulgoq; Italia, sed steriles. Ferunt in maritimis Hispaniæ fructum, uerum immitem: dulcem in Africa, sed statim euanescentem. Contra in oriente ex ijs uina, gentiumq; aliquibus panis. Plurimis uero etiam quadrupedum cibus. Genera earum multa. Clarißimæ omnium quas regias appellauere ab honoribus, quoniam regibus tantum Persidis seruarentur Babyloniæ natæ uno in horto Bagoi, ita enim uocant spadones qui apud eos etiam regnauere. Hortus ille nunquam nisi dominantis in aula fuit. At in meridiano orbe præcipuam obtinent nobilitatem Syagri: proximamq; margarides, eæ breues, candidæ, rotundæ, acinis quàm balanis similiores, quare & nomen à margaritis accepêre. Vna earum arbor in Chora esse traditur: una & Syagrorum. Mirumq; de ea accepimus cum phœnice aue, quæ putatur ex huius palmæ argumento nomen

accepiſſe, iterum mori ac renaſci ex ſe ipſa, quod erat prius, pomis refer=
tam: ipſum pomum grande, durum, horridum, & à cæteris generibus di=
ſtans: ſapore ferino, quem ferme in apris nouimus, euidentiſſimeq; cauſa eſt
nominis. Quarta authoritas ſandalidum à ſimilitudine appellatarum. Iam in
Aethiopiæ fine quinq; earum nec plurimas arbores tradunt: non raritate ma
gis quàm ſuauitate mirabiles. Ab ijs caryotæ maxime celebrantur & cibo
quidem, ſed & ſucco uberrimæ. Ex quibus præcipua uina orienti, inqua ca
piti, unde pomo nomen. Sed ut copia ibi atq; fertilitas: ita nobilitas in Iudæa,
nec in tota, ſed Hiericunte maxime: quanquã laudatæ & Rhachelaidæ &
in Phaſelidæ atq; Libyadæ gentis eiuſdẽ conuallibus. Dos hijs præcipua, ſuc
co pingui lactentibus, quandoq; uini ſapore in melle prædulci. Sicciores in
hoc genere Nicolai, ſed amplitudinis præcipuæ quaterni cubitorum longitu
dinem efficiunt. Minus ſpecioſæ, ſed ſapore caryotarum ſorores, & ob hoc
adelphides dictæ, proximam ſuauitatem habent, non tamen eandem. Tertiũ
ex hijs genus patet, & nimio liquore abundat, rumpitq; ſe pomi ipſius etiã
in ſuam matrem ebrietas calcaris ſimilitudine. Suum genus è ſicciore turba
dactylis prælonga gracilitate curuatis interim. Nam quos ex hijs deorum
honori dicamus, chydeos appellauit Iudæa, gens contumelia nominum inſi=
gnis. In totum arentes Thebaides atq; Arabicæ, macro corpore exiles & aſ
ſiduo uapore torrentes. Cruſtam uerius quàm cutem obducunt. In ipſa qui
dem Aethiopia friatur hæc, tanta eſt ſiccitas, & farinæ modo ſpiſſatur in
panem. Sed de hijs hactenus.

In anſere.) Anſer in alitum genere eſt, quod Græci ἀμφίβιον uo
cant, hoc eſt, quod terra & aqua uictum quæritat, quemadmodum &
anas. Anſeri, ait Plinius, uigil cura capitolio teſtata denfenſo, per id tempus
canum ſilentio proditis rebus. Quam ob rem cibaria anſerum cenſores in
primis locabant. Commendatur pluribus rebus quibus uſui eſt mortalibus:
ceu cuſtodia de qua iam dictum eſt, & Martialis meminit hoc diſticho: Hæc
ſeruauit ales Tarpei templa tonantis: Miraris, nondum fecerat illa Deus.
Item pluma qua culcitras facimus quo delicatiores mollius cubamus. Adipe
& inde excogitato liquamine cuius in cibarijs condiendis uſus eſt, præci=
pueq; Iudæis, qui ſuilla abſtinent. Carne qua ueſcimur & præcipue iecore,
quod fartilibus quibuſdam in uentre in magnã amplitudinem creſcit, exem=
ptum quoq; lacte mulſo innutritũ augetur, & bonitate excellit. Vnde Ho=
ratius ait: Non ſine farre Pinguibus & ficis paſtum iecur anſeris albi. Quis
primus tantum bonum inuenerit in quæſtione eſt. Meſſalinus Cotta palmas

pedum ex ijs torrere atq; patinas cum gallinaceorum cristis condire reperit, tanquam rem inter opsonia præclaram. Caro anserina humecta est, difficulterq; concoquitur: alæ reliquarum partium meliores, quibus cum pectore tutius uescemur. Paulus Aegineta lib. 1. ait: Anseris uero & strutocameli caro, omnibus quas diximus, plures relinquit superfluitates, difficilius concoquitur demptis alis, quæ succi bonitate cæteris auibus haud inferiores sunt. Celsus anserem plurimi alimenti esse dicit.

IN CAPVT VI.

HIrcosas.) id est, olidas, rancidas, graue & male olentes: ab hirco capellarum marito male olente & fœtidum odorem ex se reddente, qui hircinus fœtor modo hircus, modo caper, modo tragos uocatur à poetis Horatius in epodo, Cubat hircus in alis. Catullus, Fertur, ualle sub alarū trux habitare caper. Mart. Inde tragos celeresq; pili mirandaq; matri barba.

Omniogere.) Legendum, omnis generis.

Caluam.) Legendum puto, Saluiam.

Altiorem.) id est, habitiorem & pinguiorem.

Farinam oleo subactam contextam.) Lege, farina oleo subacta contectam.

Oliuas nouas.) Hoc est, fructum oleæ recentem, qui graueolentiam emendat & in se trahit. Condebantur heæ quoq; esui, ceu docent Rusticæ rei scriptores: Cato libri sui capite 117. & sequenti. Varro li. 1. ca. 60. & 66. Columella lib. 12. ca. 47. & Palladius in Nouembri. Cæterum oliuæ albæ stomacho utiliores, uentri minus. Præclarū habent antequam condiantur usum recentes per se cibi modo deuoratæ. Medentur enim harenosæ urinæ, item dentibus, aut attritis, aut cōuulsis. Nigra oliua stomacho inutilior, uentri facilior: capiti & oculis non conuenit.

IN CAPVT VII.

PHœnicoptero.) Phœnicopterus auis à pennis rubentibus nomen adeptus est, ut ipse de se apud Martialem testatur hijs uerbis: Dat mihi penna rubens nomen, sed lingua gulosis Nostra sapit, quid si garrula lingua foret? Et Plinius ait: Phœnicopteri linguam præcipui saporis esse Apicius docuit nepotum omnium altißimus gurges.

Psitraco.) Indica & orientalis auis est psittacus, de quo li. 10. ca. 42. Plinius sic scribit. Super omnia humanas uoces reddunt psittaci, & quidem sermocinantes. India autem hanc mittit: Sitacem uocant, uiridem toto cor-

pore, torque tantum miniato in ceruice distinctam. Imperatores salutat, & quæ accipit uerba pronunciat: in uino præcipue lasciua. Capiti eius duricia eadem quæ rostro. Hæc cum loqui discit ferreo uerberatur radio. Non sentit aliter ictus. Cum deuolat rostro se excipit, illi innititur, leuioremq; se ita pedum infirmitati facit. Sed consydera num potius pro psittaco legendum sit phasianus. De phasianis autem quæ in Colchis geminas ex pluma aures submittunt, subriguntq;, ut ait Plinius, dictum est li. 2.

Semamum defrutum.) *Ex uetusto exemplari legendum, sesamum defrictum. Est autem sesamum frugis genus quod in ferulaceum culmen fastigiatur, & cuius fructus & semen uasculis includitur candido colore, dulce simul & odoratum: quo Græci ad dulciaria & panificia utuntur, pani compinsentes. Idem à minoribus auibus ceu fringillis, passeribus & carduelibus mire & auidius appetitum. Aegyptus oleum ex eo exprimit, quo in cibo alioq; usu domestico utitur. Tritum in uino sumptum inhibet uomitiones, ut li. 22 tradit Plinius: Stomacho inutilis cibus & animæ grauitatem facit, quoties commanducatum inter dentes hæserit, ut author est Dioscorides.*

Aues omnes ne liquescant cum plumis elixate omnibus melius erit prius tamē exenterantur per guttur uel in abias sublata.) *Pro tamen lego quam: & pro abias sublata, lego, ambigas sublatæ, ita ut sensus sit. Omnes aues priusquam per guttur exenterantur, cum plumis in calda maceratæ, ita ut non resoluantur, deinde deplumatæ, tales omnes suauiores erunt cæteris quoquo modo præparatis, etiam si in ambigas sublatæ & repositæ fuerint. Sunt autem ambigæ ollæ & uasa quæ in acutum tendunt ceu pyramis: meminit horum Cælius Aurelianus chronion siue tardarum paßionum li. 4. ca. 7. his uerbis: Item uascula, quæ ambigas uocant, & sunt materia testea, uel uitrea confecta. Item Athenæus dipnosophistarum li. 11. de calice,* αὕτη δὲ φοξίχειλος ἦν εἰς ὀξὺ ἀνηγμένη οἷοι εἰσὶν οἱ ἄμβικες καλούμενοι.

IN CAPVT IX.

IN pullo.) *Pullus proprie dicitur paruus & tenellus adhuc fœtus quorumcunq; animalium: maxime uero gallinarum, de quo solum nunc intelligitur: unde pullaster & pullastra quæ duntaxat gallinacei generis sunt, & quorum caro facilis concoctu est, & euchyma, bonúq; succi, ac omnium domesticarum auium laudabilior salubriorq; esse dicitur. Pulli item qui nondum coiere aut ouum peperere æstate dum tritura, dumq; adhuc de*

uite omphacium pendet, esui meliores habentur: masculi tamen magis quàm fœmellæ.

Ius crudum.) Hoc est, brodium & iuscellum non coctum.

Mittis pullum anethatum: mellis modice &c.) Legendum puto sic. Mittis in pullū, anethatum. Aliter pullus: Mellis modice &c. ita ut per anethatum intelligatur condimentum iam relatum & non pullus, quare interpunctatim hæc duo uocabula legenda. Post quæ deinde alia sequitur conditura, quare adscribendum putaui hæc etiam, Aliter pullus.

Vt conuinat & cum conuinerit.) Legendum, ut combibat, & cum combiberit, id est, absorpserit.

Pennis tongis.) Legendum, pertangis, id est, perfundis.

Pullum partium.) Ex uetusto exemplari legendum, Pullus Parthicus, hoc est, qualis apud Parthos apparari & condiri solebat.

A naui.) Hoc est, à parte posteriore uentris, qui ut nauis cauus, & figuræ eius non dißimilis est.

Quadrato.) Id est, quadra & disco. Est autem Quadra mensarium instrumentum supra quod carnes & dapes scinduntur seu scissæ apponuntur, sic dictum à forma quadrata qua fieri solet: sicuti eiusdem usus orbis à forma rotunda. Ambo disci appellatione & nomine nunc habentur.

Interidas.) Legendum, inter illas.

Oxyzomus, id est, ὀξυζωμὸς, hoc est, acetoso iure conditus, ab ὀξὺ quod acetum est, & ζωμὸς, ius.

Numidicus.) hoc est, qualis apud Numidas condiri solebat, aut ex pullis Numidicis qui partus sunt gallinarum Numidicarū à parte Aphricæ Numidia sic appellatarum, de quibus Martialis distichon est hoc: Ansere Romano quamuis satur Hannibal esset: Ipse suas nunquā barbarus edit aues. Siquidem tria gallinarum genera traduntur ab authoribus. Vnum cohortalium siue uillaticarum: alterum rusticarum: tertium Africanarum. Villaticæ sunt quæ ruri habentur in uillis. Rusticæ similes facie non his uillaticis nostris, sed Africanis aspectu, ac facie incontaminata. Neq; ferè in uillis oua ac pullos faciunt, sed in syluis. Et ab his quod in ea plurimæ sint, insula est appellata Gallinaria, quæ in mari Tusco est secundum Italiam contra montes Ligusticos. Africanæ autem quæ nouißimæ in triclinium ganearium introierunt è culina propter fastidium hominum, & magno ueneunt propter penuriam: grandes sunt, uariæ, gibberæ, μελεάγριδες à Græcis dictæ, ut Varro ait, siue ut Columella tradit, meleagridibus similes, nisi quod rutilā galeam,

& cristam capite gerit, quæ utraq; sunt in meleagride cærulea.

Laseras, piper, & assas.) *Legendum, lasere & pipere aspersum assas. A lasere laseratus dicitur pullus qui laserpitij succo conditus est.*

Asperges à naui.) *Legendum, aperies à naui.*

Paroptus, *id est, παρόπτος, assatus, à uerbo ὀπτάω quod est asso, & ὀπτὸς assus.*

Et mittis siccatum.) *Transpositis dictionibus lego, & siccatum mittis, scilicet in lancem.*

Piper fundis.) *Vna ablata syllaba legendum, perfundis.*

Facit & melixam: & in oliuis columbaribus non ualde: ita ut lixamentum habeat.) *Legendum, Facit & in elixum cum oliuis colymbadibus non ualde, ita ut laxamentum habeat. Sunt autem oliuæ colymbades, oliuæ salsæ & sale muriáue conditæ. Sic dictæ quidem, quod in conditura sua natarent, à uerbo κολυμβᾶν, quod urinare est, hoc est, innatando sub aqua esse. Dicebantur eædem etiam halmades à sale nomine inuento quem Halas Græci dicunt. Et hæc nominum causa & ratio in salsis & conditis oliuis quondam fuit. Quomodo autem condirentur, docet Cato, Varro, Columella, Palladius & alij. Facit autem oliua quo tempore ad maturitatem progrediens nondum nigra rubescit & recens difficilem aluum: stomacho utilior. Nigra uero & matura corrumpi aptior & stomacho inutilis est. Oculis eadem inimica & capitis dolores facit, authore Dioscoride li. 1. ubi de colymbadum medicina agit.*

Vardanus.) *Legendum puto, Varianus, ab imperatore Vario Heliogabalo qui deliciosæ uitæ & portentosæ luxuriæ potator fuit popinarius & ganeo obscœnißimus. Qui inter cætera luxuriæ prodigia, nunquam minus centum cœnauit sestertijs. Sexcenta strutiorum capita una cœna apposuit, ut ex his cerebella tantum assumerentur. In maritimis locis nunquam piscibus conuiuatus est: quum uero procul mari abesset omnia marina exhibuit. Murenarum & luporum lactibus rusticos in mediterraneis pauit.*

Frontonianus.) *Sic dictus uidetur à Frontone quodam qui sic condito uesci solebat.*

Lauabis cum in lance defruto perunges.) *Legendum puto, Leuabis eum, in lance defruto perfundes. Et sic etiam mox post legendũ, leuabis eum, pro lauabis cum.*

Tractogalatus.) *Dictus sic est à tracta & lacte quibus cõdiebatur.*

Aquam eminam.) *Legendum, aquæ minimum.*

Cariotum.) *Lege, carptum, id est diuisum.*

Pullus fusilis: sicut alique cuminatum acerui & expedies.) *Legendum sic, Pullus farsilis. Pullum sic ne aliquid in eo remaneat, à ceruice expedies, scilicet interanea. Est enim expedire proprie liberare & aliquando proferre, ut hic.*

Aliquam elixam.) *Lege, alicam elixam.*

In capo.) *Capus est gallus castratus. Varro Rei rusticæ lib. 3. cap. 9. ait: E gallinarum generibus proprio nomine uocantur fœminæ, quæ sunt uillaticæ, gallinæ: mares, galli: capi, semimares, quod sunt castrati. Et Columella li. 8. ca. 2. ait: Cohortales fœminæ proprie appellantur gallinæ: mares autem galli: semimares, capi, qui hoc nomine uocantur, cum sint castrati, libidinis abolendæ causa, nec tamen id patiuntur amißis genitalibus, sed ferro candente calcaribus inustis, quæ cum ignea ui consumpta sunt, facta ulcera dum consanescant, figulari creta linuntur. Capi caro laudabilis est, temperata, boni alimenti & sanguinis generatiua.*

Oßibus eiectis coques: accipies pullum & ornas ut supra: aperies illum à pectore.) *Legendum censeo. Accipies pullum & ornas ut supra: aperies illum à pectore, & omnibus eiectis coques.*

Leocozumus.) *Legendum, Leucozomus, id est,* λευκοζωμός, *hoc est, albo iure conditus.* λευκὸς *siquidem albus est,* ζωμὸς, *ius.*

Porri.) *Lege, olei.*

ANNOTATIONES IN SEPTIMVM LIBRVM APICII CAElij Gabriele Humelbergio Medico authore.

POlyteles, *id est,* πολυτελής, *sumptuosus, impendiosus. A* πολὺ *quod multum &* τέλος, *quod inter alia significata sua, impensam etiam & sumptum significat, & uerbum* τελέω, *impendo. Inscriptus est autem hoc nomine liber præsens ab impensarum & opsoniorum quæ in ipso traduntur copia & multitudine exposita, suillo potißimum è pecore, ut quo ganeæ nullum plus præbuerit materiæ, & cuius condiendæ studiosa semper fuerit gula. Nam ut Plinius in historiæ suæ Naturalis lib. 8. ca. 51. ait: Neq; alio ex animali numerosior materia ganeæ: quinquaginta prope sapores, cum cæteris singuli. Hinc censoria-*

rum legum paginæ, interdictaq; cœnis abdomina, glandia, testiculi, uuluæ, syncipita uerrina, ut Publij mimorum poetæ cœna postquam seruitutem exuerat, nulla memoretur sine abdomine: etiam uocabulo suminis ab eo imposito.

IN CAPVT I.

Vluæ steriles.) Scilicet suillæ, quæ quondam miro studio à gulæ proceribus condiebantur, erantq; lautißimi cibi apud Romanos. Præstabat autem materna, hoc est, suis grauidæ, quæ porcaria appellabatur. Nam triplici nomine comprehendebatur, scilicet eiectitiæ, porcariæ, & uirginis siue sterilis. Sed de uuluæ delectu audiamus quid decernat Plinius, cuius in Naturalis historiæ lib. 11. uerba sunt hæc: Vulua enecto partu melior quàm edito. Eiectitia uocatur illa, hæc porcaria. Primiparæ suis optima. Contra effœtis à partu, præterquam eodem die suis occisæ liuida ac macra. Nec nouellarum suum præterquam primiperarum probatur, potiusq; ueterum, necdum effœtarum: & biduo ante partum, aut post partum quo eiecerint die. Proxima eiectitia est occisæ uno die post partum: huius & sumen optimum, si modo fœtus non hauserit. Eiectitiæ deterrimum. Antiqui abdomen uocabant: priusquam callerent id scientes, occidere non assueti. Vulua autem est in reliquis animalibus, quod in homine uterum & alio nomine locos appellant. Paulus Aegineta li. 1. Vuluas sicut & uentriculum & intestina, duras esse dicit & uix concoqui atq; pituitam gignere. Celsus tamen boni succi esse testatur & inter res stomacho idoneas & aptißimas numerat, præcipueq; steriles, hoc est, de sue uirgine, de qua Martialis distichon est hoc: Te fortasse magis capiet de uirgine porca, Me materna graui de sue uulua capit. Et hanc etiam Horatius intelligit cum amplam uocat uuluam hijs uerbis: Cum sit obeso nil melius turdo, uulua nil dulcius ampla. Verum uulua sterilis non in omni sue uirgine grata erat (quippe quæ nisi arte præpararetur, nullius saporis esset.) Sed in castrata tantum. Castrabantur enim fœminæ, ut amisso libidinis & coitus usu, magis pinguescerēt, fierentq; gratiores. Quam castrationem testatur etiam libro 8. Plinius hijs uerbis. Castrantur fœminæ sic quoq; uti Cameli post bidui inediā suspensæ pernis prioribus uulua recisa, celerius ita pinguescunt. Et Galenus lib. 1. de semine ait: Fœminas sues apud nos castrant, non solum in Asia, sed etiam in gentibus supra Asiam sitis usq; ad Cappadociam, atq; fiunt omnes eunuchis ac castratis masculis similes, uberius alimentum accipientes & pingues suauioremq; carnem reliquis fœminis habent, quemadmodum & mares maribus.

Callum.) *Scilicet aprugnũ, id eſt, laridum ſiue caro apri & feri ſuis calloſior, & ob id ſaporis iucundioris, nec modo de feri ſed & domeſtici ſuis callo id intelligere potes. Sic appellatum à duricie. Callus enim cutis eſt denſior, ex itinere in pedibus aut alio opere in manibus aliâue corporis parte contracta.*

Libelli.) *Legendum puto, lumbelli, id eſt, lumbi ſuis & præcipue aprugni uocati. Sunt autem lumbi pars ea iuxta quam renes ſituantur & ſpinæ adhæret porrecta ad caudam. Cuius lumbi aprugni & calli meminit Plinius etiam lib. 8. ubi ait: Placuere autem & feri ſues. Iam Catonis Cenſoris orationes aprugnum exprobrant callum. In tres tamen partes diuiſo media ponebatur lumbus aprugnus appellata.*

Coticulæ.) *Lege, codiculæ, hoc eſt, pars ea quæ lumbum ſequitur, quaſi caudicula & cauda ipſa, quæ coda etiam dicitur. Niſi cuticulæ legere malueris, quæ in porco laudabatur etiam.*

Vngellæ.) *hoc eſt, Vngulæ ſuum & pedes in quibus & eorum digitis ſunt ungues, quos neruorum clauſulas uocat Plinius. Quas ſuum ungulas leues eſſe & in media materia poni poſſe dicit Celſus, item lenes & ſtomacho idoneas.*

Laſer uuluas & apices politeles lib. vij.) *Hæc omnia uerba tanquam ſuperflue addita, expungenda duximus. Quod autem in uuluam ſterilem ultimum cum condito ſequitur condimentum ex uetuſto exemplari adſcripſimus. Conditum autem intelligo uinum aromaticum quod Græci οἶνον ἀρωματίτην uocant, aromatis confectum, quale eſt quod uulgo Hippocraticum appellant, olim in delicijs habitum.*

Cantabro.) *Cantabrum eſt furfur tritici uel hordei.*

Muriam.) *Muria quam Græci halmen uocant, eſt aqua ſiue liquor ſalſus quo ſalgama condiuntur. Quomodo autem ad ea condienda conficeretur, dictum eſt lib. 1. ex Catone & Columella. Plinius in ſalinis ſalſuginem & ſalſilaginem etiam uocat li. 31. ca. 8. cum ait: Præter hæc etiamnum appellatur in ſalinis ſalſugo ab alijs ſalſilago tota liquida, marina aqua ſalſior, ui diſtans. Dicitur & de ſalitorum piſcium ac carnium exſudato liquore muria. Porro de ſalitorum piſcium iure ſub muriæ nomine eſt Martialis diſtichon hoc: Antipolitani fateor ſum filia Thynni, Eſſem ſi ſcombri non tibi miſſa forem. Et Heſychius ait: ἅλμη, ὁ τῶν ἰχθύων ζωμός. Columella uero de carnium liquore protulit li. 12. ca. 53. ubi ſuillæ carnis ſalſuram docens ait: Eaq́; caro ſemper conſeruatur, & tanquam ſalſamentum in muria ſua permanet.*

IN CAPVT II.

SVmen.) Perottus dicit sumen esse lac suis extractum ac densatum sue occisa & à sugendo dictum. Vnde illud Martialis: Esse putes nondum sumen, sic ubere largo Effluit, & uiuo lacte papilla tumet. Optimum autem sumen, ut Plinius tradit, suis occisæ uno die post partum, si modo fœtus non hauserit: eiectitiæ teterrimum. Apicius tamen hic pro ubere accipit in quo lac continetur & inde emulgetur. Accipitur etiam in quadrupedibus pro uentre & eius parte quæ in homine inter umbilicum & pudenda est sita, & Græce ἦτρον appellatur. Potest & pro ofella, tomaculóue aut opsonio ex ea parte accipi.

De cannis surdas.) Ex uetusto exemplari legendum, surclas, & per cannas uidetur intelligere papillas quæ fistulæ sunt per quas lac emulgetur & effluit, quod ne fiat, surculo configere & concludere præcipit. Sed consyderanum etiam legi poßit purgas pro surclas, & per cannas intelligat siphones & tubulos per uber hinc inde sparsos, quos excidi & eximi uelit & uber ab illis purgari, ut duris his partibus exemptis, suauius & iucundius gustui reddatur uber.

Craticula.) Crate. Est autem Cratis siue craticula instrumentum ferreum cancellatum, in quo prunis imposito cibi ceu ofellæ porcinæ, uitulinæ & aliæ carnes, piscesq́; torrentur & assantur.

Sumen plenum.) Hoc est, uber fartum & condimento impletũ.

Eclimus salsus quo suitur.) Legendum puto, Echinus salsus: consuitur. Est autem sensus ut uber impleatur & farciatur conditura ex pipere, careo & echino salso confecto, & deinde sic fartum consuatur & postea coquatur. Est autẽ echinus hic piscis genus de quo plura in sequẽtibus.

Alece.) Alex gari uitium &, ut Plinius ait, imperfecta nec colata fex est. Peruenitq́; ad ostreas, echinos, urticas, cammaros, mullorum iocinora. Innumerisq́; generibus ad saporem gulæ cœpit sal tabescere. Hæc obiter indicata sint desiderijs uitæ: & ipsa tamen nonnulli usus in medendo. Est etiam alec & alecula piscis qui sale inueteratus, harenga uocatur & ex Belgis & Menapijs in Germaniam & Pannoniam adfertur. Infumatum uero alec, uocatur harenga passa.

IN CAPVT III.

FIcatum.) quod Græce συκότον dicitur, iecur aprugnum aut suillum uocant, è sue præsertim fico pasta, unde & nomen habet. De quo & Plinius lib. 8. sic refert, Adhibetur ars iecori fœminarum sicut anserum. In-

uentum M. Apicij fico carica saginatis à satietate necatis repente mulsi potu dato.

Pertimum.) Legendum, Piper, thymum.

Augmento.) Legendum, Omento. Quod quid sit, dictum est lib. 2.

IN CAPVT IIII.

OFellæ.) Ofella est quæ & offula dicitur, ambo diminutiua ab offa: omnia carnis massam & frusta significantia, quæ popinæ nunc pulpas, pulpulas & pulpellas uocitant. Accipiuntur etiam pro scitißimi saporis edulijs, cuiusmodi quodpiam intelligit Claudius apud Suetonium dum ait: Rogo uos quis potest sine offula uiuere. Et offam penitam prisci uocauerunt porcinum frustum cũ cauda. Significant item pultem aliquando & quæ in pultis modum facta sunt cibaria. Nunc communiter pro esculento carnium iure accipitur offa. Demum transfertur etiam ad aliarum rerum massas. Serenus cap. 45. Manauit lactans caprifici succus ofellam.

Ostienses.) Quales ab Ostiensibus fieri solebant. Sunt autẽ Ostienses qui Ostiam oppidum incolunt. Ostia uero Romanorum colonia dicta est quod id oppidum situm sit in ostijs Tiberinis, hoc est, Tiberis patentibus aditibus.

Designas.) Designare uocat quod supra charaxare dixit, hoc est, scarificare, & scalpello incidere & perforare.

Surdas.) Legendum, Surclas, hoc est, surculo configis.

Exossas.) Exossare uocat ab oßibus eximere & separare, & ossa detrahere. Plautus in Pseudulo, Exossabo ego illum, simulter itidem ut murenam coquos.

Compicas surdas.) Ex uetusto exemplari legendum, complicas, surclas.

Expuant.) Hoc est, euomant, eijciant & exsudent.

Abdomine.) Abdomen est sumen. Aliqui pro larido duro accipiunt: alij pro panticibus obesis. Iuuenalis: Montani quoq; uenter adest abdomine durus.

Aprogeneo more ex oleo liquamine condiuntur.) Legendum puto, Aprugneæ, ex oleo, liquamine coquuntur.

Cum in foco fuerint conditura & denuo bulliunt & sine liquamine & oleo elixantur coquuntur, & sic pipere perfunduntur ius supra scriptum & sic bulliunt.) Tum ex uetusto exemplari tũ aliàs ratione ita exigente corruptißimus hic locus ita

legendus est, ut puto: Cum in foco sunt, conditura. Piper tritum, condimentum, mel, liquamen, amylum: & denuo bulliunt. Cum iam bullierunt, sine liquamine & oleo, elixas & siccas, pipere asperso, inferes.

Asso rodantur liquaminis summi cyato.) *Legendum, Assæ reddantur: liquaminis sumis cyathum.*

IN CAPVT V.

ASsaturæ.) *Assaturas uocat carnes ad assandum aptas & destinatas, in quas condituras nunc apparat. Quibus assis carnibus solitum fuit aliquando apud quosdam inspergere farinam non minus quàm alijs obsonijs. Vnde prouerbium natum est, ubi quid præpostere fieri uidetur, ut dicatur,* πρὶν ὀπτῆσαι ἄλευρα, *id est, priusquam coxeris, farinam, subaudiendum, aspergis, aut simile quippiam. Apicius noster id amylo obligare uocat.*

Baccas v. condimenti.) *Adscribe, scrupulos 6.*

Asareos.) *Id est, asari. Est autem asarum quæ & agrestis rusticaq́; nardus ab aliquibus atq; perpensa nuncupatur à Romanis, authore Dioscoride, coronaria & odorata herba, quam idem describit li. 1. & hydropicis, ischiadicisq́; utilem tradit.*

Collare.) *Hoc est, ceruicem & eius colliq́; carnem.*

In fretali.) *Fretale uocat uas coquinarium quod alio nomine frictorium dicitur & sartago.*

Atteritur.) *Legendum, attorretur.*

Clibano.) *Clibanus Græce, furnus Latine dicitur. Est etiam clibanus aliquando uas coquinarium quod testus dicitur & testum, ex ære patens in quo prunis suppositis coquuntur spiræ, scriblitæ, mustacea in nuptijs, placentæ & testuacea à testu sic uocata, & ex uarijs esculentis concinnata condimenta & opsonia.*

IN CAPVT VI.

IN elixa.) *Scilicet carne. Elixum dicitur quod cinere, qui authore Varrone lix dicitur, ollæ supposito decoctū est, propter quod & aulicoctum dicitur, hoc est, olla decoctum: ueteribus aulam pro olla dicentibus, & aulam pro parua olla, unde Plautinæ fabulæ nomen inditum est Aulularia.*

Copadijs.) *Per copadia (si ut alia compluria, à Græco deriuationem suam habuerint, scilicet à dictione* κόπις, *quæ latæ significationis est, mazam, panem, carnem, tragemata, & alia significans, authore Hesychio & Athenæo) intelligere poteris quæ Latini uocant cupedia, quo nomine appellantur*

pellantur cibi lautiores à cupiditate quæ cupedia fœminino genere etiam dicitur: uel quod rebus cupidinis alimenta subministrent. Et cupedula genere fœminino. A. Gellius, Coniectabamus ad cœnulam non cupedulas ciborum, sed argutias quæstionum. Hinc cupedinarij, esculentarũ rerum uenditores.

Vnde stringat.) Lege, ut destringat, id est, cogat, adunet & contrahat.

Et origano.) Adscribe, agitabis.

Rutam, baccam myrthæ unam, passum.) In uetusto exemplari sic legitur, mentham, baccam myrthæ, uuam passam, & hæc scriptura magis conuenit.

Nardostatium.) Lege, nardostachyon, id est, nardi spicam. στάχυς enim spica est. Verum de nardi spica & folio dictum est li. 1. Vtitur dictione etiam non semel Marcellus medicus.

Enechi flos.) Legendum puto, Cnici flores. Cnicos autem herba est aculeata, quam Cartamum nunc uocant. Cuius flore ad coloranda obsonia pro croco gentes aliquæ utuntur, crocumq; sarracenum uocant. Describit hanc li. 4. ca. 178. Dioscorides in hunc modum. Folia habet cnicos oblonga, incisuris diuisa, aspera, aculeataq;: caules cubitales, in quibus capitula sunt rotunda. Florem croco similem. Semen candidum, amarumq;, oblongum, angulosum, quo in opsonijs utuntur. Tunditur id, daturq; expressus ex eo succus ad purgandam aluum in aqua dulci aut gallinacei esculento iure. Stomacho tamen nocet.

Alligatam.) Legendum, alecatam, ab alece, gari fæce non colata.

IN CAPVT VII.

Ventriculi.) Ventriculus qui & uenter dicitur, nostro æuo stomachus appellatur, & est cibi receptaculum ut in quo conficiuntur & hinc in aluum delabuntur, quæ medio umbilico adnexa est, ut ait Plinius. Sunt autem uentriculi duri & uix concoquuntur atq; pituitam gignunt, authore Paulo Aegineta.

Anisum.) De aniso Plinius li. 20. sic prodit: Anisum à Pytagora inter pauca laudatum siue crudum siue decoctum: item uiride, aridúmue omnibus quæ condiuntur, quæq; intinguntur desideratum, Panis etiam crustis inferioribus subditum. Saccis quoq; additur. Cum amaris nucibus uina commendat. Quin ipsum oris halitum iucundiorem facit: mox uino collutum uultum iuniorem præstat. Appetentiam ciborum præstat, quando id quoq; inter artificia deliciæ fecere, ex quo labor desijt cibos poscere. Ob has cau=

sas quidam ancetũ id uocauere. Hoc ligustici uicem præstat in condimentis.

Rutæ modicum reples &c.) Ex uetusto exemplari & alijs legendum sic est, Rutæ modicum, liquamen optimum & olei modicum, reples &c.

Aqualicum.) Quem diminutiua forma aqualiculum uocant. Est autem proprie uas in quo porci sorbent, ab aqua sic dictum. Per metaphoram tamen aliquando pro uentre usurpatur, ceu loco præsenti, & apud Persium dicentem: Cum tibi Calue Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet.

Surclas ambas.) Legendum, surclas, amylas, à surculo & amylo formatis uerbis.

Crepet.) Crepare est dißilire & cum sonitu quodam rumpi.

Qua dimidias.) Legendum, cum ad dimidias.

Perlixabis.) Lege, perlaxabis, id est, laxamentum dabis.

IN CAPVT VIII.

Lumbuli & renes.) Coniunctio, Et, hoc loco expositiue accipitur pro id est: nam nihil aliud per lumbulos intelligit quàm renes. Dicti sunt autem Lumbuli à lumbis qui spinæ adhærent quasi parui lumbi. Renes uero è uiscerum numero sub imis coxis, summis inhærentes lumbis, uentriculos habent, quibus utrisq; pinguitudo è medio exit. Suntq; animalia in renibus pinguißima, licet dexter omnibus latior & minus pinguis, sicciorq; existat. Verum in cibario usu renes ægre cõcoquuntur & mali succi sunt, authore Celso & Paulo Aegineta. Lactentis tamen hœdi non improbantur, ut qui nihil adhuc terrestre habeant.

IN CAPVT IX.

PErna.) Perna à Græco πτέρνη, uel à pede quem antiqui pernam dicebant, nominata, pars est è succidia: diciturq; tam de priore quàm posteriore coxa. Pernæ meminit Martialis hoc disticho: Ceretana mihi fiet uel massa licebit De Menapis, lauti de petasone uorent. Celsus pernas (ut puto) trunculorum nomine intelligit, & inter res boni succi & lenes connumerat. Saliuntur autem & fumigantur etiam pernæ, saliendi uero modum docet Cato Rusticæ rei libro ad finem. Ab hijs pisces concharũ generis pernæ nomen sumpserunt circa Pontias insulas frequentißimæ, ut refert li. 32. Plinius: Stant uelut suillo crure longo in harena defixæ hiantesq; qua limpitudo est pedali non minus spatio. Cibum uenantur, dentes in circuitu margi-

num

num habent pectinatim spissatos, intus pro sphondylo grandis caro est.

Tessellam.) *Lege, tessellatim, id est, minutatim ad modum tessellæ.*

Corium.) *Id est, cutem, tegumentum & crustam.*

Pernæ cocturam.) *Hic initium est alterius condimenti & opsonij, quare non male hijs uerbis præponendam puto hanc dictionem Aliter, sicq; legendum:* ALITER. *Pernæ cocturam.*

In lata cum buccellis caræni uel condito melius ficut musteis petasonem: & musteis petasonem elixas fuerit decarnas: & armillam illius candenti batillo uris melle contingis, quod melius missum in furnũ melle obligas, cum colorаueris mittis in cacabum piper: fasciculum rutæ, merum temperas. Cum fuerit temperatum dimidium in petasonem perfundis, & aliam partem piperati buccellas musteorum factas perfundis.) *Hic locus corruptissimus est, mutilus & redundans, quem partim ex uetusto exemplari & alijs ipsum citantibus, partim reipsa ita exigente, in hunc modum emendate legendum puto. In lance cum buccellis, caræno uel condito melius. Mustei petasones. Ex musteis petasonem elixas cum bilibri ordei & caricis 25. cum elixatus fuerit, decarnas, & armillam illius candenti batillo uris & melle contingis, uel quod melius est, missum in furnum melle obligas, cum colorauerit, mittis in cacabum passum, piper, fasciculum rutæ, merum, temperas, cum fuerit temperatum, dimidium in petasonem profundis, & alia parte piperati buccellas musteorum fractas perfundis. In qua lectione dictio, melius, præcedentis cõdimenti finis est. Quæ uero sequuntur uerba, Mustei petasones, in sequentem cond turam & opsonium, tituli loco existunt. Verũ petaso, qui & petasunculus uocatur, coxa cũ crure esse dicitur: & pernam etiam ab aliquibus uocari, author est Athenæus: alij uero eam suis partem esse dicunt quæ ab alis incipit & costas comprehendit quibusdam ueluti uirgulis pinguibus distincta. Musteus autem uocatur qui nouus & recens est, qui pernis longe præponitur, nam uetus quia ob pinguedinem facile rancescit, ideo improbatur. Vnde Martialis est distichon hoc: Musteus est, propera, charos nec differ amicos, Nam mihi cum uetulo sit petasone nihil.*

Decarnas.) *Decarnandi uerbo à carne formato utitur Apicius noster pro carnem à cute recidere & resecare, separareq;, quod & subcultrare aliquando uocat.*

Armillam.) *Videtur intelligere pellem & cutẽ quæ armis tanquam*

armillæ inhæret, illosq; obtegit, & quod armis id est humero deportetur ceu armillum. Sunt enim armillæ quas uiri militares ex auro ab Imperatoribus donati gerunt, quod antiqui humeros cum brachijs armos uocabant. Proprie tamen armi sunt brutorum, hominum uero humeri. Et armillum uas est uinarium in sacris, quod armo id est humero deportetur. Potes etiam per armillam scapulam siue spatulam, coxamq; anteriorem intelligere.

Batillo.) Batillum est rusticũ instrumentũ ferreum, ligneúmue quo ad sulcos fossasq; faciendas & ad alia utũtur. Varro Rei rusticæ li. 3. ca. 6. Itaq; pastorem earum cum batillo circuire oportet, ac stercus tollere. Est item è ferro batillum, instrumentum quo prunæ & cinis colliguntur & è foco tolluntur alioq; transferuntur, ad similitudinem palæ. Quod primo batalum quasi patulum uocatum est, & per diminutionem inde patillum. Et pro lamina ferrea non male acceperis hoc loco, sicut & apud Plinium li. 34. cap. 11. de probanda erugine. Experimentum in batillo ferreo. Nam quæ syncera est, suum colorem retinet: quæ mixta atramento, rubescit.

Recusauerint.) Id est, respuerint, & non sorbuerint aut imbiberint.

Laridi.) Laridum siue lardum ueteres pro carne suilla quoquo modo salita usurparunt, siue pinguis siue macra fuerit. Vnde Plinius lib. 28. ca. 10. ait: Lardum quoq; pingue quasi & macrũ dici posſit. Et Satyricus poeta inquit: Et natalitium cognatis ponere lardum. Item Marcellus medicus libro de Medicamentis ca. 15. ait: Pinguæ laridi quod inter cutem & carnem macram est, & ca. 34. ait: Lardum coctum cũ pingui suo. Nunc pinguiusculum ita uocant. Verum Nonius Lardum esse dicit quod Varro succidiam uocat, carnem scilicet salitam ut sit lardum quasi large aridum, teste Macrobio, cuius uerba sunt hæc: Sæpe apposita salita carne, quam laridum uocamus (ut opinor) quasi large aridum. Vnde & epitheton discretiuum pingue additur. Horatius: Vncta satis pingui ponantur oluscula lardo. Et Ouidius: Pinguia cur illis gustantur larda Calendis. Porro succidia generaliter uocatur caro suilla salita & fumo durata, necessariumq; in usum seruata, & ita ut in se comprehendat pernam, petasonem & lardum: à succidendo sic appellata, quod quoties opus est, inde ad esum succidi potest: quamuis Varro non à succidendo, sed à suibus cedendis nominatam putet, quod pecus primum occidere cœperunt domini, & ut seruarent, salire. Sed priori opinioni adstipulatur illud Ciceronis: Iam hortum ipsi agricolæ, succidiam alterã appellant. Cæterum suillæ saliendæ modos docet li. 12. ca. 53. Columella.

IN CAPVT X.

IOcinora.) *Caput extorum iecur est, dextra in parte situm. Aegre concoquitur, crassos generat humores, appetentiam tollit. Lactentium tamen iecinora minus insalubria putantur, & adhuc minus gallinacea & anseria anatinaq; & porcina. Paulus Aegineta lib. 1. Cor & iecur craßi succi sunt, coctu difficilia, & tarde transmittuntur. Sed suillum iecur bonitate cæteris præstat. Celsus tamen li. 2. Omne iecur boni succi esse dicit.*

Pulmones.) *Pulmo spirandi officina, attrahens ac reddens animam, iccirco spongiosus ac fistulis manibus cauus, modici alimenti & ob raram eius texturam & leuitatem. Paulus Aegineta, iecore & liene pulmo laxior est & coctu facilior: sed pituitosus est, & minus alit: Item cito de stomacho descendit, eligitur uituli, porci, agni & hædi.*

Ligulam.) *Ligula mensuræ genus est quod alio nomine cochleare dicitur, & est octaua pars cyathi. Dicitur & instrumentum ad similitudinem linguæ factum planum & oblongum, & nomen habet à lingua, quo nomine etiam & inde lingula quoq; dicitur, cuius Martialis meminit hoc disticho: Quamuis me ligulam dicant equitesq; patresq;, Dicor ab indoctis lingula grammaticis.*

Et imples pulmones.) *Ex uetusto exemplari adscribenda sunt hæc uerba: elixas & concidis: teres piper, suffundis liquamen, passum, merum, pulmones.*

IN CAPVT XI.

Dulcia domestica.) *Hoc est, Condimenta & opsonia familiaria dulcia ex melle concinnata.*

Vel dactylos & infarcies, sales foris contingis: & cepto semine nuce uel nucleis uel piper tritum: frigis.) *Hunc locum tum aliàs tum uerbis transpositis corruptum sic lege. Vel dactylos excepto semine, nuce uel nucleis uel pipere trito infarcies, sale foris contingis, frigis. Per semen autem excipiendum intellige dactylorum ossa & nucleos eximendos, quorum loco reponenda sunt quæ ex ordine enumerat.*

Musteos aphros.) *Legendum, apios, de quibus dictum est lib. 3. Musteos uero uocat recentes, teneros & dulces.*

Ne arescant.) *Legendum, ut arescant, id est, desiccentur.*

Siligineos rasos.) *Hoc est, medullam panis siliginei ab extima parte, cortice & crusta euulsam & exemptam. Est autem siligo triticei generis, in summa laude habita. Ex hac panis conficiebatur laudatißimus &*

quem ueteres cæteris præferebant. Plinius li. 18. Panis summa laus, siliginis bonitate & cribri tenuitate constat. Cui primæ in nutriendo aßignantur partes. Vnde Celsus lib. 2. ait: Ex tritico firmißima est siligo, & eam inter res euchymas boniq; succi connumerat. Sed de siligine plura li. 2.

Coagulum.) Legendum, Coagulatum. Coagulare est constringere & densare. Et hinc uocatum est coagulum ea pars uiscerum qua ad densandum lac utimur: substantia & mucillago quædam superflua lacti coagulato quodammodo similis in uentribus & certis animalium uesicis genita & appensa. Aristoteles de historia animalium li. 3. ca. 21. Coagulum, inquit, lactis substantia est, quippe quod in eorum uentriculo, quæ adhuc lactent, contineatur. Est ergo coagulum lac, ignem habens intra sese, quod cum animalis tepore concoqueretur caseum traxerit. Hæc ille.

Perfusum asperfum.) Ex uetusto exemplari scribendum, perfusum, melle asperfum.

Accipies simulam coques: & in aquam calidam ita ut durissima pulte facies.) Legendum, Accipies similam, coques in aqua calida ita ut durißimã pultem facias. Est aũt simila, quæ & similago dicitur, quæ ex tritico fit laudatißima, ut inquit Plinius. Vnde de laudibus eius Martialis ait: Nec dotes poteris similæ numerare, nec usus, Pistori toties cum sit & apta coquo. Conficitur autem hoc modo: Triticum suspensa mola frangitur potius quàm teritur. Cribro deinde tenuißimus ille pollen & craßiores excernuntur furfures. Quæ uero relinquitur media substantia candida non in farinam trita sed craßior & quasi grumosa cui nihil ex tritico inutile admixtum sit, Græce σεμίδαλις, Latine similago & simila uocatur, ex qua panis fit candidißimus: qui, ut Dioscorides tradit, magis nutrit eo à quo nihil cribro excussum est, quem Græci communiter συγκόμιστον dicunt: Galenus uero & Celsus αὐτόπυρον, de quo Celsus etiam ait: Firmius est triticum quàm milium: id ipsum quàm ordeum: & ex tritico firmißima siligo: deinde cui nihil ademptum est, quod αὐτόπυρον Græci uocant: infirmior est ex polline: infirmißimus cibarius panis.

Tyropatina.) Haud male interpretatus fueris caseatam à τυρὸς quod est caseus, eo quod in casei modum conformetur.

Aduersus patinam æstimabis.) Ex uetusto exemplari legendum: Aduersus quod patinam æstimabis, hoc est, pro lactis ratione patinam eius sufficienter capacem accipere considerabis. Aestimare enim appretiare est, quod quia sine speciali consideratione fieri non potest, aliquando pro consi-

considerare accipitur. Ouidius: Hæc quicunq; leget, si quis leget, æstimet ante.

Lactantia.) Hoc est, lactaria quæ & lacticinia uocantur, cibi ex lacte confecti, quos Celsus etiam Lactantia uocat li. 2. ca. 27. ubi ait: Facile autem intus corrumpuntur, lac, mel, ideoq; lactantia, atq; omne pistoriũ opus. Deinde capite sequenti aluum mouere dicit lac, lactantia omnia.

Cuminata.) Legendum, Cumana, quæ uas est coquinarium, de quo dictum est in præcedentibus.

Oua sphongia.) Hoc est, cibus ouorum formam præ se ferens & spongiosus, id est, ad modum spongiæ rarus, tener, & inflatus.

Mel caseum piper & liquamen.) Legendum, Mel castum. Pipere & liquamine. Scilicet inferes. Vocat autem mel castum, quod purum, immaculatum & nullius rei permixtione coinquinatum est.

IN CAPVT XII.

BVlbi.) Bulbi priuatim uocati cepis similes sunt, & cepe dicuntur album sine tunicis. Suntq; plura eorum genera, ut li. 8. de plantis tradit Theophrastus. Siquidē magnitudine, colore, figura & sapore differunt. Alicubi enim adeo dulces nascuntur ut per se sine condimento alio edantur, quales in Taurica Chersoneso sunt. Cato megarenses tanquam omnuum optimos celebrat. Venerem mire stimulant, unde & salaces à Martiali uocantur, & in libro Xeniorum ait: Cum sit anus coniunx, cum sint tibi mortua membra, Nil aliud bulbis quàm satur esse potes. Columella item de ijsdem in hortulo ait: Quæq; uiros acuunt, armantq; puellas, Iam megaris ueniāt genitalia semina bulbi. Quibus & M. Varro & hoc loco Apicius qui Varronis etiam utitur testimonio, adstipulantur, tradentes ob id bulbos sponsis in legitimis nuptijs olim apponi solitos. Et Paulus Aegineta li. 1. Bulbi, inquit, seminis abundantiam faciunt, & uenerem stimulat frequentior eorum cibus, at qui ex garo oleoq; comesti, suauißimi, flatu carentes, optimi alimenti, facilisq; decoctionis sunt. Adhæc bulbus qui edendo est, ut li. 2. testatur Dioscorides, stomacho in cibo utilis, bonam facit aluum qui colore ruffo ex Africa affertur: amarus & qui ad scyllæ figuram propius accedit, stomacho adhuc magis accommodatus est, & concoctiones adiuuat. Habent Bulbi omnes acrimoniam: calefaciunt & uenerem stimulant. Linguam tonsillasq; exasperant. Nutriunt ijdem magnopere, corpus augent, sed inflationes faciunt. Conferunt ruptis in aceto elixi & in cibo sumpti. Cauere tamen in cibo copiam eorũ oportet. Et hæc de priuatim dictis bulbis. Nam generaliter bulbi

uocantur quorum radices sub terra sic crescunt ut ad nouam quotannis sobolem decerpi aliqua pars poßit ut in lilio, croco & similibus: item & aliæ rotundæ tunicatæ radices & quorum esui dantur radices & olera capitata, uti Celsus innuit li. 2. ubi de alimentorum facultatibus agens dicit: In media materia numerari ex oleribus debere ea, quorum radices uel bulbos assumimus. Et mox post: Ex oleribus ualentior rapa, napiq; & omnes bulbi: in quibus cepam quoq; & allium numero, quàm pastinaca, uel quæ specialiter radicula appellatur.

Aqua ex aqua.) *Legendum, atq; ex aqua.*

In aquam.) *Aliqui legunt, imquum.*

Deinde ut.) *Legendum, deinde, in.*

Erucæ succo.) *Eruca herba est in acetarijs & ciborum usu non infrequens: cui, ut li. 20. testatur Plinius, in condiendis opsonijs tanta est suauitas, ut Græci εὔζωμον appellauerint. Hæc uenerem impendio excitat. Vnde Martialis:* Et uenerem reuocans eruca morantem. *Et Columella,* excitet ut ueneri tardos eruca maritos. *Item Dioscorides libro 2. idem testatur inquiens:* Stimulat uenerem multus crudæ erucæ cibus. Potest idem & semen, quod urinã cit. Adiuuat concoctionem eruca & bonam facit aluum. Vtuntur & semine in condiendis opsonijs, seruantq; id ut diutius perennet aceto lactéue maceratum in pastillos conformantes. *Adhæc Plinius lib. 19. ait:* Eruca præcipue frigorum contemptrix diuersæ est quàm lactuca naturæ. Concitatrix ueneris, iccirco iungitur illi fere in cibis, ut nimio frigori par feruor immixtus temperamentum æquet. *Et Marcellus medicus libri de Medicamentis experimentatis capite 33. inquit:* Ad abundantiam seminis præparandam erucam decoctam bibat, quoties quisq; inopia seminis se laborare perspexerit uel potius aßidue incoctam manducet: *& mox post, tale medicamentum ponit.* Erucæ seminis scrupulos 3. bulbi ruffi scrupulos 3 nuclei pinei purgati scrupulos 6. spicæ nardi scrupulos 3. teres singula diligenter & permiscebis atq; inde globulos facies ad formam nucis auellanæ: & cũ opus fuerit singulos liquefactos in caprino lacte potabis, si in uenerem uolueris accendi.

IN CAPVT XIII.

FVngi farnei.) *Legendum puto, faginei. Sic dicti quod ex arbore fago nascuntur, qui ut cæterarum arborum fungi non ita perniciosi sunt. De fungis & eorum generibus plura li. 3. ex Plinio. Quibus nunc aliqua ex Dioscoride addemus, qui lib. 4. de ijsdem sic prodit:* Fungorum duplex

plex differentia. Aut enim edendo sunt: aut lætales, quales multifariã fiunt quoties aut clauis rubiginosis, aut putridis pannis, aut serpentium latibulis & cauis adnascuntur, aut arboribus priuatim noxios ferentibus fructus. Habent qui tales sunt concretum supra se lentorem quendam, relictiq; cum è terra auulsi fuerint putrescentes corrumpuntur. Qui contra tales non fuerint, in cibos idonei suauesq; sunt, & nihilominus maiore copia sumpti nocent & ipsi: Difficilis in stomacho cocturæ, strangulantes, & choleram afferentes: ijdem tamen nutriunt, uerum ægre resoluuntur, integreq; & quales hausti fuerunt plerunq; cũ reliquis excrementis redduntur. Hactenus Dioscorides. Item Paulus Aegineta li. 1. ait: Fungi frigidi, pituitosi & mali succi sunt. Ex his boleti, innocentiores sunt, & manifestæ qualitatis expertes, probe ad summum elixi. Qui uero amanitæ dicuntur secundum post boletos bonitatis locum obtinent. A cæteris abstinere oportet. Plures enim eorum mortiferi, ac ipsi quoq; boleti, nisi percocti edantur, præsens periculum sæpenumero minantur. Cæterum pratenses ante omnes laudati, quod procul ab arboribus nati meliore ex terra succo quàm ex arborum pituita gignuntur. Superius candidi, inferius nigricantes. De hijs Horatius in sermonibus sic decernit: Pratensibus optima fungis Natura est: alijs male creditur. Et hij boleti intelliguntur, qui inter fungorum genera præcipui habentur, & de quibus li. 22. capite numeri eiusdem Plinius ait: Inter ea quæ temere manduntur boletos merito posuerim. Optimus quidẽ est is cibus, sed immenso exemplo in crimen adductus, ueneno Tiberio Claudio principi per hanc occasionem à coniuge dato Agrippina. Hic ita nascitur. Volua prius in terra gignitur, ipse postea in uolua ceu in ouo est luteum. Nec tunicæ minor gratia in cibo infantibus boletis. Rumpitur hoc primo nascente, mox crescente in pediculo corpus absumitur. Et boletis quidem ortus occasusq; omnis intra dies septem est. Peßimi quoquo modo cocti habentur tum boleti tum fungi omnes. Aegre concoquuntur, prauos generant humores: item apoplexiam, uentris tormina, difficultatem mingendi & suffocationem minantur. Solum gulæ satisfaciunt, ob quam quanti olim æstimati fuerint, indicat uel illud Martialis: Argentum atq; aurum facile est, lenamq; togamq; Mittere, boletos mittere difficile est. Præterea quos Apicius coliculos & thyrsos, Plinius pediculos uocat, quibus corpus & caput insidet, & qui terræ inhærentes, boletum sustinent.

In Garo.) Hucusq; per totum opus ab Apicio nostro Gari uocabulum nusquam usurpatum est sine adiuncto: quare dubitauimus num potius

pro eo scribendum esset œnogarum, quod ipsi in condimentis in frequenti usu est, sed nihil immutare ausi sumus, suspitionem tamen nostram non indicare nequiuimus. Verum quid sit garus siue garum docet nos Plinius Naturalis historiæ lib. 31. ca. 7. ubi inquit: Aliud etiamnum liquoris exquisiti genus est quod garon uocauere, intestinis piscium cæterisq; quæ abijcienda essent, sale maceratis, ut sit illa putrescentium sanies. Hoc olim conficiebatur ex pisce quem Græci garon uocabant. Nunc è scombro pisce laudatissimum in finibus Carthaginis Spartariæ & Cetarijs, sociorũ appellatur. Nec liquor ullus penè præter unguenta maiore in precio esse cœpit, nobilitatis etiam gentibus. Fiebat etiam ex alijs piscibus. Nam ut idem mox post ait: Cœpit & priuatim ex inutili pisciculo minimoq; confici, apuam nostri, Aphyen Græci uocant, quoniam is pisciculus è pluuia nascitur. Foroiulienses piscem ex quo faciunt lupum appellant. Transit deinde in luxuriam, creuerumq; genera ad infinitum. sicuti garum ad colorem mulsi ueteris, adeoq; dilutam suauitatem ut bibi posßit. Aliud uero ad castimoniarum superstitionem: etiam sacris iudæis dicatum, quod fit è piscibus squama carentibus. Sic alex peruenit ad ostreas, echinos, urticas, cammaros, mullorum iocinora. Innumerisq; generibus ad saporem gulæ cœpit sal tabescere. Hæc obiter indicata sint desiderijs uitæ, & ipsa tamen nonnulli usus in medendo. Sunt item qui coctorum piscium ius garum uocent, & ita, ut in uetusto quodam manu scripto codice sed incerto authore, reperi, confici præcipitur. Confectio gari. Sume pisces minores salsos, aut si salsi non fuerint, saliuntur pauco sale, & mitte ex illis sextarium unum & de bono uino sextarios tres, & coque in æreo uase usq; dum duæ partes consummantur & tertia remaneat, tum cola per saccum usq; ad claritatem, & refrigeratum mitte in uitream ampullam, & utere. Cæterum ex siluro pisce aliquando etiam fieri solitum testatum reliquit Cælius Aurelianus medicus Chronicωn siue tardarum paßionum li. 2. ca. 1. de paralysi cum ait: Garum, quod appellamus liquamen ex pisce Siluro confectum. Demum quamuis liquaminis uocabulo garum intelligat Apicius noster, Latino tamen nomine aliquando caruisse testis est Ausonius in epistola ad Paulinum hijs uerbis: Scis autẽ me id nomen muriæ, quod in usu uulgi est, nec solere, nec posse dicere, cum scientissimi ueterum, & Græca uocabula fastidientes, Latinum in gari appellatione non habeant. Sed quocunq; nomine loquar, liquor iste sociorũ uocatur. Quod reliquum est, non modo ex piscibus & eorum extis, sed & ex animalium carnibus salsis fiebat garum, liquor scilicet ex salsura eorum exsudatus fluens & aquæ mo

do su-

do supernatans, authore Dioscoride, qui li. 2. ca. 31. ait: Sistit omne ex salsis piscibus itemq; animalium carnibus garum quæcunq; pascendo serpunt, si eo foueantur. Differt autem ab alece garum, quod alex imperfecta nec colata fex est. Horatius, Quo fece primus & alex. Differt item ab halme, id est, muria: quod garum sanies intestinorũ piscium est: halme uero muries & sal sugo piscium mueteratorum, hoc est, ius salsum in quo seruantur. Meminit utriusq; Martialis, muriæ quidem hoc disticho: Antipolitani, fateor, sum filia thynni: Essem si scombri non tibi missa forem. Gari uero sociorum hoc altero, Expirantis adhuc scombri de sanguine primo Accipe fecosum munera chara garum.

IN CAPVT XIIII.

TVbera.) Quæ in cibo plurimum alunt & uenerem concitant, de quibus dictum est lib. 2.

Surculo.) Hoc est, ramusculo, spinula, lanceola & cuspidula. Surculus diminutiuum est à surus qui palus est. Et à surculo uerbum formauit surclare, pro surculo affigere, quo sæpius utitur.

Oleum uinum.) Ex uetusto exemplari legendum, oleum uiride.

Aliter tubera elixa cum porro &c.) Hoc condimentum ex uetusto codice adscripsimus.

IN CAPVT XV.

COlocasium.) Colocasium nunc totam plantam, nunc plantæ radicem solam significat, quæ cruda & cocta in taleolas secta, cotonei mali odore similis, comedebatur. Secta quidem, quoniam per longitudinem rectos pectines habet, conuiuas longiore filo ni secentur, fatigantes. Quod & Martialis testatur hoc disticho: Niliacum ridebis olus, lanasq; sequaces: Improba cum morsu fila manuq; trahes. Describit hanc plantam sub Aegyptiæ fabæ nomine lib. 2. Dioscorides in hunc modum. Faba Aegyptia quam ponticam aliqui etiam dicunt plurima nascitur in Aegypto, Asia, Ciliciaq; palustribus locis. Grande folium galeri modo habet: caulem cubitalem, crassitudine digitali: Florem roseo colore dupla ad papaueris florem magnitudine, qui cum defloruit uesparum fauis similes utriculos profert, in quibus fabæ sunt paululum bullarum modo supra operculum emergentes. Vocatur id Ciborium: ab aliquibus autem cibotium quasi scriniolum. Radix illi est harundinis radice crassior: quæ cruda pariter & cocta estur colocasium appellata. Comeditur uiridis faba hæc etiam. Nigrescit siccata: maiorq; com-

muni faba est. Plinius totam plantam colocasiæ nomine intelligit: quam & li.21. sic depingit. In Aegypto nobilissima est colocasia, quam cyamon uocant aliqui. Hanc à Nilo metunt: caule cum coctus est harenoso in mandendo. Thyrso autem qui inter folia emicat, spectabilis, folijs latissimis etiam si arbores comparentur, ad similitudinem eorum quæ personatia in nostris amnibus uocamus: adeoq; nihil suis dotibus gaudet, ut implexis colocasiæ folijs in uariam speciem uasorum potare gratissimum habeant. Vnde illud Horatij: Ciboria exple. Et Strabo geographiæ li.17. ait: In Aegypti lacubus ac paludibus biblus nascitur & Aegyptia faba ex qua ciborium fit (& paucis interpositis ipsam describentibus uerbis ait,) oblectantur autem mirum in modum in scaphis Thalamegis densissima fabeta subeuntes, & eorum folijs inumbrati, quæ adeo magna sunt, ut poculorum & catinorũ usum præbeant. Habent enim concauitatem quandam ad id idoneam: unde Alexandrinæ officinæ ijs plenæ sunt, & ut uasis utuntur. Demum quod naturam eius concernit, habet Aegyptia faba, authore Dioscoride, adstringendi uim, stomacho accommodata est. Faba & semen ipsum quod amarum est, uiride ægre concoquitur, exigui nutrimenti est & inflat. Siccatũ tamen minorem inflandi uim habet, authore Theophrasto & Athenæo. Colocasia in cibo egregie nutriunt, melioraq; quæ minus lanosa fuerint.

Rutam uel liquamen.) *Legendum, rutam, mel, liquamen.*

IN CAPVT XVI.

COchleæ.) *Scilicet terrestres. Duo enim cochlearum genera sunt. Aliæ nanq; aquatiles quas Græci strombos, Latini turbines communi alio nomine uocant, quod ex amplo in tenue deficiant in uertiginem torti. Aliæ sunt terrestres quæ per hyemem terra delitescunt, uere prodeuntes. Vulgo à limo in quo uiuunt limaces, Græce cochleæ & cochlia appellantur, testa clauiculatim intorta: qua ut domicilio utuntur, quo se exerentes, quoniam oculis carent, bina cornicula prætentandi iter causa protendunt, & si quid obstaculi sentiunt, resiliunt. Plinius li.9. ubi de crustatorum sanguine carentium genere agit: In eodem, inquit, genere sunt cochleæ, aquatiles, terrestresq; exerentes se domicilio: binaq; ceu cornua protendentes contrahentesq;: oculis carent, ideoq; corniculis prætentant iter. Ait uero, ceu cornua: quoniam hæc non proprie cornua sed similitudinarie tantum dicuntur. Nam, ut idem li.11. dicit, cornua multis quidem & aquatilium & marinorum & serpentiũ uarijs data sunt modis: sed quæ iure cornua intelligantur quadrupedi tantum generi. Cochleæ pro piscibus eduntur, adeoq; in delicijs*

licijs apud ueteres fuere, ut earum, quod lib. 9. ca. 56. refert Plinius, uiuaria instituerit Fuluius Hirpinus in Tarquinensi paulo ante ciuile bellum quod cum Pompeio magno actum est: distinctis quidem generibus earum, separatim ut essent, albæ quæ in Reatino agro nascuntur, separatim Illyricæ quibus magnitudo præcipua, Africanæ quibus fœcunditas, Solitanæ quibus nobilitas. Quin & saginam earum commentatus est sapa & farre, alijsq; generibus, ut cochleæ quoq; altiles ganeam implerent. Cuius artis gloria in eam magnitudinem perducta sit ut octoginta quadrantes caperent singularum calices, author est M. Varo. Hactenus Plinius, qui etiam li. 30. cap. 3. de natura & uiribus earum scribens, testatur ipsas in cibo præcipue stomacho mederi. In aqua eas subferuefieri intacto corpore earum oportet, mox in pruna torreri nihil addito, atq; ita è uino garoq; sumi præcipue Africanas. Nuper hoc compertum plurimis prodesse. Aluum mouent, authore Celso, boni succi & stomacho idoneæ. Paulus Aegineta tamen mali succi esse dicit, eius lib. 1. uerba sunt hæc: Ius omnium quæ testis concluduntur aluum ducit: hanc ob causam terrestres quoq; cochleæ uentrem soluunt. At uero duræ carnis & coctu difficilis sunt, quæ licet nutriat, mali tamen succi est, quapropter nonnulli ius cum garo & oleo condiunt, atq; sic uentrem subducunt. Item ethicis prosunt: pectori & pulmoni ac iecori auxiliares. A cochlea cochleare dictum instrumentum notum quo cochleæ & alij cibi uescendo sumuntur. Cuius & Martialis meminit: Sum cochleis habilis, sed nec minus utilis ouis, Nunquid scis potius cur cochleare uocer? Et cochlea lapis ex flumine rotundus ad cochleæ similitudinem, qui aquæ inditus, eam contra laterum dolores efficacem reddere creditur, quod & nos aliquando experti testamur.

Spongizabis.) *id est, spongia deterges, & emundabis.*

Membranam.) *Id est, pelliculam & operimentum quod conchæ foramen operit & claudit.*

Ommora.) *Legendum, omni hora.*

Pulpas.) *Legendum, pulte, hoc est, farre in puluerem & farinam redacto & in pultis modum cum lacte aut sapa potißimum, ut aliqui facere solebant, confecto. Varro Rusticæ rei li. 3. ca. 14. Has quoq;, ait, saginare solent ita, ut ollam cum foraminibus incrustent sapa & farre, ubi pascantur, quæ foramina habeat, ut intrare aer poßit. Viuax enim hæc natura.*

Lac filigineum.) *Hoc est, siliginea farina nutritum & mixtum.*

IN CAPVT XVII.

OVa frixa œnogarata obelixa liquamine &c.) Legendum puto, Oua frixa: œnogaro. Oua elixa: liquamine &c. scilicet inferuntur. Dum de ouis loquimur, gallinarum oua potißimum intelligimus, quæ gratioris saporis in communi ciborum usu sunt, & de quorum ad ganeam delectu sic præcipit Horatius: Longa quibus facies ouis erit, illa memento, Vt succi melioris, & ut magis alba rotundis Ponere: nanq; marem cohibent callosa uitellum. Cibos quot modis iuuent, notum est. Nullus est alius cibus, ait Plinius, qui in ægritudine alat, neq; oneret: simulq; uini usum & cibi habeat. Ouum durum, inquit Celsus, ualentißimæ materiæ est: molle uero uel sorbile, imbecillißimæ. Et Dioscorides molle magis nutrire quàm sorbile testatur, & molli rursus quod durum est. Prodest autem exiguo calore tepens & liquidum sorptum uesicæ rosionibus, renumq; exulcerationibus & cruenta excreantibus: item faucium scabriciæ & asperitati, pectorisq; destillationibus. Sed de ouis quid sentiat Paulus Aegineta, subscribamus etiam. Libro enim primo eius uerba sunt hæc. Gallinarum, phasianarumq; oua, omnium optima sunt. Anserum uero & Struthocamelorum inutilia. Multo autem præstantiora sunt recentia ueteribus, atq; ut magis alunt trementia, ita sorbilia melius descendunt, ac gutturis asperitates leniunt. Reliqua omnia coctu difficilia sunt, & uix transmittuntur exceptis suffocatis, quæ quidem cruda ex garo, uino, & oleo diluta in diplomate modice inspissantur, Sic enim & boni succi, & coctu facilia redduntur: fricta autem in sartagine omnium peßima sunt. Seruari oua in lomento, aut hyeme in paleis, æstate in furfuribus utilißimum tradit Plinius. Sale exinaniri creduntur. Et inter alios custodiendi modos dicit Columella nonnullos solida, multos etiam fresa faba coaggerare.

Apalis.) Apala, id est, ἄπαλα uocat oua tenera & mollia, quæq; sine cortice & putamine cocta sunt in aqua: qualia & stomachum confortant, authore Scribonio Largo compositione medicinali 104.

ANNOTATIONES IN OCTAVVM LIBRVM APICII CAElij Gabriele Humelbergio Medico authore.

TEtrapus, id est, τετράπους, quadrupes. Quo nomine inscriptus est hic liber octauus, eo quod in ipso quadrupedum animalium quæ ciborum usum præbent, opsonia, lautioresq; conditura tradantur.

IN CAPVT I.

IN apro.) *Carne aprina. E fero suillo genere sunt apri, olim non modo in uiuarijs habiti, ut ex Varrone li. de Re rustica tertio constat: sed & epulis appositi uel solidi & integri, ceu ex Plinij li. 8. manifestum est, ubi sic legitur: Solidum aprum Romanorum primus in epulis apposuit P. Seruilius Rullus pater eius Rulli qui Ciceronis consulatu legem agrariam promulgauit: tam propinqua origo nunc quotidianæ rei est. Et hoc annales notarunt, hoc scilicet ad emendationem morum quibus usitata quidem cœna sæculi uitio bini terniq; pariter mandantur apri. Caro aprina leuis concoctionis, meliorq; domestica: item ualentißimi generis & plurimi alimenti, authore Celso. Hippocrates ait: Caro suis syluatici apriue siccat, corroborat & mouet.*

Alia die mittitur piper.) *Ex uetusto exemplari legendum, Alia die mittitur in furnum: cum coctus fuerit, perfunditur piper. Deim mox post aprinum lege mel pro uel.*

Madescat.) *Hoc est, mollescat, tenerescat & coquatur.*

Exenteras.) *Legendum puto, exenteratas, id est, excorticatas. Per totum librum multa se offerunt errata, sed leuiora quàm ut annotare dignum sit, quare consulto illa, non tamen sine emendatione, præterire satius duximus,*

Enechi flos: nucles tosos: amygdala tosta uel uinum: liquamen acetabulum.) *Lege, cnici flores, nucleos tostos, amygdala tosta: mel, uinum, liquamen, acetum. Ni pro cnici legere malueris anethi.*

Obliga si uis.) *Legendum, obligas ius.*

Cariotam.) *Post hanc dictionem ex uetusto exemplari adscribendum est, mel: quemadmodum post oleum, alterum condimentum quod reddidimus.*

Recentia per articulum.) *Legendum, recens, per articulum, hoc est, iuxta articulum & ea parte qua est articulus. Est autem articulus corporis & membrorum nodus, ut uocat Plinius.*

Opimum.) *Ex uetusto exemplari legendum, optimum.*

Zemam.) *Legendum puto, Zymam, id est, ζύμην, quod fermentum est. Cuius plura genera & conficiendi modos habes apud Plinium libro 18.*

Curionibus.) *Legendum Turionibus, uocantur autem Turiones summitatum arborum uel arbustorum teneritates, utitur dictione hac etiam Columella lib. 12. cap. 48. ad finem inquiens: Lauri turiones in hoc usu mit-*

tito, ut oliuas deprimant.

IN CAPVT II.

IN ceruo.) *Carne ceruina. Ceruus, ait li. 8. Plinius, animal simplex & omnium rerum miraculo stupens, in tantum ut equo aut bucula acceden te propius hominem iuxta uenãtem non cernat: aut si cernit, arcum ipsum sagittasq; miretur. Cornua mares habent, soliq; animalium omnibus annis statuto ueris tempore amittunt. Dextrum negant inueniri, ceu medicamento aliquo præditum. Accensis autem utrislibet odore serpentes fugantur, & comitiales morbi deprehenduntur. Est ijs cum serpente pugna. Inuestigant cauernas, nariumq; spiritu extrahuntur renitentes: ideo singulare abigendis serpentibus odor adusto cornu ceruino. Vita ceruis in confesso longa. Febrium morbos non sentit hoc animal, quin & medetur huic timori. Quasdam nos principes fœminas scimus omnibus diebus matutinis carnem eam degustare solitas, & longo æuo caruisse febribus. Caro ceruina bubulæ ferè aßimilis est. Sapidior esui æstate quàm hyeme, præcipueq; mense Augusto. Plurimi est alimenti, authore Celso: sed duram, coctuq; difficilem præbet alimoniam, ut Paulus Aegineta tradit.*

Carenum.) *Legendum, Careum.*

Apij semen radicem.) *Ex uetusto exemplari legendum, apij semen, laseris radicem.*

Platycerote.) *Platyceros è syluestrium caprarum & damarum genere est, à latitudine cornuum sic dictus,* πλάτυς, *enim latus,* κέρας *uero cornu est. Plinius li. 11. ubi de cornibus agit: Nec alibi, inquit, maior lasciuia naturæ lusit animalium armis. Sparsit hæc in ramis, ut ceruorum: alijs simplicia tribuit, ut in eodem genere subulonibus ex argumento dictis: aliorum finxit in palmas, digitosq; emisit ex ijs, unde platycerotas uocant.*

Omne genus uenationis.) *Hoc est, carnem ferinam omnem quæ uenando ad cibi usum capitur. Celsus etiam uenationem uocat, & boni succi esse dicit.*

Embebam.) *Legendum, embamma, hoc est, ius iam dictum. De embammate autem dictum est in præcedentibus.*

Adiectum.) *Lege, adiectas.*

IN CAPVT III.

IN caprea.) *caprearum carne. Capreæ, unde & capreoli dicuntur, è caprarum genere sunt syluestres: Græci* δόρκαδας *uocant. Siquidem*

plura

plura caprarum genera sunt, tradente Plinio li. 8. ubi ait: Capræ in plurimas similitudines transfigurantur. Sunt capreæ, sunt rupicapreæ, sunt ibices pernicitatis mirandæ, quanquam onerato capite uastis cornibus, lateq; uagis. Ibix in hæc se librat, ut tormento aliquo rotatus in petras, potißimum è monte aliquo in alium transilire quærens, atq; recussu pernicius quo libuit, exultat. Sunt & origes, soli quibusdam dicti contrario pilo uestiri & ad caput uerso. Sunt & damæ & pygargi & sterpsicerotes, multaq; alia haud dißimilia. Sed illa alpes, hæc transmarini situs mittunt. Caro caprearum boni & plurimi alimenti est, authore Celso. Sanguinem tamen atræ bili confinem generat.

Amulum iam bulliet.) Lege, amylas cum iam bullijt.

IN CAPVT IIII.

IN oui fero.) Vtitur dictione ouis in masculino genere, ueteres imitatus: quibus, ut Perottus testatur, ouis masculino genere proferebatur. Feros autem oues esse, quid mirum? cum in omnibus animalibus, ut lib. 8. inquit Plinius, cuiuscunq; generis ullum est placidum, eiusdem inuenitur & ferum, utpote cum hominum etiam syluestrium tot genera sint. Primumq; è feris pecudibus, ut Rusticanarũ rerum lib. 2. testatur Varro, ab hominibus comprehensæ & mansuefactæ sunt oues. Verum ouium ferorum caro non insalubris habetur & domestica melior, ut quæ minus humecta sit & temperamento magis accedat.

Rutam, ligusticum &c.) Lege omnia in gignendi casu usq; ad dictionem scrupulos.

IN CAPVT V.

IN bubula.) Scilicet carne. Quæ, ut lib. 2. de ratione uictus testatur Hippocrates, ualida est, sistitq; & difficulter concoquitur, quoniam crassi & multi sanguinis est hoc animal, caroq; & sanguis & lac graue est. Quorum lac tenue est, sic & sanguis & caro. Celsus ex domesticis animalibus bubulam plurimi alimenti & stomacho aptißimam esse dicit, & inter ea connumerat quæ minime intus corrumpantur. Paulus Aegineta ait: Bubula caro atram bilem gignit.

Vitellina.) Scilicet carne, quæ & uitulina dicitur. Quæ laudabilior est bubula, & maior in cibum admittitur, ceu temperato quasi alimento prædita, unde non immerito in lautorum etiam mensas crebrius admittitur.

Ciclaneis, uel ut aliud exemplar habet, cidoneis.) Le=

gendum puto, succidaneis, id est, sectiuis, à succidēdo sic dictis: eo quod frondes illi supra terram eminentes secando auferri soleant.

IN CAPVT VI.

IN hædo uel agno.) Carne hædina uel agnina, de quibus Hippocrates ita decernit. Caro agnina leuior est quàm ouium caro: hædinaq; quàm capellarum, quoniam sanguinis minus, & plus humoris habent. Nam animalia quæ suapte natura sicca & ualida sunt, cum tenera sunt, mouent: cum adoleuerunt, non æque, uituliq; boum similiter. In summa, ut Paulus Aegineta scribit, recentiora omnia ueteribus humidiora, molliora & coctu faciliora sunt. Similiter castrata, ijs quibus integri testiculi sunt, atq; corpulenta gracilibus. Cæterum inter domesticas carnes nulla potior hædina, ut quæ parum recrementi habeat in se, & facile concoquitur, beneq; alit, & sanguinem creat laudabilem. Suntq; lactentes hædi esui optimi & laute uiuentibus idonei. Agnina uero caro multum humecta est & calida & in bonitate post hædinam. Ex hijs cum petiolis totum caput aliquanto quàm cætera membra leuiora sunt: adeo ut in media materia poni poßint, authore Celso.

Copadia hædina siue agnina pipere liquamine coques cum faseolis faratarijs liquamine piper lasere cum imbrato buccellas panis oleo modico.) Hunc locum deprauatum & mutilum, ita emendate legendum puto. Copadia hædina siue agnina, pipere, liquamine, coques cum phaseolis paratarijs: suffundes liquamen, piper, laser, cuminum tritum, buccellas panis & oleum modice. Phaseolos autem paratarios intelligo, qui umbræ conciliandæ sunt parati. Nam propinquis fruticibus, ut li. 2. sub hortensis smilacis nomine testatur Dioscorides, tanto undiq; incremento se implicant, ut scenas etiam & tentoria inumbrent.

Excaldatam.) Vocat excaldatam carnem elixam & coctam calidam, sicut ueteres aquam dicebant caldam pro calida.

A crudo tritura mortario.) Legendum puto, Agnina cruda trituram in mortario.

Syringladus id est mammocestis.) Lege, Syringatus, à fistula quæ σύριγξ Græce dicitur. Quæ uero sequuntur uerba interpretatiua expungenda censemus.

Agilla.) Legendum, à gula, id est, à gutture uel ceruice.

Defrictum modice.) Legendum, defrutum modice. Et sic sæpius in sequentibus hæc dictio corrupta, castiganda est.

Vndas.

Vndas.) *Id est, ebullitiones & feruores exundantes.*

Tatarpeianum.) *Legendum, Tarpeianum, ab hijs qui Tarpeium montem incolebant, qui & rupes Tarpeia dictus est, in quo erat superbum illud Capitolium.*

Hædo laurum.) *Lege, hædus laureatus.*

Hac impensa intestina reples.) *Hæc uerba ex uetusto exemplari adscripsimus.*

Giro.) *Legendum puto, Zirbo, id est, omento.*

Ad media cora.) *Legendum, ad mediam cocturam.*

In fricto.) *Legendum, in defruti.*

IN CAPVT VII.

IN porcello.) *carne porcellina. Porcellus est paruus porcus & è domestico fere genere. Qui non modo apud ueteres, sed & nostro quoq; æuo sæpiuscule solidus assatur & mensis infertur. Horum caro, testante Hippocrate, quàm suum grauior est. Nam cum hoc animal suapte natura carnosum sit, & exangue, humiditasq; dum recens est, superet, cum meatus nutrimentum superueniens non suscipiunt, intus remanens calefacit uentriculum & perturbat. De suilla uero Celsus ait, Inter domesticas quadrupedes, leuißima suilla est, & ex eodem sue ungulæ, rostrum, aures, cerebellum aliquanto quàm cætera membra leuiora sunt, adeo ut in media materia poni poßint: & eadem cum trunculis uuluisq; inter res lenes, boni succi & stomacho idoneis numerat. Item Paulus Aegineta, Ex quadrupedibus, inquit, suillæ carnes omnium aliorum eduliorum ualentißimi sunt generis, quippe quæ & sapore & odore familiarem quandam proprietatem ad humana corpora referunt: ut à nonnullis qui imprudentes, carnes humanas degustauerunt, deprehensum est, alimentum uero quod ex ipsis contrahitur, & glutinosum est, & haud facile dißipatur.*

Farsilem duobus generibus.) *Hoc est, qui bifariam & duobus modis atq; locis farcitur: Scilicet sub cute & in uentre, sicuti & pulli nostro æuo farciri solent.*

Auiarij.) *Lege, auicularij. Auicularius dicitur qui auiario, id est, loco in quo aues domi educantur, præest.*

Rostro uesicæ.) *Collo uesicæ. Rostrum proprie de auibus dicitur, & aliquando de alijs etiam animalibus & ipso homine. Vesica uero receptaculum est & folliculus in quo lotium continetur, cuius collum & ceruicem fistulamue per quam urina redditur, rostrum uocat.*

Charta.) *Hoc est pergameno & membrana, cooperimentoq́; aliquo.*

Infiblabis.) *Fibulare & infibulare est cingere, circundare & ligare, à fibula quæ cinguli ad uestem subligandam ornamentum est, & diffibulare, discingere & fibulam resoluere. In alio tamen significato accipitur à Celso li. 7.*

Ius de suo sibi fuerit aucellas.) *Legendum, Ius de suo sibi, ferueat, cum ferbuerit, auicellas. Quæ deinde post dictionem porcellum usq; ad eam quæ est salem, sequuntur uerba, ex uetusto exemplari adscripsimus.*

Vtriculum.) *Id est, uentriculum, qualiter fortaßis etiam legendum est, & pro, ita ut, ita ne.*

Manere.) *Legendum, manare, id est, fluere.*

Calidum iure frigidum crudo Apiciano.) *Lege, calidum siue frigidum iure crudo Apiciano. Et in eiusdem condimenti fine pro liquamen, lege liquamine: quæ uero sequuntur uerba, porcellum elixum &c. ex uetusto exemplari adscripsimus.*

Flaccianus.) *A Flacco sic dictus.*

Laureatus.) *Hoc est, lauro conditus.*

Frontonianus.) *A Frontone sic appellatus. Nisi ut in uetusto exemplari legitur: Frontinianus à Frontino quopiam.*

Oenococtum.) *Legendum puto, Oenogaratus, ut paulo ante ubi huc se refert.*

Celsinianus.) *A Celsinio quopiam sic dictus.*

In acetabulum.) *Acetabulum hoc loco pro uase accipitur, quod Græci ὀξύβαφον uocant, quo ueteres aceto pleno ad intinctus utebantur, & nomen ab aceto habet, cuius forma orbicularis erat, profunda & sine marginis latitudine. Accipitur etiam pro liquidorum mensura ceu in præcedentibus habitum est.*

Hortulanus.) *Hoc est, oleribus fartus.*

Iuris.) *Lego, utris, id est, uentris.*

Fabriles bulbi.) *Fabriles bulbos uocat qui ad maris littora nascuntur & uestibus texendis usum præbent. Nam ut li. 8. de plantis Theophrastus tradit: Inueniuntur bulbi littorales in quibus intra primas tunicas lanæ sint inter id quod manditur & extimam tunicam mediæ: & uera & præsenti natura lanæ ut uestes ex ea texantur, uocariq́; ob id lanosum bulbum: non quemadmodum in India nascentem capillatum nominant.*

Careotam.) *Lege, caræum, & id semper ubi inter liquores ponitur hæc dictio.*

IN CAPVT VIII.

IN lepore.) *Carne leporina, quæ in cibis non paruæ laudis est habita, ut Martialis distichon testatur: Inter aues turdus, si quis me iudice certet, Inter quadrupedes gloria prima lepus. Leporum tria genera ferè sunt, ut tradit Varro li. de Re rustica 3. Vnum pedibus primis humilibus, posterioribus altis, superiore parte pulla, uentre albo, auribus longis. Qui lepus dicitur cum prægnans sit, tamen concipere. Alterius generis est quod nascitur in alpibus, qui hoc ferè mutant, quod toti candidi sunt. Tertij generis est quod in Hispania nascitur, similis lepori ex quadam parte, sed humile, quem cuniculum appellant. Lucius Aelius putabat ab eo dictum leporem à celeritudine, quod leuipes esset. Ego arbitror à Græco uocabulo antiquo, quod eum Aeoles Bœotij leporem appellabant. Cuniculi dicti ab eo, quod sub terra cuniculos ipsi facere soleant, ubi lateant in agris. Martialis, Gaudet in effoßis habitare cuniculus antris, Monstrauit tacitas hostibus ille uias. De leporibus plura Plinius li. 8. Leporum caro craßi succi est, sed in hoc à bobus & ouibus uincitur, authore Paulo Aegineta. Verum quæ cuniculorum est, melius & facilius alit. Hippocrates ait: Caro leporina siccat, sistitq;, sed lotium mouet. Celsus leporem in media materia numerari debere dicit & bonu succi esse, aluum adstringere, & urinam mouere.*

Ac coquendus oleo.) *Lege, ac coquitur oleo.*

Siue glandes.) *Legendum, iuglandes.*

Globum extra.) *Legendum, globum ex ea, scilicet tritura & conditura.*

Et pulmonibus leporinis minuta.) *Legendum, minutal, quod quid sit dictum est in præcedentibus.*

Lacinias.) *Vocat lacinias omenti fimbrias & extremitates.*

Et charta & surclas.) *Lege ut supra, Et charta colliges lacinias & surclas.*

Ius cum coloratum super uatillum.) *Legendum, ius, cum coloratur superfundes in patellam.*

Tollat.) *Id est, sustollat, absumat & combibat.*

Porro cum capillo suo.) *Intelligit capillamenta & fila quæ in porro ceu capilli nascuntur: & à Martiali in utroq; hijs distichis describuntur, quorum de sectiuo est hoc, Fila Tarentini grauiter redolentia porri Edisti quoties, oscula clausa dato. De capitato uero alterum hoc, Mittit præcipuos nemoralis Aritia porros, In niueo uirides stipite cerne comas.*

Cepe rotundum.) *Quod minore est acrimonia, & optimum quod rotundißimum, ait Plinius.*

IN CAPVT IX.

GLires.) *Hos olim saginare consuetos ueteres, testis est Rei rusticæ li. 3. Varro, ubi ait: Hi saginantur in dolijs, quæ etiam in uillis habent multi, quæ figuli faciunt multo aliter, atq; alia, quod in lateribus eorum semitas faciunt, & cauum, ubi cibum cõstituant. In hoc dolium addunt glandem, aut nuces iuglandes, aut castaneam. Quibus in tenebris, cum cumulatim positũ est in dolijs, fiunt pingues. Porrò mensis illatos colligitur ex Plinio li. 8. c. 57. cũ ait: Glires censoriæ leges, princepsq; M. Scaurus in consulatu non alio modo cœnis ademere quàm conchylia aut ex alio orbe conuectas aues. Semiferũ & ipsum animal, cui uiuaria in dolijs idem qui apris instituit. Glires somno pinguescunt per hyemem uehementer, authore Aristotele. Vnde Martialis est distichon hoc: Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.*

Isicio porcino.) *Scilicet farcies.*

Trito.) *Lege, tritis.*

ANNOTATIONES IN NONVM LIBRVM APICII CAElij Gabriele Humelbergio Medico authore.

THalassa, *id est, θαλάσσα, mare. Quo nomine insignitus est hic liber, eo quod in ipso de piscibus marinis & salsis condiendis & præparandis doctrina contineatur.*

IN CAPVT I.

IN locusta.) *Scilicet marina, quæ Græce Carabus dicitur. Est autem in piscium sanguine carentium & crustatorum cancrarioq; genere maxima, astaco siue (ut Theophrastus uertit) cammaro similis. Aristoteles lib. 4. de historia, Crusta intectorum, inquit, genus primum carabos: cui proximum genus alterum quem astacon uocant. Differt is à carabo, hoc est, locusta brachijs quæ denticulatis forcipibus protendit: atq; etiam quibusdam alijs discriminibus quanquam non multis. Sunt autem crustata ut cammari, paguri, cancri, locustæ, squillæ, omnia mensis conuenientia, authore Paulo*

Aegineta, sed coctu difficilia: ac si sæpe in aqua dulci elixentur aluum adstringunt.

Et cappari.) Legendū puto, & carabo, ut coniunctio illa, Et, expositiue accipiatur: Latinam dictionem tanquam minus notam, per Græcam suo tempore notiorem aut usitatiorem interpretans & declarans, sicut supra quoq; facit li. 2. ubi ait: Isicia fiunt marina de cammaris & astacis.

Induta.) Hoc est, crusta sua non exempta, sed adhuc intecta.

Elixuris.) Lego, elixaturis.

Quousq; assantur. Locusta elixa cum cuminato bene inferes: piper &c.) Legendum, quousq; assantur bene, & inferes. In locusta elixa cum cuminato. Teres piper &c.

Folium noci.) Lego, folium nardi, de quo dictum est li. 1.

Vuam.) Hoc est, oua: quæ si non discreta aspiciantur tantum, tota tanquam compositum quiddam & quasi species uuæ apparent.

IN CAPVT II.

IN torpedine.) Torpedo piscis est inter chartilagineos planos numeratus, & à Græcis narce appellatur: nomenq; indepta est quod tum attactu suo tum etiam procul & è longinquo torporem ingerat. Vnde Plinius li. 9. ait: Nouit torpedo uim suam ipsa non torpens, mersaq; in limo se occultat, pisces qui securi natantes obtorpuere, corripiens. Huius iecori teneritas nulla præfertur. Et li. 32. idem inquit, Ex eodem mari torpedo etiam procul & è longinquo, uel si hasta uirgáue attingatur, quamuis præualidos lacertos torpescere, quamlibetq; ad cursum ueloces alligari pedes proditur. Aristoteles item de natura animalium li. 9. ait: Torpedo pisces quos appetit afficit ea ipsa quam suo in corpore continet facultate torpendi, atq; ita retardos præ stupore capit & uescitur: abdit se in harena & limo, tunc pisces qui adnatantes obtorpuerint, corripit: quam rem pleriq; conspectam à se retulerunt. Aluum mollit in cibo, authore Plinio. Difficilis concoctionis est: partes tamen quæ circa caput sunt, molles habet & stomacho conuenientes, quæ & bene concoquuntur. Paruæ meliores sunt & præcipue simpliciter elixatæ, authore Diphilo.

IN CAPVT III.

IN loligine.) Loligo è mollium genere piscis est, sepiæ similis, uerum oblongior & angustior, pedibus octonis breuioribus ijs quàm sunt polypi, intus per dorsum & corporis prona procurrente gladiolo cartilagineo.

Sed de hac plura libro secundo.

IN CAPVT IIII.

IN sepijs.) Sepia inter pisces sanguine carentes habetur, de qua dictum est li. 2. Humorem continet intra se, quem atramentum uocant & sepium, quo aquam infuscat & turbat effuso, ut se abscondat. Aristoteles li. 4. de historia: Viscera, inquit, mollium nullis, sed habent quam mutem appellant: atrumq; illum humorem cui nomen atramentum, quod plurimum in sepia est: effundunt suum id atramentum omnia metu perculsa, sed præcipue sepia. Et lib. 9. de historia idem ait: Mollium astutißima sepia est. Sola hæc suo utitur atramento, non modo cum metuit, uerum etiam abscondendi causa. Polypus atq; loligo atramentum præ metu mittunt, sed accrescit denuo postquam miserunt, ut nunquam copia desit atramenti. Quod authore Celso aluum mouet.

Condimenta coctiua.) Condimentum coctiuum dicitur, quod cito & breui ebullitione coquitur: sicut olus coctiuum & legumen, ratione eadem.

Sic facies eam.) Lege, Sic farcies eam.

Et sicco sues.) Lege, & sic consues.

Ab alieno.) Lege, amylo.

IN CAPVT V.

IN polypo.) Polypus piscis est ex mollium genere, sic dictus à pedum multitudine, quasi multipes. Polyporum multa genera, ut li. 9. tradit Plinius: Terreni maiores quàm pelagij, & omnes brachijs ut pedibus ac manibus utuntur. Per quæ uelut acetabulis dispersis eo hausto quodam modo cui adhærescunt, tenent supini, ut auelli non queant. Vada non apprehendunt, & grandibus minor tenacitas. Soli mollium in siccum exeunt duntaxat asperum: leuitatem odere. Vescuntur conchyliorum carne: quorum conchas complexu crinium frangunt: itaq; præiacentibus testis cubile eorum deprehenditur. Et cũ alioqui brutũ habeatur animal, ut quod ad manum hominis adnatat, in re quodammodo familiari callet. Omnia in domum comportat, deinde putamina rosa carne egerit, annatantesq; pisciculos ad ea uenatur. Colorem mutat ad similitudinem loci, & maxime in metu. Ipsum brachia sua rodere, falsa opinio est: id enim à congris euenit ei. Sed renasci sicut colotis & lacertis caudam, haud falsum. Hæc ille. Polypus multi alimenti est, durus tamen est & difficilis concoctionis. Elixus humectat aluum, habetq;

humorem

humorem quodam modo salsum, crediturq; libidinem maxime irritare, authore Paulo Aegineta & Galeno, quoniam spiritus multos generat. Praestantq; cum grauida sunt mollia, ut loligines, sepiæ & polypi.

IN CAPVT VI.

IN ostreis.) Ostrea sunt è concharum genere, quæ testam asperam scabramq; habent, & carnem omnium aliorum testatorũ nobilissimam, authore Galeno. Nobiliora quæ locis capiuntur quibus dulcis admiscetur aqua, apud lautos & libidinosos in precio sunt & inter lautissimos recepta cibos, ut quibus palma mensarum diu iam tribuatur: ceu li. 32. inquit Plinius. Gaudent dulcibus aquis & ubi plurimi influunt amnes, ideo pelagia parua & rara sunt. Grandescunt syderis quidem ratione maxime: sed priuatim circa initia æstatis multo lacte prægnantia, atq; ubi sol penetret in uada. Hæc uidetur causa quare minora in alijs locis reperiuntur. Opacitas enim prohibet incrementum, & tristitia minus appetunt cibos. Præcipua uero habentur in quacunq; gente spissa nec saliua sua lubrica. Crassitudine potius spectanda quàm latitudine. Neq; in luto capta, neq; in harenosis: sed solido uado, spondylo breui atq; non carnoso, nec fibris laciniosо, ac tota in aluo. Addunt peritiores notam ambiente purpureo crine fibras: eoq; argumento generosa interpretantur calliblephara parata appellantes. Gaudent & peregrinatione, transferriq; in ignotas aquas. Sic brundusina in auerno compasta & suum retinere succum: & à Lucrino adoptare creduntur. Hæc sint dicta de corpore. Dicemus & de nationibus, ne fraudentur gloria sua littora. Sed dicemus aliena lingua, quæq;: peritissima huius cẽsura in nostro æuo fuit. Sunt ergo Mutiani uerba quæ subijciam. Cyzizena maiora Lucrinis, dulciora britãnicis, suauiora edulis, acriora lepticis, pleniora Lucensibus, siciora coryphatenis, teneriora istricis, candidiora circeiensibus. Sed ijs neq; dulciora, neq; teneriora esse ulla compertum est. Stomachum unice reficiunt. Fastidijs medentur, & aluum molliunt leniter. Hæc Plinius. Celsus stomacho idoneas & aluum mouere dicit, quod & Paulus Aegineta testatur.

IN CAPVT VII.

IN omne genus conchyliorum.) Conchyliũ nunc generale nomen est ad oẽs conchas à quibus nomẽ accepit, & sic etiã accipit Pli. li. 2. c. 101. cũ ait: Quo uera cõiectatio existit haud frustra spiritũ sydus lunare existimari, et hoc esse qđ terras saturet, accedẽsq; corpora impleat, abscedẽsq; inaniat, ideo cũ incremento eius augeri cõchylia, et spiritũ sentire qui

bus sanguis non sit. Et li. 9. ait: Lingua purpuræ longitudine digitali, qua pascitur perforando reliqua conchylia. Per excellentiam tamen conchylium aliquando de murice dicitur: unde uestis tincta murice conchyliata uocatur. Cæterum conchyliorum numerosa est differentia, tum testæ, tum carnis interioris ratione. Alijs enim in eo genere nulla est caro ut echinis: alijs est, sed penitius inclusa, nec usquam conspecta excepto capite ut terrestrium limacibus, & aquatilium purpuris, buccinis, cochleis & reliquis turbinatis. Cætera aut gemina continentur testa, aut singulari clauduntur. Sunt item quibus altera pars superficiei detecta carnem ostendit ut patellæ quæ duplici testa continentur: pars clusilis est ut pectunculi & mituli Eiusmodi nanq; omnia parte altera ligata, altera soluta constant, ut & concludi poßint & aperiri. Alia binis quidem conclusa testis sunt, uerum utroq; latere connexa, ut ungues siue digiti. Non desunt quæ testa tota occultentur ut nulla ex parte carnem detectam habeant, ut quæ uertibula siue tubera & callos appellamus. Ipsarum etiam testarum magna ludentis naturæ uarietas, quam fusius prosequitur li. 9. Plinius. Conchylia omnia lunæ incremento aut decremento, augescunt aut minuuntur. Vnde Plinius li. 2. ca. 42. Iam quidem lunari potestate ostrearum, conchyliorumq; & concharum omnium corpora augeri & rursus minui. Et Palladius in Decembri mense ait: Luna omnium clausorum maris animalium atq; concharum iubet incremento suo membra turgere. Mouent aluum omnes ferè conchulæ, maximeq; ius earum, authore Celso & Hippocrate.

IN CAPVT VIII.

IN echino.) Echinus inter uarias significationes suas significat etiam animal marinum & piscem è testaceorum genere, ericius uulgo dictus: forma orbicularis, spinis circumuallatus quibus pro pedibus utitur in orbem sese uoluendo, nec aliter ingreditur. Caro illi intus nulla, idq; illi peculiare, sed nigra quædam in omnibus uice carnis spectantur. Meminit echini huius Martialis hoc disticho: Iste licet digitos testudine pungat acuta, Cortice deposito mollis echinus erit. Verum de echinis, quorum etiam non unum genus est, authore li. 4. de historia Aristotele: Plinius lib. 9. ubi de sanguine carentibus agit piscibus, ait: Ex eodem genere sunt echini, quibus spinæ pro pedibus. Ingredi est his in orbem uolui: itaq; detritis sæpe aculeis inueniuntur. Ex hijs echinometræ appellantur, quorum spinæ longißimæ, calices minimi. Nec omnibus idem uitreus color. Circa toronem candidi nascuntur, spina parua. Oua omnium amara, quina numero. Ora in medio corpore in terram

uersa.

uersa. Tradunt sæuitiam maris præsagire eos, correptisq; operiri lapillis, mobilitatemq; pondere stabilientes nolunt uolutatione spinas atterere. Quod ubi uidere nautici, statim pluribus anchoris nauigia infrenant. Echinus marinus stomacho accommodatus est: idemq; bonam facit aluum, ciendæ urinæ utilis, authore Dioscoride. Celsus quoq; aluum mouere testatur. Et Plinius li. 32. ait: Echini ad calculos in cibis proficiunt.

Vinum dulce.) Vinum dulce quale sit aut fiat, docet nos Columella lib. 12. cap. 27. ubi ait: Vinum dulce sic facere oportet. Vuas legito, in sole per triduum expandito, quarto die meridiano tempore calidas uuas proculcato, mustum lixiuium (hoc est, antequam prælo pressum sit, quod in lacum musti fluxerit) tollito, cum deferbuerit in sextarios quinquaginta irim bene pinsitam nec plus unciæ pondere addito, uinum à fecibus eliquatum diffundito. Hoc uinum erit suaue, firmum, corpori salubre. Et hoc paßi genus est, & in eorum censu, à Græcis protropū etiam uocatum. Dulcedinis nomine accepto ob egregiam saporis eius qualitatem. Sunt autem plura & uaria paßi genera, ceu à Plinio traditur li. 14. ca. 9.

Ter buliat.) Lege, iterum bulliat.

Piper tostum modice.) Legendum puto, piper, costum modice. De costo autem dictum est li. 1.

In aqua calida coques, leuas, in patella compones.) Hæc ex uetusto exemplari adscripsimus.

Echinus salis.) Legendum, Echinus salsus. Dein mox pro aptabunt, legendum apparebunt.

IN CAPVT IX.

IN merulis.) Merula piscis est inter saxatiles laudata, turdo simillima, nisi quod merula nigrior est: mutant ambo colorem, ceu de historia animalium li. 8. tradit Aristoteles. Galenus de Alimentorum facultate lib. 3. Optimus, inquit, inter saxatiles delectationis gratia scarus esse creditur: post ipsum autem merulæ & turdi. Et Celsus ait: Saxatiles omnes leuiores sunt & aluum mouent.

IN CAPVT X.

IN Sarda.) Sarda piscis est qui Græce trichias dicitur, bis anno pariens. Plinius li. 32. Pelamides longas ex Oceano uenientes esse dicit. Eius uerba sunt hæc. Sarda, ita uocatur pelamis longa ex Oceano ueniens. Oritur autem sarda ex sardinis quæ trichiades, hæ uero ex membradis. Aristo-

teles de Historia lib. 6. ait: Quem uero phalericam uocant, membradas gignit, ex quibus sardinæ, ex sardinis sardæ oriuntur.

Cordula.) Qui piscis sit cordula, docet nos Aristoteles li. de Historia animalium tertio cum ait: Cum Thunni in Ponto pepererint, prodeunt ex ouo, quas alij Cordylas uocant, Bizantij auxumas nominant, quia diebus paucis adolescunt, quæ exeunt Ponto autumno fœtus comitantes, eodem autem redeunt uerno tempore, iam adeptæ eam magnitudinem qua limariæ nomen accipiant. Et Plinius lib. 9. Thynni, ait, intrant è magno mari Pontum uerno tempore gregatim, nec alibi fœtificant. Cordula appellatur partus, qui fœtas redeūtes in mare autumno comitatur. Limosæ uero à luto pelamides incipiunt uocari, & cum annuum excessere tempus Thynni. Et lib. 32. idem ait: Cordula, & hæc pelamis pusilla cum in Pontum è mœotide exit, hoc nomen habet.

Teritur pulegium cum piperis.) Legendum puto, teritur pulegium, cuminum, piperis.

Operculo.) Hoc est, testu, de quo dictum est in præcedentibus.

Allego.) Legendum, alece.

In uasculo.) Ceu lance seu alio simili.

Piper, ligusticum, mentham aridam &c. usq; ad id, ius in cordula assa.) Hæc omnia ex uetusto exemplari adscripsimus.

IN CAPVT XI.

In mugile.) Mugil qui uulgo Cephalus, Græce Cestreus appellatur, piscis est littoralis, satis magnus, & candidus, omniumq; inter squammatos uelocißimus: cuius natura, ut li. 9. inquit Plinius, ridetur, in metu capite abscondito totum se occultari credentis: cuius rei & Aristoteles octauo de Historia animalium meminit dicens, Gulosus omnium maxime mugilis est atq; insatiabilis: quo circa, uentre distento grauescit, & nisi ieiunus sit hæret iners. Cum hic metuerit, caput abscondit, quasi corpus totum occultet. Nec ingenio caret. Nam, ut lib. 32. refert Plinius, scit mugil esse in esca hamum, insidiasq; non ignorat, auiditas tamen tanta est, ut cauda uerberando excutiat cibos. Mugilum genera plura sunt. Chelones, quos Theodorus Labeones uertit, cæteris bonitate inferiores. Sargones. Mizones siue mixones quos idem mucones interpretatur, & à Plinio li. 32. ca. 4. banchi appellantur, cum ait: item banchi quem quidam myxona uocant. Cephali siue capitones, mugilum generis maximi, & uulgo etiam à capitis magnitudine & grauitate capitelli dicti, gustu præ cæteris laudati, authore Hicesio, à quo

mugiles

mugiles omnes tanquam à digniori nomine ſumpto appellatur Cephali.

Calua.) Hic & alijs locis legendum puto, Saluia. Eſt autem ſaluia herba nota, ex qua etiam uinum conficitur quod ſaluiatum uocatur, hoc modo ut docet Dioſcorides: In muſti amphoram ſaluiæ demittito drachmas octo. Facit ad renum, ueſicæq́; & lateris dolores, ſanguinis excreationes, tuſsim, rupta, conuulſa, contuſaq́; & ſuppreſſos menſes.

IN CAPVT XII.

Siluro.) Silurus piſcis in fluminibus priuatimq́; in Nilo Thynnos in mari præcipua magnitudine æquans. Hunc quidam ſturionem eſſe putarunt, ſed falſo. Silurus enim maleficus & dentatus eſt, cum ſturio neq; maleficus neq; dentatus ſit. Plinius lib. 9. ait: Silurus graſſatur ubicunq; eſt omne animal appetens, equos innatantes ſæpe demergens præcipue in Mœno Germaniæ amne prope Liſboum. In cibo aluum mollit ſilurus é iure, eodem Plinio authore li. 32. Et li. 2. Dioſcorides ait: Nutrit & bonam facit aluum recentis ſiluri cibus. Salſi contra non ſentitur cibus, fauces tamen expurgat & ad uocem expurgat. Item cum cæteri omnes mares ſuis fœminis ſint præſtantiores, Silurus fœmina præſtat ſuo mari.

Pelapide.) Legendum, Pelamide. Pelamidum genera plura. Plinius lib. 32. Pelamis, ait, earum generis maxima apolectos uocatur, durior tritone. Cibium uocatur conciſa pelamis, quæ poſt quadraginta dies à Ponto in mœotin reuertitur. Cordula pelamis puſilla cũ in Pontum è mœotide exit. Orcinos pelamidum generis maximus, neq; redit in mœotin, ſimilis Tritoni, uetuſtate melior. Triton pelamidum generis magnus, ex eo uræa cibia fiunt. Eſt autem uræon, ſalſamentum caudæ proximum, authore Athenæo. Cæterum pelamis eſt multi alimenti & grauis: ſed urinam cit, & difficulter concoquitur. Sale condita facilis aluo & attenuat.

Thynno.) Thynni pelamidum generis eſſe uidentur. Nam ut Ariſtoteles li. 6. de Hiſtoria animalium ait: Limarijs Thunni prouectiores ætate, annuo eſſe putantur uno. Et Plinius li. 9. Pelamides, inquit, cum annuum exceſſere tempus Thynni uocantur. Hi membratim ceſi ceruice & abdomine commendantur, atq; clidio recenti duntaxat, & tum quoq; graui ructu, cætera parte plenis pulpamentis ſale aſſeruantur. Melandria uocatur ceſis quernis aſſulis ſimillima. Viliſsima ex hijs quæ caude proxima, quia pingui carent: probatiſsima ea quæ faucibus. Vbi ſciendum eſt Clidium uocari inter thynni partes iugulum ſiue partem eam quæ pectus à ceruice diſcriminat. E Thynno ſalſamenta fiunt, & hæc duum generũ, ut tradit Athenæus:

Horea & thunnina. Horea quæ à tempestiuitate uidentur nuncupata: ex pelamide, id est, limosa minore fiunt, in quibus macra pinguibus præferuntur. Thunnina ex maioribus quas aliqui synodontidas appellant: in quibus pinguia macris præferuntur. Quæ autem cibia dicuntur, inter macra ut inter pinguia cordyle. Est item thynnorum generis qui uocatur Pompilus, sic dictus, ut uolunt, quod naues è pelago ad portum usq; cũ pompa deducere soleat. Plinius, Thunni sæpe nauigia uelis euntia comitantes mira quadam dulcedine per aliquot horarum spatia & passuum millia à gubernaculis non separantur, ne tridente quidem in eos sæpius iacta territi. Quidam eos Pompilos uocant. Nautæ piscem sacrum appellant. Thunni in cibo graues sunt & multi alimenti. Damnantur in cibo cum utero ferunt, authore Aristotele li. de historia 9.

IN CAPVT XIII.

IN mullo taricho.) Id est, mullo salso. Mullus piscis est magnitudine modica, gemina barba in inferiori labro insignitus, à qua uulgo barbonem, & M. Varro Rei rusticæ lib. ultimo ad finem, barbatum mullum, & Græci geneatida, quod uero ter pariat in anno Triglen uocant. Olim etiam in precio habitus. De quo Plinius lib. 9. sic scribit, Ex reliqua nobilitate, & gratia maxima est & copia mullis: sicut magnitudo modica: binasq; libras ponderis raro admodum exuperant. Alga uescuntur & ostreis & limo & aliorum piscium carne: & barba gemina insigniuntur inferiori labro. Lutarium ex his uilißimi generis appellant. Hunc semper comitatur sargus nomine alius piscis & cœnum fodiente eo excitatum deuorat pabulum. Nomen his Fenestella à colore mulleorum calciamentorum datum putat. Pariunt ter anno. His certe toties fœtura apparet. Mullum expirantem uersicolori quadam & numerosa uarietate spectari proceres gulæ narrant, rubentium squammarum multiplici mutatione pallescentem: utiq; si uitro spectetur inclusus. M. Apicius ad omnem luxum ingenio mirus in sociorum garo (nam ea quoq; res cognomen inuenit) necari eos præcellens putauit, atq; è iecore eorum alecem excogitare prouocauit. Vnde li. 31. ca. 8. idem Plinius ait: Sic alex peruenit ad ostreas, echinos, urticas, cammaros, mullorum iocinora. Vnde hunc gulosorum luxum taxans li. 3. quæstionum Seneca ait: Parum recens mullus nisi qui in conuiuio manu moritur. Vitreis ollis inclusi offeruntur, & obseruatur morientium color, quem in multas mutationes morte luctante spiritus uertit, alios necant in garo & condunt uiuos: ad hoc fastidiũ peruenere uentres delicatorum, ut gustare non poßint piscem, nisi quem in

ipso

ipso conuiuio natantem palpitantemq; uiderint: ad mortem mulli concurritur: nihil mullo moriente formosius: non sunt ad popinam dentibus & uentre & ore contenti: oculis quoq; gulosi sunt. Mulli sunt leues & boni succi ac medij inter teneros durosq;, authore Celso. Et Paulus Aegineta inquit, Ac in æquore quoq; mullus uersatur, cæteris piscibus & durior & fragilior, coctu facilis, mensis idoneus, prædulcis, pinguedinis expers.

Sine salso.) Lego, in salso, id est, in salsamento.

Formella.) Hoc est, ut Columella lib. 7. de caseo faciendo uocat, forma. Est autem uas ad rei alicuius figuram effigiatum, ut hic ad piscis similitudinem formatum.

Redde fundes.) Lege, redde, liquamen fundes. Quod deinde sequitur salsamentum, ex uetusto exemplari adscriptum est.

Spicam allij.) Spicæ in allio uocantur nuclei, hoc est, diuisiones illæ, quæ singulæ nouam instaurant sobolem consitæ, Marcellus medicus cap. 14. grana uocat, eius uerba sunt hæc. Allij umbilicum quo grana continentur, atq; ubi radices inhærent, cum ipsis radicibus.

IN CAPVT XIIII.

EMbractum baianum.) Legendum puto emphractum, ut intelligatur de opsonio quod rebus inuicem mixtis & coactis obduratisq; ob condensationem quasi fartum & coagulatum appareat. Emphraxis, id est ἔμφραξις nanq; oppilatio, repletio & obduratio est. Baianum autem dictum quod Baijs ita fieri consueuerit.

Sphondylos.) Sphondyli è testaceorum genere pisces sunt, duram habent carnem, mensis tamen non inconueniunt, licet difficilis etiam sint concoctionis, authore Paulo Aegineta. Dicitur etiam sphondilus, callosum illud rotundum albicans, quod intus habent in medio ostreæ, à similitudine sphondyli id est uerticuli instrumenti quo mulieres in filando utuntur. Nam reliqua caro circumsparsa, lacinia dicitur.

Careotam.) Hic & alibi apud Apicium nostrum ubi inter liquores reperitur hæc dictio, pro ea lege, carænum.

ANNOTATIONES IN DECIMVM LIBRVM APICII CAElij Gabriele Humelbergio Medico authore.

HAlieus, id eſt, ἁλιεύς, piſcator. Quo nomine inſcriptus eſt hic decimus & ultimus liber ab Apicio, quod diuerſorum tum marinorum tum fluuiatilium & omnigeneris piſcium conditura contineat. De quorum omnium facultate in cibario uſu Paulus Aegineta ſic prodit. Conſtat omnes piſces, frigidiori humidioriq; temperatura eſſe. At qui ſaxatiles uocantur, cæteris ſunt meliores: quippe coctu faciles ſunt, boni ſucci, atq; modice humectant, niſi dura fuerit eis caro. Non ſaxatilium autem, in pelago degentes, multo diſcrimine differunt ab ijs qui in limo nutriuntur, aut qua flumina irruunt. Sed omnium peßimi qui uel in ſtagnis uel paludibus aluntur.

IN CAPVT I.

DIabotanon.) id eſt, διὰ βοτανῶν, ex herbis & herbaceum, à βοτάνη, quæ herba eſt: διὰ uero per uel ex ſignificat.

Saluas.) Lege, ſalias, hoc eſt, ſale conſperges.

Defrictum) Vbi inter liquores ponitur hæc dictio, pro ea ſemper leges, defrutum: niſi ratio aliter exegerit pro adiecti alicuius neceßitate.

Sartaginem ſemen.) Lege, ſartaginem, coriandri ſemen.

IN CAPVT II.

IN congro.) Conger ſiue congrus, piſcis eſt inter longos & lubricos, id eſt, qui manibus labuntur dum tenentur: anguillæ ſimilis, ad immenſam magnitudinem perueniens. Hic tantum cæteris piſcibus præſtare dicitur, quantum thynnus uilißimis coracinis præfertur. Duræ carnis eſt, authore Galeno. Stomacho tamen conferre teſtatur Miceſius. Inſuauis tamen eſt.

IN CAPVT III.

IN carnuta.) Legendum, in cornuta. Piſcis eſt inter magnos numeratus à Plinio li. 32. & cornua habet. Vnde li. 9. ait: Attollit cornuta è mari ſeſquipedalia ferè cornua, quæ ab his nomen traxit.

IN CAPVT VI.

IN perca.) Perca & marina eſt & fluuiatilis Ariſtoteli: quarum marina inter ſaxatiles habetur & ab Aetio laudatur, percidem eam appellando. Perca noſtro tempore etiam appellatur. Quæ uero fluuiatilis eſt, quadam

dam tenus similis est percæ marinæ, quam modo piscem persecũ nominant, de quo Ausonius ait: Nec te delicias mensarum perca silebo Amnigenos inter pisces dignande marinis. Putamusq; hunc esse quem Germani etiam Persich, alij æglin uocant: non autem trutam quam pherchani siue forlim nominant, ut aliqui putant.

IN CAPVT VII.

RVbellione.) Quos Latini Rubelliones siue rubellos & rubros, Græci erythrinos siue erythricos à colore uocant pisces, pagris similes, authore Athenæo, quanquam minores.

Serpillum.) Serpillum herba est coronaria & odora, à serpendo sic dicta: pulmentarijs rusticis apta, facit ad tormina, iecoris & lienis dolores.

IN CAPVT VIII.

IN murena) Murena piscis est longus & lubricus, similis anguillæ, uarius maculis, luteis & nigris, cui nullæ sunt pinnæ, nec brãchiæ integræ, flexuoso corporis impulsu natans, in sicco quoq; repens more serpentum, dentibus malefica & carniuora. Inuenit in hoc animali, ut li. 9. scribit Plinius, documenta sæuitiæ Vedius Pollio eques Ro. ex amicis Diui Augusti, uiuarijs earum immergens damnata mancipia: non tanquam ad hoc feris terrarum non sufficientibus: sed quia in alio genere totum pariter hominem distrahi spectare non poterat. Ferunt aceti gustu præcipue eas in rabiem agi. Tenuißimum his tergus, contra anguillis craßius, eoq; uerberari solitos tradit Verius prætextatos, & ob id mulctam his dicit non institutam. Optimæ sunt ex hoc genere, quæ à Latinis flutæ, à Græcis plotæ quasi nauigabiles dicuntur, quod in summa aqua fluitantes mergi non poßint. Vnde illud Martialis: Quæ natat in Siculo grandis murena profundo Non ualet exustam mergere sole cutem. Murena in magnis olim delicijs habita, adeo ut Liciniorum familiæ nomen dederit. Vnde Columella lib. 8. cap. 16. ait: Iam celebres erant deliciæ popinales, cum à mari deferrentur uiuaria, quorum studiosißimi, uelut ante deuictarum gentium Numantinus & Isauricus, ita Sergius Orata & Licinius Murena captorum piscium lætabantur uocabulis. Peßimæ habentur quæ circa fluminis hostia degunt, ut inquit Galenus.

Croco magna.) Lege, Crocum magnum, ut de satiuo intelligatur. Nam ut li. 21. ca. 6. testatur Plinius, croci quod radicis bulbo seritur, duplex genus est. Syluestre, & quod latius, maiusq; & nitidius est, satiuũ. E croco

crocinum unguentum fit, cuius expreßi materia crassa & feculenta, crocomagma uocatur, à croco & magmate quod unguenti fex est & recrementum, nomen habens. Dioscorides lib. 1. ca. 26. ait: Fit crocomagma expreßis crocini unguenti aromatis & in pastillos conformatis. Et Plinius libri paulo ante memorati capite 20. inquit. Expresso unguento crocino fit quod crocomagma appellant. Optimum quod odoratißimum & quod gustatum, saliuam, dentes, & linguam ad aliquot horas permanente colore inficit. Croco pares aliquas uires habet: multum enim ex eo in se retinuit.

Ligusticum acetum.) Lege, ligusticum anethum.

Rus siriacum) Legendum, rhun Syriacum. Est autem Rhus frutex cuius semine in opsonijs quondam utebantur, Syriacus cognominatus à regione Syria, ubi adhuc in opsoniorum usu est pro sale inspersus. Arabes & uulgus nunc medicorum Sumach uocant. Latinum enim nomen, ut inquit Plinius, non habet. Olim opsonijs, ut dictum est, & corijs, nunc medicinæ etiam deseruiens. Hunc aliquos erythron, id est, rubentem etiam uocare tradit Dioscorides, aitq; plantæ semen esse quæ coriaria rhus appellatur: nomenq; id inuenisse quod coriarij spissandis corijs eo utuntur. Semen opsonijs inspersum cæliacis & intestinorum torminibus accommodatum. Plinius lib. 24 ait: Eius quæ erythros uocatur semen uim habet adstringendi, refrigerandiq;: aspergitur pro sale opsonijs, omnesq; carnes cum silphio suauiores facit. Et hic rhus est siue rho quo lib. 6 ca. 11. contra oris ulcera utitur Celsus, & sic etiam apud ipsum Græca uoce rhus legendum, contra eos qui Latina uoce ros legunt: qui tamen error ab alijs iam explosus est. Similiter & apud Columellam li. 9. ca. 13. & apud Palladium in Martio mense ca. 15. & Cælium Aurelianum pro roris uocabulo rhus legendum censeo Nam Latina uoce ros Syriacus nihil aliud est quàm Hebræorum manna quæ ab alijs mel aereum & saccharum uocatur, & rhu contrariæ naturæ est, de quo etiam latximus diximus in commentarijs nostris in Serenum.

IN CAPVT IX.

IN lacertos.) Lacertus piscis est, de quo Celsus ait: Piscium eorum qui ex media materia sunt quibus maxime utimur, tamen grauißimi sunt ex quibus salsamenta quoq; fieri possunt, qualis lacertus est. Meminit huius etiam Martialis hoc uersu, Vel duo frusta rogat cibij, tenuemq; lacertum. Item, Cū sexitani ponitur tibi cauda lacerti. Et, tenui maior cordila lacerto.

Zitabis.) Lege, agitabis.

IN CAPVT XI.

In den-

In dentice.) Dentex piſcis eſt qui uulgo dentalis & Græce ſynodontis uocatur, forma auratæ ſimilis, uerum maior, in cibarium uſum receptus: habens dentes ferè exertos, unde & nomen: quibus etiam piſcatores lædere conſueuit.

IN CAPVT XII.

AVrata.) Quæ & orata ab auri quod oron uulgus dicebat, colore nomen adepta eſt, à quo etiam Græci chryſophryn appellarunt, quoniam aureũ ſupercilium gerat, ut in auratis ſemoribus apparet. Piſcis eſt, in cibis etiam cõmendatus ſapore, & è Lucrino lacu cõcham depaſtus præ cæteris laudatior nobiliorq́;. Vnde in Xenijs Martialis ait: Non omnis laudem preciumq́; aurata meretur: Sed cui ſolus erit concha Lucrina cibus. Qui etſi tenerior, durus tamen eſt, authore Celſo. Hic Sergio Oratæ nomen dedit.

IN CAPVT XIII.

SCorpione.) Scorpio piſcis eſt marinus à ſimilitudine ſcorpionis terreſtris ſic dictus. Hic dum manu tollitur lædit ut erythrinus, echeneis & echinus, ceu Plinius li. 32. ait.

IN CAPVT XIIII.

ANguilla.) Quæ piſcis eſt longus & lubricus, duas pinnas prope branchias gerens, cui fel in iecore ineſt, exiguaq́; gula, quo in genere neq; mas neq; fœmina eſt, neq; prolem ex ſe aliquam procreat. Sed certe ex hijs naſcuntur quæ terræ inteſtina uocantur. Octonis, ut lib. 9. tradit Plinius, uiuunt annis. Durant & ſine aqua ſenis diebus aquilone ſpirante, auſtro paucioribus. At hyemem eædem in exigua aqua non tolerant, nec in turbida. Ideoq́; circa Vergilias maxime capiuntur, fluminibus tum præcipue turbidis. Paſcuntur noctibus. Exanimes piſciũ ſolæ non fluitant. In cibo damnantur omnes quocunq; tempore, duræ nanq; concoctionis ſunt & humorem uiſcidum generant. Lacuſtres marinis inſuauiores ſunt & pluris alimenti. Quæ copaides uocantur, laudantur, quod ad magnitudinem inſignem perueniant. Quas uero fœminas nominant, meliores eſſe conſtat, authore Ariſtotele libro de hiſtoria octauo.

FINIS.

DE
BONITATE ET VITIO ALIMENTORVM CENTVRIA.

CASTORE DVRANTE GVALDENSI MEDICO AVTORE.

In qua continentur ferè omnia quę ad rectam victus rationem instituendam, & tuendam valetudinem pertinent.

COSI À CIASCVN NOCENTE



SI COME QVI AL SERPENTE.

PISAVRI Apud Hæredes Bartholomei Cęsani.
M. D. L X V.

ILL.MO ET REVER.MO D. D.

TIBERIO CRISPO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI AMPLISSIMO

Castor Durantes Gualdensis Medicus
S. D.

CVM iubet æternus superos discumbere mensis
Iuppiter æthereis cantica amœna petens,
Protinus assurgunt Musæ miranda canentes,
Quæ facit in toto prouidus orbe pater:
Arridet Tellus placidum circumsonat æquor,
Concentum ingeminat lætus vterq; polus
Tu quoque dum Diuos inter, quos terra recepit,
Pasceris, ecce refers moribus ore Iouem.
Artibus ingenuis præsto es supplendo Camœnas,
Cum tuus assistit nobilis ille Chorus:
Nobilis ille Chorus, qui tunc tua facta recludet,
Quando vrbi, atque orbi Iuppiter alter eris.

Interea repetit liber hic tua limina lætus,
Ortus vt è mensa Maxime CRISPE tua:
Materiæ causam nobis dedit illa notandæ
Vtile qua cunctis conficeretur opus:
Nam quoties Cererem vitamque tuentia summis,
Plurima conuiuis discutienda moues
Seu petis Angelicas quid turmas trusit in orchum,
Quos hominum Cœli lucida templa vocant:
Seu libet ex alto rerum disquirere causas,
Vnde Animus felix vera alimenta trahat:
Hinc ea, quæ Chiron docuit, seu magnus Apollo,
Sunt mihi nota magis quam sua cuique domus:
Ex his ad victum centum spectantia trado,
Atque ea carminibus singula monstro meis:
Explicitas quorum vires subnectimus, vt se
Incolumem seruet qui bene noscet eas.

Ad eundem Illustrissimum & Reuerendiss.
Pollux Durantes.

Ecce tuo Auspicio pater alme perutile Mundo
Prodiit in lucem Castoris istud opus
Dii facient, vt te Iuuenesq; senesq; sequantur,
Sic bona virtutum plurima in orbe fluent:

TYPOGRAPHVS LECT.

DECREVERAT *huiuscæ centuriæ Auctor Lectores humanissimi, eam figuris exornatam expolitamq; in lucem edere, ut uniuersis studiosis exactam penitus, & absolutam hanc ipsam traderet, hac etenim de causa superioribus diebus Venetijs formis excudendam curari mandarat. Verùm cum accepisset exemplum fuisse ex ea transumptum, ueritus ne quis suum hunc laborem sibi arroganter attribuens, gloria elatus incederet, tandem statuit eam absq; figuris imprimi: ratus se uobis cumulatè satisfacturum, cùm opus suum in quo de octingentis circiter simplicibus agitur, ut nihil amplius in eo desiderari poterit, eadem serie atq; ordine ut in centuria seruatis: passim suis locis figuris appositis, exibuerit. Quod quidem propediem Opifice Maximo annuente, unà cum cæteris eiusdem Auctoris operibus: qui totum illud temporis spatium quod præ occupationibus molestijsq; curialibus sibi datur reliquum, publicæ mortalium utilitati impendit: in lucem efferetur. Valete.*

POLLVX D. LECTORI.

SImplicium quicunque cupis vim nosce ciborum,
Hoc lege præclarum candide lector opus.
Huius ope incolumis viues, seruaberis æger,
Et poteris fato prosperiore frui.

R. D. Apollonius Phil.

Dum canit insanos Castor male sanus Amores
Blanditiis vatem docta Minerua petit.
Sint potius quæ Magnus Arabs, quæ maximus olim
Perdocuit Chous carmine digna tuo:
Attollent humeris præcinctum tempora Myrtho
Tunc te Parnasi vertice Pierides:
Precedet cithara lauroq; insignis Apollo
Herbarum ipse pater, carminis ipse pater:
Dixerat. Ille acri laudis succensus amore,
Erubuit monitis, & meliora canit.

Thomodellus Pisaurensis.

Vt bene mortales victus ratione regantur,
Optimus iste liber sæpe legendus erit.

Maximus Ros.

Noscere si victum nocuum, si scire salubrem
Appetis, assidue hoc perlege lector opus.

CASTOR
DVRANTES LECTORI.

CVM Deus optimus Maximus humanissime lector innumeras ac immensas mortalibus dotes sua benignitate tribuerit, nullam (ni fallor) iucundiorem utilioremuè contulit sanitate, qua nil dulcius & magis optandum: illa enim absente iniucunda sunt omnia, uitaque ipsa sine ea placere non ualet, neque utilis est. Et Pyrrhus epirotarum rex legitur nunquã à Diis aliud èxpostulasse quam Sanitatem ratus uir ille sapientissimus omnia facile adfutura, nihilque penitus illi deesse posse, qui sanitate integra gaudeat: Nam sanus homo quæ cupit assequitur, modo ut illa assequatur impense studeat: ob hanc seruandam reparandãuè Medica ars à Diis ipsis inuenta est, Cuius cum plurimæ sint partes, ea in qua de alimentorum Facultate cõtinentur traditio reliquis censetur utilior: nam illam scire omnium utilissimum est: uictus enim ratio in arte Medica censetur principalissimũ instrumentum. Et Cibus cum necessarius sit nostro corpori, ipso enim quicquid effluxit resarcimus, non sine iudicio sumen-

dus est: Sed ratio uictus diligens esse debet: quoniam in hoc errata morbos faciunt: & alimento uitioso uescentes facile exoluuntur, & sanguine replentur uitioso. Quapropter ego Dioscoridis & Galeni precipue sequẽs uestigia, centum alimentis apta simplicia eligens, ea tam scriptura quam pictura hic notissima facio, priusque Carmĩne horum omnium uires, ut facilius imprimantur memoriæ, deinde magis perspicue addita authoritate eorum qui sunt artis Principes, soluto sermone complector. Laborem hunc libenter assumpsi, tanquam omnibus utilem: Sane qui mea hæc scripta perlegerit, prudenterque seruauerit, Deo fauente optima cum ualetudine uitali aura diutissime perfruetur.

ACETOSA V. H.

Digerit oxalis, ſiccat, refrigerat, aufert
Tædia uentriculi, Morſaq́ membra iuuat.

REFRIGERANDI. *Nam frigida eſt exceſſu ſecundo. Gal. 4. Simp. med. C. 3. 7. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 54.*

SICCANDI. *Nam ſecundo ordine ſicca eſt. Auic. Lib. 2. tr 2. Cap. 54.*

REPERCVTIENDI. *Nam repercuſſoriam quandam obtinet facultatem. Gal. 7. de Simp. med. Facul. 1. Paul. Lib. 7.*

CONSTRINGENDI. *Quandam enim ſtipticitatem obtinens, mulierum profluuia trita & admota conſtringit. Dios. lib. 2. Cap. 108. Gal & Paul. ibid.*

EMOLLIENDI. *Eius namq; folia eſa aluum emolliunt: Semen autem potum lubricam ſiſtit & cohibet. Dios. Gal. Paul. ibid.*

DIGERENDI. *Etenim digerentem uim ſortita eſt. Paul. Gal. ibid.*

DISCVTIENDI. *Quia eius folia cruda illita melicerias roſaceo aut croco adiecto diſcutiũt, & corporis pruritus fouendo atterendoue in ſolia balnearũ. Radix in uino cocta ſtrumas ac parotidas, & lienis tumores ex aceto diſcutit: Aliqui æmoliendis ſtrumis radicũ geſtamine utuntur, eas collo appẽdẽtes. Dios. lib. 2. C. 108.*

ABSTERGENDI *Quoniam eius radices coctæ cum aceto uel crudæ lepras & impetigines abſtergunt impoſitæ, & ſcabros ungues perſanant; ſed antea locus aceto & nitro in ſole perfricandus. Dios. Auic. ibid.*

IVVANDI. *Nam boni chymi eſt, ſuperat choleram, ſitim extinguit & appetentiam excitat. Radix eius in uino decocta doloribus aurium, dentiumquè prodeſt, ſi colluantur iure; pruritus corporis decoctum earum ſedat, ſi foueatur, aut in ſolijs balnearum perficeretur: Toſta in uino regio morbo auxiliatur: Nauſeam ſedat; ſemen eius utiliter bibitur contra ſtomachi faſtidia; calculos ueſicæ comminuit; coeliacos & dyſentericos potum ex uino uel aqua efficaciter adiuuat: & lotum in aqua coeleſti ſanguinem prodeſt reijcientibus adiecta acacia lentis magnitudine: ſcorpionum uenena reſtinguit: Quod ſi quis in potu præſummat, nihil moleſti ex ictu patietur: oxilapathum mulieres ruſticæ pica laborantes, interdum & pueri quidam guloſi crudum manducant: ex eo ſucco ſerapium in officinis paratur, & aqua per campanam elicitur. Dios. lib. 2. Cap. 108. Gal. ibid & 2. al. facult. Cap. 45. Paul. Lib. 7. Ply. Lib. 20. Cap. 21. Ras. 3. alm. Cap. 18. & Lib. cont. Cap. 248. Amat. luſi. in 2. Dios. enar. 109.*

NOCENDI. *Quoniam olus hoc ex eorum eſt genere, quæ parum nutriunt. Ventrem aſtringit, & exaſperat ſtomachum. Gal. 2. de al. facult. Cap. 48. Ras. 3. alm. Cap. 18.*

ACETVM VIM H.

Discutit, adstringit, refrigerat, utile acetum
Ventriculo est nocuum cui nigra bilis obest.

REFRIGERANDI. Nam uis ei summa in refrigerãdo cõsistit; habet uero uim obscure calefaciendi, proprio enim uini calore est frigidum in secundo excessu, adscititio autem contractoquè ex putredine calidum: & eo calidius, quo uetustius, & acrius extiterit; Si quidem fit uetustate calidius. Dios. Lib. 5. Cap. 17. Gal. 10. meth. med. Cap. 9. 1. de Simpl. med. fac. Cap. 18. 8. de Simpl. med. fac. 11. de simpl. med. fac. 1. de comp. med. secund. loc. Cap. 8. 4. de Simpl. med. fac. Cap. 12.

SICCANDI. Nam licet actu sit humidum; Magnam tamen desiccandi facultatem obtinet, adeo ut sit tertij ordinis desiccantium iam completi, utique cum ualidum extiterit. Gal. 8. de Sim med. fac. 5. de Sim. med. fac. Cap. 2. 10. meth. med. C. 9.

INCIDENDI. Nam facultatẽ poßidet incidendi. Gal. 1. de comp. med. secũd. lo. C. 8. 1. Simpl. med. Cap. 38. de att. uic. Cap. 11. 8. de comp. med. secund. loc. Cap. 3.

EXTENANDI. Nam humores crassos, & lentos uehementer attenuat. Gal. de att. uic. Cap. 11.

DISCVTIENDI. Quoniam est ei summa uis in discutiẽdo, & conglobatũ sanguinem discutit. Gal. 1. de comp. med. secund. loc. Cap. 8. Ply. Lib. 23. Cap. 1.

REPELLENDI. Nam repellendi poßidet faculta. Gal. 14. meth. med. Cap. 7.

CONSTRINGENDI. Quia adstringens est: quapropter dentium labefactionem leuat: & fluxum sanguinis cohibet. Gal. 1. de Simpl. med. fac. Cap. 18. Dios. Lib. 5. Cap. 17. Ply. Lib. 23. Cap. 1.

SISTENDI. Nanque alium sistit, eiusque fluxiones reprimit cibis incoctum, & fluxum prohibet sanguinis, omnemque abundantiam potu insesionequе sistit: in uelleribus succidis aut spongia impositum, sanguinem uulnerum, & inflammationes inhibet; ulcerum phagedænas, singultus, nomasque cohibet, & sternutamenta olfactu sistit; tußim ueterem, orthopneam, & reumatismos gutturis inhibet. Dios. Lib. 5. Cap. 17. Gal. 1. de al. facult. Cap. 1. Ply. Lib. 23. Cap. 1.

DIGERENDI. Quoniã digerendi poßidet facultatẽ. Gal. 14. meth. med. C. 7.

IVVANDI. stomacho enim est utile, appetentiam excitat, Fastidia discutit, distributionem adiuuat, lieni conuenit, medetur obstructionibus uiscerum; uim æstus arcet, ac utiliter gargarissatur his qui à solis ardoribus conualescunt, plurimum fotu medetur post uredines lepris, furfuribus, manantibus ulceribus, canis morsibus, scorpionum ictibus muris aranei, scolopendiarumquè uenenis auxiliatur: contra aculeatorum uirus, multipedum morsus remedio est: aduersus omnia uenena propinatur calidum uomitionibus redhibendum: Haustu raptas hirudines

sorbitione pellit tußim ueterem placat: Gargarissatnm fluxienibus faucium resistit; Anginis, uuæ procidenti, dentium dolori calidum quam acerrimum colluitur. Quando embrocatur super podagra cum sulphure confert: ipso brachia pedesquè madescunt pro stomacho: & eos qui animo linquuntur reuocabimus odoramentis aceti: cibos quidem & sapores non alius magis succus commendat: Aceto item & aqua sitis aufertur febrientium; & si in unum coeant in siti humiditas atque caliditas, eiusdem quidem sitis optima medela acetum est. Quod biliosis utilißimum est: Debet autem esse exquisite acidum, in quo nulla penitus uini qualitas persentiatur. Acetum subito fieri promittunt, si tusam betæ radicem in uinum conieceris, post horas tres in acetum degenerabit; quod si in pristinum statum restitui uoles braßicæ radicem indidisse satis est. quo in cibo & potu uti in pestilentia, est ipsius nocumenti securitas. Dios. lib.5. Cap.17. Gal.1. de Simpl. med. fac. Cap.30. Cap.6. in 6. de morb. uul. C.5. 3. ali. Cap.21. 8. de cōp. med. S.L.c.4. 1. Simpl. m. Cap.31. 5. de comp. med. S. Loc. Cap.9. 9. de comp. med. S.L.c.2. 14. metb. med. Cap.5. Ply lib.23. Cap.1. Aui. lib.2. tr.2. Cap.77. Ruell. lib.1. Cap.143.

NOCENDI. Nam uesicæ nocet, & neruorum infirmitatibus; maciem efficit, uirtutem destruit, sperma minuit, odoratum gustumquè mouet, tußim recentem laceßit; sitim infert, nec potest à sicca dispositione peruenientem sitim, meque à calida & sicca unquam sanare. Mentem neruosquè ferit, atram bilem gignit, melancholicis est aduersißimum Mordax ulceribus & cuti: exasperat, erodit, colorem excitat, & est oculis pernitiosum formidandum in febre singultuosa: Mulieribus longe magis quàm uiris aduersatur, ut pote quod uterum dolore cruciet: Eius superfluus usus ad hydropisim quandoque perducit. Coctum ad nocendum infirmius est: compescitur asperitas eius tosto pane, aut uino, uel sale; contra iners accenditur, aut latere, uel citri acido, aut pirethro. Dios. Auic. Ply. & Gal. ibid. & 4. de Simp. med. facult. Cap.22. & 1. Cap.31. 1. de rat. uic. ac. 30. de puer. epil. Cap.8. 5. de comp. med. Secund. loc. Cap.1. 3. de comp. med. per g. Cap.3. 1. de Sect. Cap.4. de r. u. ac. Cap.70. 38. Ras. 3. alm. Cap.17. Ruell. ibid.

ALLIVM V. H.

Allia calfaciunt, ſiccantq; uenenaq; uincunt,
Viſum hebetant, ſtomachum lædere cruda ſolent.

CALEFACIENDI. *Quia exceſſu quarto calefacit. Gal.8.Simp.med. Dios. Lib 2.Cap 146. Aui.Lib.2.tr.2.Cap.74. Paul. Lib.7.*

SICCANDI. *Nam arefacit quarta diſtantia, & affert ſtomacho ſiccitatem. Gal. Dios. Paul. Auic. ibid.*

INCIDENDI. *Quoniam craſſos & lentos humores incidit. Gal. 2. de al. facult. Cap. 71.*

APERIENDI. *Meatus enim & obſtructiones aperiendi facultatem obtinet; quare allium aſſumere debet ſenex, qui cibis obſtruentibus ſit uſus. Gal. 5. de Simp. med. facult. Cap.14. 5. de San.tu. Cap.6.*

CIENDI. *Nam Vrinas ciet, Menſes & ſecundos partus euocat, Foeminarum inſeßionibus inditum, ad quæ ſuffitum quoque proficit. Dios. Lib.2.Cap.146.*

DISCVTIENDI. *Nam eſt ex eorum ciborum genere qui flatum diſcutiunt. Gal.12.meth med.Cap.8.*

DIGERENDI. *Etenim digerẽdi obtinet facultatẽ; & magnæ illius utilitates ijs qui cõcoctionis munia nõ poſſunt obire. Gal.2.de al. fac.C.71.Ruell. L.2.C 85.*

ATTENVANDI. *Craſſos enim & lẽtos humores attenuat. Gal.de att.uic.C.2.*

ABSTERGENDI. *Quoniam erumpentes papulas ex oleo & ſale ſanat: Vitiligines, Lichenas, lentigines, manantia capitis ulcera, lepras, furfureſquè cum Thure & teda rapit: ſugillata delet, & liuẽtia reducit ad colorẽ. G. D. A. & Ruell. ibid.*

IVVANDI. *Honeſtum enim ac gratum ruſticæ plebi obſonium eſt, & Theriaca ruſticorum, ſiue antidotum appellatur: Latas uentris tineas in cibo ſumptum abigit; uetuſtæ tußi, & crudum & coctum auxiliatur: ſi quis allio præſumpto feriatur à ſerpente nullam inde trahet noxam: Item ſi quiſpiam allium prægustans uenenum hauſerit non nociturum affirmant: ictibus quoque ſerpentum tritum & impoſitum mederi; quibus cum uino potum remedio eſt: Et in præſeruatione peſtis allio uti optimum eſt conſilium. Allium inſuper Alopecias replet, Dentium dolores finit in ore detentum; Commodißimum eſt his qui regionem frigidam incolũt; Renum uitia ſanat, nec minor eſt ei efficacia contra aquarum & quorumcunque locorum mutationes: uocem expedit, ei ſplendorem reſtituens: Pediculos lendeſque necat cum origani decocto potum, auxiliatur dolori colico; & hydropicis conuenit. Dios.Lib.2.Cap.146. Gal.8 Simpl.med. 2.de al. facul.Cap.71. Aui. Lib.2 tr.2.Cap.74. Paul Lib.7. Amat. Luſit.in 2. Dios.enar.146.*

NOCENDI. *Quoniam eſt cibus acutus, acredinem poßidens, malum ſuccum generans*

generãns, concoctu difficile: Parum alit, & potius est obsonium quam alimentum; carnem mordicat, pruritum mouet, cuti impositum exulcerat, erodit, olfactu uteri strangulatus excitat libidinem accendit, & desiderium coitus adducit. Lædit prægnantes & lactantes: caliditatem auget, Febrem accendit, alimentum & sanguinẽ extenuat, dolores consuetos irritat; capitis dolorem facit, oculornm claritati officit; illos enim hebetat: inflationes facit, stomachum lædit copiosius sumptum, ipsi siccitatem afferens, sitim parit; aluum conturbat; cerebro oculorum tunicis, & eorũ humoribus nocet, & turbidum uisum reddit: Auribus etiam, pulmonibus, & renibus, hemorrhoidibus, tenasmoni, fluxui uentris, scruphulis, & habentibus ethicam pregnantibus & nutricibus nocet: & si in aliquo membro est morbus, mouet & excitat in illo dolorem. calefacit sanguinem, & putrefacit ipsum: Quare abstinendum ab aßiduo allij usu præcipue natura biliosis: solis enim his qui uel succum pituitosum uel crudum ac crassum & lentum aceruarint, eiusmodi cibi acres expediunt. Acrimoniam autem deponit allium si coctum fuerit, tunc enim porri modo dulcescit, & in uicem olerum transit, nam benignius redditur, & succi prauitatem non amplius retinet: tædioso est allium halitu, sed edentibus si radicem betæ in pruna tostam superederint, tradunt odorem extingui. Dios. Lib. 2. Cap. 146. Gal. 8. de Simpl. med. facult. 2. de al. facult. Cap. 61. 71. 4. Simpl. med. Cap 17. 9. de Simpl. med. facult. 9. de comp. medic. secund. loc. cap. 10. 3. de temper. cap. 3. cap. 4. 91. de uic. 5. acut. Paul. Lib. 7. Ply. Lib. 20. cap. 6. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 74. Ras. 21. cont. Cap. 180. & 3. Almans. Cap. 18.

AMYGDALA V. H.

Præsumpta impediet frugalis Amigdala Bacchum:
Sonnifera est, purgat, bilis & inde uiget.

CALEFACIENDI. Nam dulces temperatam admodũ caliditatem sortite sunt: Amare autem calidiores existunt. Gal. Lib. 6 de Simpl. med. facul. Paul Lib. 7.

HVMECTANDI. Nam dulces humidæ sunt suauis saporis, equales ad humiditatem parũ declinantes: Amaræ autẽ sunt ordine secundo siccæ. Haliab. 5. Theor. Cap. 19. Aui. Lib. 2. tr. 2. Cap. 58.

APERIENDI. Quoniam obstructiones hepatis, & lienis aperiunt, & eas quæ in uenarũ extremitatibus accidũt. Gal. de ocul. Cap. 3. 6. de Simpl. med. facul.

AESTERGENDI. Detergendi nanque facultate pollent sic, ut faciei fucas, & maculas sole contractas obliterent: Et Amygdalæ amare radicum tritarum decoctum cutem in facie corrigit, coloremquè facit hilariorem: Nucesquè ipse in aqua mulsa tritæ ad purgandam cutem sunt efficaces; & ipsarum gummi summæ cutis impetigines illitũ ex aceto rapit. Dios. Lib. 1. Cap. 139. Gal. 2. de al. facul. Cap. 29. Ply. Lib. 23. Cap. 8. 5. Simpl. med. Cap. 12. Paul. Lib. 7. Aui. Lib. 2. tr. 2. C. 58.

INCIDENDI. *Quoniam dissecandi incidendiquè uirtute præditæ sunt: & amaræ succos crassos & lentos incidunt. Gal. Aui. Paul.ibid. & Paul.Lib.1.C.81.*

EXTENVANDI. *Nam attenuatoriæ sunt facultatis; & præsertim amaræ: quare non improbandæ in uictu attenuante. Gal. de attenuat. uic. 2. de al. facul. Cap.29. 5. Simpl. medic. 8. de comp.med. 5. Lib. Cap.8. Oribas. Lib.1. collecto: medic. Cap.56.*

CIENDI. *Nam urinas, & Menses ciunt: quare calculosis, & difficili urinæ in passo sunt efficaces. Ply. Dios. Aui. ibid.*

PVRGANDI. *Pulmonem etenim, Thoracem, & uiscera purgant; Aluumquè emolliunt, & amaræ ephelim & in iecore crassorum uiscorumquè humorum in extremis uasis impactorum obstructiones abunde expurgant, expediuntquè. Dios. Gal.Ply.ibid.*

SISTENDI. *Nam sanguinem qui reijcitur sistunt. Dios. Ply. ibid.*

IVVANDI. *Dulces enim impinguant, ad uisum conferunt excreationibus expectore pulmonequè crassorum lentorumquè humorum mire auxiliantur, sed potentiores amaræ: obstructiones iecinoris à craßis & uiscidis humoribus ortas expediunt: Quin & lateris & lienis & coli & renum dolores ab huiusmodi causa ortos persanant: aluum molliunt, somnum conciliant. Vitiis pulmonum & renum ex aqua potæ succurrunt. Prosunt eclegmate iocineri, tußi, inflationibus coli: Quinis senisuè præsumptis ebrietatem non sentiunt potores: sunt qui auiditatem hoc esu moliantur: Gummi amygdalarum uetuste tußi ex diluto uino medetur: Minus ualent in remedijs dulces: Recentes cum suo putamine comestæ bonum faciunt stomachum, discutiunt enim humores qui in uentre coierunt. Dios. Gal. Ply. Aui. ibid.*

NOCENDI. *Nam parum nutriunt, oleosæ sunt, & pinguis qualitatis, & ideo æstuosæ: Quare choleram commouent: proinde animaduertant qui indiscrete febricitantibus amygdalatum porrigunt, aut saltem his qui stomachum habent biliosum; quum iuuamenti uice præstandi magnum ægris adferant detrimentum. Recentes minus aridis sunt noxiæ: Macerataequè multo minus ijs qui quæ nullum experta sunt humorem: Quin & torridæ minus crudis officiunt. Recentes stomachum implent: & quæ comeduntur cum corticibus suis sunt difficilis digestionis; Si tamen superficie tenus excorticentur, esuiq; dentur facilius concoquuntur, præsertim si cum melle aut zucchâro comedantur. Dios. & ibi Amat. Lus. Gal. Aui. Ply.ibid. Hipp.de diæt.*

Calfacit, & reuocat lac, tormina ſedat anethum,
Cit ructus: Veneri, luminibusq́; nocet.

CALEFACIENDI. Nam adeo calfacit, ut habendum ſit, ſecũdi ordinis intẽſi, aut tertii remiſsi: crematum porrò tertiam calfaciendi diſtantiam induit minus autẽ calidũ eſt uiride. Gal.6.de Simp. med. facul. Paul. Li.7. Aui. Lib.2.tr.2. C.71.

SICCANDI. Quia exiccantis ordinis eſt ſecundi incipientis, aut præfinientis. Gal. ibid. & 3 al. Cap.2.

DISCVTIENDI. Nam tormina inflationesquè diſcutit. Dios. Lib.3. Cap.58.

DIGERENDI. Quoniam in oleo decoctum digerit inflationes quæ in uentriculo generantur. Gal.6. Simpl. med. & de ren. aff. & dign. Cap.4.

CONCOQVENDI. Nam crudos & incoctos humores concoquit, & uiride magis quam ſiccum. Gal.6.S.m.

INCIDENDI. eſt enim cibus incidens. Gal. de att. uic. Cap.3. de diss. cont.

ATTENVANDI. Nã craſſos & lentos humores attenuat. Gal. de att. uic. C.3.

APERIENDI. Quia cibus aperiens eſt. Gal. de diſs. cont.

CIENDI. etenim urinã euocat. Dios. Lib.3. C.58. Gal 1. ad Glauc. C.9 & 14.

SISTENDI. Nam aluum ſiſtit, uomitiones coheret, & ſingultus cohibet. Dios. ibid. Ply. Lib. 20. Cap.18.

IVVANDI. Quoniam in condimentorum nõ magnopere quæſitum eſt, ſapore eſt grato, ſtomachum concoctionesquè adiuuat, ſingultus lenit, tormina ſedat: cocta paſtinacæ modo radix in cibos reperitur: arefacti, aut ſeminis decoctum ſi bibatur Lac purgat, & multiplicat; dolores ſedat: ſuccus decocti foeminis uuluæ malo opportunis ad deſeſsiones utile: Condilomata illitus ſeminis cremati cinis tollitur: coronabantur hoc recenti ad conciliandum ſomnum: Semen feruens olfactum ſumptũ ex aqua mitigat cruditates: additur in antidota, & oxypora ſimili aniſo natura: Cinis eius uuã in faucibus leuat; ulceribus nimis humidis mollibusquè prodeſt; & quæ in præputio ſunt inueterata ea probe cicatrice includit. Ex anetho fit oleum, quod officinis frequens habetur: cuius uſus continuis ad ſedandos dolores eſt: aperit nanque poros, rarefacit apoſtemata: curat tumores, & ſcirrhos reſoluit, mitigat quoque febrium rigores, & ſudorem euocat, in clyſterijs quoque contra colicas affectiones tanquã uentoſitatis carminatiuum utiliter adhibetur; eſt. n. primo ordine calidum, eſt uerum anodinum eſt oculorum cenoticum: & facit pro lapide & dolore renum, & prodeſt articulorum doloribus, & laſsitudines diſcutit. Dios. Lib.3. C.58. & Li.1. Cap.50. Gal.2. al. Cap.57. 6.S m. 5.S m. Cap.19. de Ther. ad Pis. C.10. 2.S. med. C.12. de cathart. Ply. Li.20. C.18. Aui. Li.2. tr.2. C.71.

NOCENDI. Nam cibo frequenti oculos hebetat, genituram extinguit; eſt cibus acutus, ructus mouens, ſtomacho inconueniens, ſubſtantia enim eius craſſarum eſt partium concoctu difficilis, & nauſeoſa. Renes lædit. Sim. Seth. D. G. A. P. ibid.

Discutiens Anisum, lac donat, & oris odorem
Cit Venerem, & stomacho, cui calor insit obest,

CALEFACIENDI. *Nam calfacit in tertio ordine cum subtili substantia. Gal.6.de Simpl.med.facult. 2.ad Glauc. Cap. 6.Paul.Lib.7.Aui.Lib.2.tr.2.C.1.*

SICCANDI. *Quoniam ipsius semen siccat in tertia distantia. Gal. Paul. Aui. ibid.Ply.Lib.20.Cap.17.*

DISCVTIENDI. *Quia flatus discutiendi poßidet uim: Dissoluit uentositatem, & flatus uentris reprimit: præcordiorumquè tumores discutit. Dios.Lib.3. Cap.56. Gal. Paul. Aui. Ply. ibid.*

ATTENVANDI. *Craßitudinem enim humorum attenuat: Quare eius semen confert in dieta attenuante. Gal.9.de comp.med. de att.uic.rat.C.5.*

CIENDI. *etenim Lotiū elicit. Gal.7.S.m. Paul.Lib 7. Dios.ibid.Ply.ibid.*

APERIENDI. *Est enim aperitiuum cum stipticitate pauca: aperit obstructiones renum, Vesicæ, & Matricis: Confertq; oppilationi hepatis & splenis ex humiditatibus genitæ. Aui. Lib.2.tr.2.Cap.1.*

DIGERENDI. *Nam digerit cruditates. Gal.6.de.Simpl.med.facult.*

PVRGANDI. *Purgat pulmonē et Thoracē, expurgatq; ī icteris.G.de cathart.*

SISTENDI. *Quoniam magnas fluxiones per se tritum cum polenta: Singultus olfactu decoctum & potum inhibet, uomitationes sedat; cum apio succus dicocto olfactus sternutamenta cohibet: & uentrem, albaque compescit profluuia foeminarum.Ply.Lib.20.Cap.17. Aui. Gal. Dios. ibid.*

IVVANDI. *Quia Theriacam ingreditur, animalium enim uenenis aduersatur, & contra aculeatos ictus eorum bibitur: oris halitum iucundiorem facit: Foetorem tollit, manducatum matutinis cum smirneo & melle exiguo mox uino collutū: Vultum iuniorem præstat; insomnia leuat.suspensum in puluino ut dormientes olfaciant: Dolores capitis leuat suffitum naribus. Hydropicis, & coeliacis semen dàt tritum cum Mentha; bibendum quoque parturientibus cum anetho: Phreneticis illiniunt recens cum polenta, sic & infantibus comitiale uitium aut contractiones sentientibus: corripi morbo comitiali negant manu tenentes, ideo quàm plurimum domi serendum: addunt parere facilius olfactantes, & statim à partu dandum potui cum polenta aspersa: semine eius poto laßitudinis auxilium uiatoribus spoponderunt: Lenit articulares morbos cum amaris nucibus illitum: sitim cohibet; cum uino sudorem leniter præstat: Vestes quoque à tineis defendit: orthopnoicis utiliter exhibetur, Thoracis enim pituitas purgat tostum, & cum melle sumptum melius. Vertigines discutit: auribus infunditur cum rosaceo: Narium carnes consumitur, il*

litum ex aqua: Præcipuum est ad ructus; ideo inflationibus stomachi, intestinorũ torminibus & coeliacis medetur: Potum somnum concitat: calculos pellit; pectorum uitiis, & neruis utilissimum lac ad mammas elicit. Appetentiam ciborum præstat: non aliud utilius uentri & intestinis putant, ideo dysentericis & tenasmis datur tostũ: efficacius semper recens & nigerrimũ, plenũ, non furfurosum, odore præstans. Dios. Lib. 3. Cap. 56. Gal. ibid. & de Ther. ad Pis. Cap. 7 1. Paul. Aui. ibid.

NOCENDI. Nam Venerẽ stimulat, et stomacho inutile est, præterquã inflato. Acre est, ut prope ad urentiũ caliditatem accedat. Dios. Gal. Aui. Paul. Ply. ibid.

AQVA VIM HAB.

Lympha salubris erit leuis & perlucida: si non
Sit color ullus ei, non odor, atque sapor.

REFRIGERANDI. Nam dulcis manifesto refrigerat; & glacialis impensè Gal. 1. de Simpl. med. facult. Cap. 6. 1. de comp. medic 5. Paul. Lib. 7.

HVMECTANDI. Quoniam summe, & semper humectat, estq; humidorum humidissima. Gal. 1. de Simpl. med. facult. Cap. 8. 6. 30. 7. 1. de Sanit. tuen. cap. 11. Paul. Lib. 7.

IVVANDI. Nam Aquæ potus saluberrimus nutrimentũ enim penetrare facit, & eius rectificat substantiam, est enim cibi uehiculum: Sitim extinguitur, & magis cũ uino mixta quam si sola bibatur: aqua potabili sanantur ulcera calida & sicca. Optima est dulcis (dulcis tamen esse imaginatur) Syncera, nullius omnino qualitatis particeps; & quæ ne minimo quidem tempore in precordiis commoratur; ad hæc quæ & facili uia fertur, & citra molestiam, nec inflationes creat, & minime computrescit, tenuis, pura frustillorum & saporum omnium expers, leuisq; reperitur, nec non quæ igni admota cito calefacit, remota uero frigescit ocissime; cuius fons ad orientem solem erumpit, curritq; super lapides, aut arenam, aut purissimam terram; quæq; æstate frigida, hyeme autem calida manat. & illa quæ à locis descendit altis cũ aliquibus bonitatibus est melior: Aquæ meliores sunt aquæ fontium: omnium tamen præstantissima est pluuialis, eaque præsertim quæ æstate media pluit silente cœlo. Porro aqua cisternarum non plurimum commendanda uidetur, si quidem miscella est diuersarum aquarum, & stationaria & consequenter potrefactioni facile obnoxia: optima conuenit his qui calido sunt temperamento. Dios. Lib. 5. Cap. 14. Gal. 1. de Simpl. med. facult. Cap. 4. 5. 6. 7. 8. 19. 30. Hypp. de aer. aq. & loc. & . 5. aph. 26. Aui. Lib. 1. fen. 2. doctr. 2. Cap. 16. & Lib. 2. tr. 2. Cap. 59. Paul. Lib. 7 & 5 Cap. ultimo. Ply. Lib. 14. Cap. 22. & Lib. 14. Cap. 22. & Lib. 31. Cap. 2. & 3. & Lib. 15. cap. 27.

NOCENDI. Nam stomachum supinat, uitiosa naturale robur exoluit; moratur in precordiis diutißime, fluctuationes excitat, & in flatum uertitur & corrumpitur: adeoq; uentriculi robur exoluit, ut proinde deterius concoquat: His qui calido temperamento minime sunt, capitis dolores infert, naturale robur exoluit, strangulatusq; & dolores inuehit aqua gelida aceruatim, auide, & citra interspirationem hausta: Quæ à niuibus & glacie colliquescit concoctionem impedit, urinam cohibet, pectus & pulmonem lædit, conuulsiones, laterum dolores, & flatus generat: Putealis præterea grauis quidem est, ægreq; conficitur, nec est putredinis omnis expers; ueruntamen tanto minus fuerit damnanda, quanto frequentius hauritur, uel si è subterraneo fonte scaturiat: sequuntur lacustres & palustres quæ omnino sunt improbandæ, nisi coctæ uel igne fuerint distillatæ: fluuiatilis deinde probatur uel improbatur pro concurrentium aquarum, & rerum iniectarum qualitate, quemadmodum his omnibus euenit fluminibus, quæ magnas perluunt ciuitates: Nam quibus animalia putrefacta, excrementa, & urbium sordes inesse sentiuntur, eæ ab alimentorum usu abdicandæ, nisi longo temporis tractu magnis fictilibus asseruatæ, ac defoecatæ clarescant; & penitus expurgentur: ut Romani faciunt cum sui Tiberis aqaqua; quæ præcæteris hac facultate pollet, ut clara facta ad centum & plures annos incorrupta perduret. Ad hæc noxiæ sunt quæ plurimam terræ mixtionem consequuntur, aut lapideum admittunt saccum, quamquam in usum ueniant medicinæ. Aqua enim omnis, cui quoduis foßile medicamentum admisceatur; eandem facultatem præbet, quam quod illi admiscetur. Dios. & ibi Matth. ibid. Aui. Paul. Ply. ibid. Gal. ibid.

Arboreas inter fœtus suauißima gustu
Armenia, & choleram frigore mala premunt.

REFRIGERANDI. Nam frigida sunt excessu secũdo. Aui. Lib. 2. tr. 2. C. 146.

HVMECTANDI. Quoniam sunt secundo ordine humida. Aui. ibid.

IVVANDI. Nam choleram reprimunt rubeam: eorum siccorum infusio sedat sitim & acutis conuenit febribus: oleumq; nucleorum ipsorum confert hæmorrhoidibus: Ea conuenientiora sunt stomacho quam persica, & bonitate non nihil ea superant, neque enim in uentriculo corrumpuntur ut illa, neque etiam acescunt, & delectant amplius. Dios. Lib. 1. Cap. 131. Gal. 2. de al. facult. Cap. 20. Paul. Lib. 1. Cap. 81. Aui. Lib. 2. tr. 2. Cap. 146. Oribas. Lib. 1. collecto medic. C. 48.

NOCENDI. Nam parum nutriunt, & uelociter in stomacho corrumpuntur propter multitudinem humiditatis, quare numerantur inter ea quæ siccari non possunt: Ventrem commouent, atque inflant, stomachum debilitant, eius extinguendo calorem grossum phlegma generant, & uiscosum in concauitate hepatis, & splenis; iccirco diuturnæ febris causa fiunt, & ipsa omnibus modis peßima sunt: Ideo ante cibum semper accipi debent stomacho inanito; post cibum enim in superioribus natant, & in acedinem atque putredinem conuertuntur: Conuenientiora tamen quam persica stomacho sunt: non enim cito aduenit eis corruptio, & acetositas: & cum sumuntur oportet ut accipiatur masticis & anisi parum in uino puro, aut uino de paßis, aut modicum mellis. Gal. de al. facult. Cap. 20. 1. de diß. cont. Ras. 3 alm. Cap. 20. Isaac in part. diæt. Aui. Lib. 2. tr. 2. Cap. 146.

Syluestris Raphanus tenuans est, calfacit, inflat:
Vincit & hortensem uiribus iste suis.

CALEFACIENDI. Nam excessu tertio calfacit. Gal. 8. de Simplic. medic. facult. Paul. Lib. 7. Aet. Ser. 1.

DESICCANDI. Quoniam ordine secundo desiccat. Gal. Paul. Aet. ibid.

DIGERENDI. Inest enim ei digerendi facultas. Gal. Paul. ibid.

DISCVTIENDI. Habet enim discutiendi sugillata, & cæteros id genus liuores potestatem. Paul. Lib. 7.

ATTENVANDI. Etenim pituitam extenuat. Paul. Lib. 1. Cap. 76. Ply. Lib. 20 Cap. 4.

CIENDI. Nam urinam pellit, & menses cit. Dios. Lib. 2. Cap. 106.

IVVANDI. Ori enim suauis est, lienosis, & hydropicis utilis: sensuum aciem excitat; contra ueterem tussim efficax est: contra uiperarum ictus auxiliatur: alopecias ad pilum reducit: lentigines emendat: His qui fungis strangulantur salutaris est. Valet ad eliciendas aluos: bilem detrahit, & eius cortices in uino stomachum purgant. Gal. 8. de Simpl. medic. Facult. Paul. Lib. 7. Aet. Ser. 1. Dios. Lib. 2. Cap. 106. Ply. Lib. 19. Cap. 5. & Lib. 20. Cap. 4. Auic. Lib. 2. tract. 2 Cap. 581.

NOCENDI. Nam flatus gignit; & ructus ciet; sed semen eius uentositatem tollit: stomacho aduersatur; digestionis tardæ est; & æstuosa: & obsonium magis est, quam alimentum: Elixata innocentior, & nutribilior redditur. Merito mirari subit illos, qui à coena raphanos crudos edunt, bonæ concoctionis ergo: Etenim ipsi magnum eius rei experimentum se fecisse iactant; uerum nemo citra læsionē ipsos est imitatus. Gal. 2. de al. facult. Cap. 61. 70. Dios. Lib. 2. Cap. 106. Paul. Lib. 7. Aet. Serm. 1 Ply. Lib. 19. cap. 5. & Lib. 20. cap. 4. Aui. Lib. 2. tr. 2. cap. 581.

De Raphano egit Oribasius Lib. 15. collecto. medicin. in littera R in dictione Raphanus.

ASPARAGI VIM H.

Renibus Aſparagus ſtomacho atq; perutilis, aluo,
Morſibus, atque oculis: ſed ſterileſcet edens,

CALEFACIENDI. Nam temperate calfaciunt, & quanto plus incipiunt indurari caliditas roboratur. Gal.6.Simpl.medic. Paul.Lib.7. Auer.5.coll.

HVMECTANDI. Nam humidi ſunt in primo gradu domeſtici, ſilueſtres uero ſicciores. Gal.ibid. Iſac.in part.diæt. Ras.3.alm.

APERIENDI. Nam omnium uiſcerum obſtructiones aperiunt, & proprie hepatis & renum: quare conueniunt icteritiæ. Aui. Lib. 2.tr.2.Cap.611.

ABSTERGENDI. Nam abſtergendi uim poßident, citra tamen manifeſtam aut caliditatem, aut frigiditatem. Gal.6.Simpl.medic.

DISCVTIENDI. Nam inflationes ſtomachi, coliquè diſcutiunt cumino quidem addito: Ply.Lib.20 Cap.10. Gal 2.de al.facult.Cap.58.59.

CIENDI. Nam urinam cient, eorumquè radix inter radices diureticas adnumeratur, ita ut inter illas primatum obtineat. Gal.2.de al.facult.Cap.58.59. Dios.Lib.2.Cap.118. Oribas.2.collecto.medicin.Cap.17.

IVVANDI. Nam utiliß. ſtomacho cibus aſparagi: oculis claritatem afferunt, uentrem leniter molliunt, pectoris & ſpinæ doloribus, inteſtinorumquè uitijs proſunt: & contra elephantiam proficiunt, & regium morbum: dentium cruciatibus ſua ariditate medentur: phalangiorum morſibus auxiliantur: coxendicis cruciatus, ſtranguriamquè leuant: lumborum & renum dolores ſedant: Renum item & hepatis meatus ab infarctu, & obturatione uindicant, præſertim radices quæ in uino albo potæ calculos exturbant. Aſparagis tritis cum oleo perunctos pungi ob apibus negant: & in cibis ſuaui odore corpus totum commendant urinamquè fætidam trahunt eorum decoctio canes interficit: Domeſtici ſunt cæteris præſtantiores. Dios.Lib.2.Cap.118. Gal.2.de al.facult. Cap.58.59. Paul. Lib.7. Gal. 6. Simpl.medic. de ren.aff.d & m. Aui. Lib.2.tr.2.Cap.611.& Lib 4. Fen. ultima. Ply.Lib.20. Cap. 10.

NOCENDI. Nam frequentiori uſu ſtomacho non ſunt congrui, immo quandoquè nauſeam faciunt: Parum nutriunt & ſunt mali chymi: Venerem ſtimulant, cõceptum adimunt, & afferunt ſterilitatem, pruritum mouent, elixati in aqua cum oleo & garo ſi offerunt addendo modicum aceti delectabiliores redduntur. & ſtomacho meliores. Gal 2.de al.facult. Cap.58.59. de cathart. Dios. Lib.2. Cap.118. Aui.Lib.2.tr.2.Cap 611. & Lib.4 Fen. ultima Auer 5.coll. Ras'3.alm. Iſac in part.diæt.Ply.Lib.20.Cap.10.Sim. Seth.

Concoquit, impinguat, ſiccat, tuſsiq; medetur
Pontica nux, ſtomachum tentat & illa caput.

CALEFACIENDI. Nam ſunt ad caliditatem: quandam decliues. Plus autem habent eſſentiæ terreſtris ac frigidæ quam iuglandes. Quin & plus præbent alimenti: Si quidem denſiores ſunt; & minus pingues: auellana item auſtera eſt, cætera magnæ nucis æmula. Gal. 6. Simpl. medic. & 2. de al. facult. Cap. 28. Aui. Lib. 2. tr. 2. Cap. 43.

SICCANDI. Nam ſunt ad ſiccitatem paruam decliues. Aui. ibid.

ADSTRINGENDI. Nam eorum cortex ſtipticus eſt, & uentrem adſtringit. Aui. ibid. & Oribas. 1. collecto. medicin. Cap. 55.

CONCOQVENDI. Nam toſtæ & cum exiguo piperis potæ deſtillationem concoquunt. Dios. Lib. 2. Cap. 142.

IVVANDI. Nam toſte deſtillationi medentur: Tritæ in aqua mulſa & potæ ueterem tuſsim leuant, quidam adijciunt grana piperis, alij è paſſo bibunt. In cerebro augumentum faciunt. & pluſquam ſit uериſimile pinguedini conferunt: & præter fidem corpulentiam augent. Alopecias pilo reſtituunt excepta axungia, uel urſino ſeuo. Idem recenſet ſerapio. Cap. proprio. Authores ſunt cæſiorum oculorum pupillam infantibus denigrari, cinere putaminum ex oleo ſincipiti conſperſo. Conferunt uenenis & morſibus, puncturæquè ſcorpionis cum ficubus & ruta præcipue: & ualent contra aerem peſtiferum & uenenoſum. Dios. Lib. 2. Cap. 142. Gal. 7. de Simpl. medic. facult. & enim de al. facult. Cap. 28. Aet. Ser. 1. Paul. Lib. 7. Aui. Lib. 2. tr. 2. Cap. 43. Ply. Lib. 23. Cap. 8.

NOCENDI. Nam ſtomacho ſunt infeſtæ, ipſius enim inflammationem faciunt: & inflationes, ieiunum inteſtinum lædunt. Diocles Author eſt auellanam nucem minus amygdalis alere, difficilius concoqui cibis ſupernatare ſi largius eſtur, caput tentare: innocentiorem eſſe uiridem arida: Addidit Philothimus auellanam ciere capitis dolorem. Auellanæ inſuper ſtomacho aduerſantur ipſumquè inflationibus diſtendunt, choleram generant, uomitionem excitant: Si tamen ignem experiantur innocentiores redduntur, quòd intoſtu quæ noxia eſt pinguitudo tollitur: Vrbanæ meliores exiſtunt, ueruntamen oblonge præſtantiores, & guſtui gratiores, & illæ præſertim, quæ putamine uehementer rubent, & fractu ſunt minime contumaces. Si cum anetho ante cibum ſumantur, non multum nocebunt, & ab interiori cortice mundatæ digeſtibiliores, utilioresquè reddentur. Dios. Gal. ibid & de diſs. cont. Aet. ibid. Paul. ibid. Aui. ibid. Haly. 5. The. Cap. 19. Iſac. in part. diæt. Matthiol. Ply. ibid. Sim. Seth.

BETA VIM HAB.

Digerit & tergit, reseratq; obstructa dolores
Auris beta leuat, largius esa nocet.

CALEFACIENDI. *Nam calida est in primo escessu.* Amat. Lus. in Dios. Ras. 22. cont. Cap. 426. Isac in part. diæt.

SICCANDI. *Nam sicca est in primo excessu.* Ras. Isac. ibid.

DISCVTIENDI. *Nam eius radix discutit humores pituitosos, & tumores inflãmatos, & duritias omnes.* Paul. Lib. 1. Cap. 74. & Lib. 7. Gal. 2. al. Cap. 61.

ABSTERGENDI. *Nam eius succus tergendi uim habet manifestam: decoctũ radicis & foliorum furfures, lendesq; deterget.* Gal. 2. al. Cap. 43. Aet. S. 1. 1 de comp. medic. secund. loc. Cap. 8. Ply. Lib. 19. Cap. 8. Paul. Lib. 1. Cap. 74. Aet. Serm. 1. Dios. Lib. 2. Cap. 116.

DIGERENDI. *Nam cocta nitrositatem exuit, euaditquè leniter digerens: albaquè ad digerendum ualentior est.* Gal. 8. Simpl. medic.

APERIENDI. *Nam obstructum hepar aperit, & multo magis si cum Sinapi, aut omninò saltem cum aceto mandatur.* Gal. 2. al. Cap. 43.

CIENDI. *Nam urinam ciet.* Ply. Lib. 20. Cap. 8. & *nigra uehementius.*

EXPVRGANDI. *Nam repurgans est; Nares purgat aures & caput eius succus cum melle naribus indutus: uentrem ad excernendum excitat, & alba ualentior est. Et eius succus à fecibus expurgatus clysteribus infusus ad indurata alui excrementa euocanda mirum in modum pollet; præsertim ubi lenientia chysmata nihil perfecerint.* Dios. Lib. 2. Cap. 116. Gal. 8. Simpl. medic. de cathart. 2. al. Cap. 43. 1. de Simpl. medic. facult. Cap. 15.

ADSTRINGENDI. *Nam quemadmodum braßica soluit, & adstringit ualidius enim cocta fluctuationes stomachi sistit & uentris, & nigra adiunctum habet adstrictionis quippiam; & magis in radice quam alijs partibus, & ideo coquitur cum lenticula ut uentrem sistat.* Gal. 1. de Simpl. medic. facult. Cap. 15. 8. Simpl. medic. Dios. Lib. 2. Cap. 116.

IVVANDI. *Nam succus earum naribus inditus caput purgat, & dolores aurium infusus ijs sedat: Radicis & foliorum decocto furfures tolluntur, & lendes; pernionibus fotis occurritur uitiligenes illitæ folijs crudis inducto ante nitro emaculantur. Implentur & alopeciæ scalpello prius exasperatæ: Illo modo ulcera depascentia finiuntur: Eadem cocta eruptionibus papularum, ambustis, ignibus sacris medetur: in totum efficacior esse traditur nigra: Cuius radices in aqua coctæ pruriginem tollunt: succus eius capitis dolores uetustos, & uertigines leuat: Medetur dysentericis iniecta, & regio morbo: Dolores dentium sedat illitus succus:*

ontra ſerpentium ictus ualet, ſed huic radici duntaxat expreſſus: Albæ ſuccus epiphoras ſedat fronti illita: beta candida cocta, & cum allio crudo ſumpta uentris tineas abigit. Dios.Lib.2.Cap.116. Lib.8.Simpl.Medic. 2.al.Cap.43.Ply. Lib.20.Cap.8. Paul.Lib.7. Aet.Serm.1.

NOCENDI. Nam nitroſam quandam uim poßidet, & multam bilem continet, multaquè indiget coctione ſi ſanguis fieri debeat, noxij ſucci eſt; & largius commanſa ſtomachum infeſtat, ipſius os lancinat, & mordicat; præſertim quibus ſtomachus exactiori ſenſu præditus eſt: pangit inteſtina: & eius ceu aliorum olerum exigua eſt alimonia; & incommodum eſt edulium ſi uberius ingeratur: Quare eius uſus uon eſt frequentandus, præcipue ab habentibus ſtomachum debilem: Cæterum cocta nitroſitatem omnem exuit, fitque facultatis phlegmonis aduerſæ leuiter digerentis. Dios. Paul. Aet. ibid. Gal. ibid. & 1.de nat.ſacul.Cap.10. 2.de nat.facul. Cap.8. 2.al. Cap.41. Ply. Lib.19. Cap.8. & Lib.20. Cap.8. Haly.5. Theor.Cap.16. Auer.5.coll. Ras.22.cont.Cap.426.Sim. Seth. De Bete uiribus egit Oribas.2.collect.medic.Cap.4.

BORRAGO V. H.

Gaudia fert cordi, minuit borrago rigores
Febris, & horrorem, tußibus hoſtis erit.

CALEFACIENDI. Nam temperaturæ calorificæ eſt: propterea calida eſt in primo à temperatis exceſſu. Gal.6.Simp.medic. Paul.Lib.7. Aet Serm.1. Iſac.in particul.diæc.

HVMECTANDI. Nam humidum temperamentum habet: eſtquè in primo ordine humida. Gal. Paul. Aet. Iſac.ibidem.

IVVANDI. Nam cibo gratißima. Flos acetarijs inſpergitur: Folia quotidianis obſoniorum iuribus innatant, peculiarem habentia gratiam; Radix hyeme, uice folij. cum id anni tempus negat: folia iucunde ſubolent, ferè peponem; quæ odore ſuaui uires recreent; & animi uoluptates in uino augeant: quare euphroſynon uocant. Bugloſſo inareſcente ſi quis medullam e caule eximat, alligetquè ſeptem folia ante acceßionem, aiunt à febre liberari: Tradunt utilem eſſe aduerſus horrores febrium: & quæ thyrſos tres emittat, eius radicem cum ſeminibus in uino decoctam ad tertias, tertianis prodeſſe, quæ quatuor quartanis, utique ſi decoctio fiat in uino: eandem conferre abſceßibus prædicant; cordis affectibus quam maxime opitulari, & propterea corrago nuncupatnr: Præterea gutturis lenit aſpredinem, ſi mellicrato cocta ſumatur: bonos generat humores: & ualet conualeſcentibus & ſyncopizantibus, cardiacis & melancolicis comeſta cum carnibus: exiſtimauerũt

multi

multi eius usum multum conferre ad memoriam confirmandam: eligibilior cocta quàm cruda: super buglossum igitur sis audax, & non timeas malitiam eius, & utere eo cum omni quod in potu tribuis, & in cibo das; etenim iam cucurrit consuetudo ut in potu tribuatur, & similiter aqua eius per campanam elicita. Possumus igitur secure borragine in acetarijs uti cum lactuca, utilis enim est cum commiscetur cũ lactuca eius contemperando frigiditatem, & bonum sanguinem generando: ex ea syrupus paratus habetur, ac ex floribus conditum cum sacchara inter cordiales dictas conseruas obtinens principatum. Dios. Lib.4. Cap.123. Apul. de herb. med. Gal.6. Simpl. medic. Paul. Lib.7. Aet. Serm.1. Ply. Lib 26. Cap.11 & Lib.25. Cap.8. Aui. Lib.2. tr.2. Cap.436. & p.3. Cap.4. & in tract. de uir. cord. Amat. Lus. in 4. Dios. enar. 129. Sim. Seth.

BRASSICA V. H.

Braßica cit, sistit, superatquè uenena Merumquè:
Dentibus, atque oculis creditur esse nocens.

CALEFACIENDI. Nam calida est in primo excessu, licet Auer. eam frigidam faciat: Gal. Lib.3. de Sal. diæt.2. Aui. Lib.2. tr.2. Cap.142. Auer.5. coll.

SICCANDI. Nam in secundo ordine sicca est: exiccatoriæquè facultatis est non solum dum estur, sed etiã si extrinsecus imponatur; uaporesq; resiccat. Gal.7. de Simpl. medic. facult. 2. de comp. medic. secund. loc. Cap.1. 2. al. Cap.44. 3. de sal. diæt.2. Paul. Lib.7. Aui. ibid. Auer.5. coll.

ADSTRINGENDI. Nam ipsius olus comestum adstringit, præsertim si fuerit percoctum. Gal. de Ther. ad pis. Cap.4. & 1. al. Cap.1. 2. al. Cap.44. Dios. Lib.2. Cap.113.

EMOLLIENDI. Nam leuiter feruefacta aluum emollit, percocta autem aluũ sistit: & eius succus purgatricem obtinet facultatem. Dios. Gal. ibid. & 7. de Simpl. medic. facult. Theophra. Lib.7. de hist. plant. Cap.4 esurit Medicos syluestris braßicæ succo ad aluum purgandam uti.

DISCVTIENDI. Nam tumores & tormina discutit, si cruda estur. Ruell. Lib.2. Cap.54.

CONCOQVENDI. Nam siue cocta siue cruda aceto intincta mire concoquit, tumida, & erumpit. Ruell. ibid.

ABSTERGENDI. Nam impetigines trita eius folia tollunt; epynictidas leuant, & lepras: Oribas.2. coll. medic. Cap.5. Braßica insuper faciem & lentigines exterit: Gal.7. Simpl. medic. Paul. Lib. 7.

EXTENVANDI. *Nam attenuat, & eius folia lienem extenuant, quæ priusquã coquantur conflaccescant, deinde trita superponantur. Gal. de att. uic. Cap. 2. Lib. 3. de med. par. facul.*

CIENDI. *Nam menses feruefactæ ius ex uino potum, aluumq; & lotium ciet: Crudusq; caulis si edatur partus emortuos pellit: uerum non insigniter urinam prouocat. Dios. ibidem. Gal. 2. al. Cap 45.*

GLVTINANDI. *Nam uulnera, & ulcera glutinat extreme malefica. Gal. 7. Simpl. medic. Paul. Lib. 7.*

IVVANDI *Nam conuenit stomachicis, aluo idonea est: Tabidis percocta tritaque remedio est Podagræ articularijsquè morbis medetur cum ruta coriandri, & salis mica, & hordei farina. claritati oculorum multum confert succo crudæ angulis uel tantum tactis cum attico melle: usque eo eius cibus alit, ut pueros ad citum perducat incrementum, & tanquam lætiore sagina corpus exhilaret: Aduersus serpentes, canes rabiosos, fongorum uenena aut ipsa estur, aut succus bibitur, ita boletis uescentes periculo liberat. Ictericis & splenicis in uino nigro per dies quadraginta datur potandus, tußim lenit, uocem instaurat, lumbricos interficit: aduersus depascentia ulcera gangrenasque ualet. subuenit tremulis, & his quibus oculi hebetiores sunt, modo hebetudo illa à nimia humiditate proueniat: Braßica insuper summo cibo sumpta crapulam discutit, & uini noxam restinguit, quia eius succus dulcis discutiendi & humores in aluum eliciendi uires poßidet, quibus deorsum cõuersis sequax uini uapor ad ima deuocatur, & sic crapula aboletur: Cyma suauißima & utilior stomacho, cum gelicidia sensit gratior cibis, tenerescitquè frigoribus: hyeme est edenda. Dios. ibid. Gal. ibid. & 3 de medic. part. facul. 3. Simpl. medic. Cap. 14. 2. de comp. medic secund loc. Cap. 1. Paul. Lib. 7. Ply. Lib. 19. Cap. 8. Aet. Serm. 1. Ply. Lib. 20. Cap. 9. Gal. 3. de loc. aff. Cap 7. Aui. Auer. ibid.*

NOCENDI. *Nam eius crimina sunt animæ grauitatem facere dentibus, & gingiuis nocere: uisus aciem obtundere, stomacho aduersari, & parum nutrire & inflare: eius succus est non probus sed prauus graueolensquè & melancolicus. Somnum per contraria insomnia interturbat, Sim. Seth. Eius Cyma difficilior in coquendo, & renibus contraria: inueterata sale stomacho aduersatur, aluum perturbat: ut autem ab eius nocumento braßica temperetur elixetur & aqua prima proiecta in alia aqua coquatur cum pinguißima carne, & condiatur coriandro pipere, cinnamomo & allio, & memor esto nihil quod his coquitur oportere neque aerem, neque aquam frigidam contingere: non enim poterit amplius, etiam si diutißime coxeris, plane tabescere: sed oportet aquam calidam habere paratam, ut cum ex priore extraxeris, in illam conijcias protinus cocta cum pingui carne plurimum noxe atque uitij amittit. flos eius semen genitale corrumpit, utero impositus concipere prohibet: pulmonem lædit. Dios. Gal. Aet. Paul. Ply. Aui. Auer. ibid. & Gal. de bon. & uic. succ. Cap. 4. & 3. de loc. aff. Cap. 7. Haly. 5. Theor. Cap. 16. Ras. 3. alm. Cap. 18. 23. cont. Cap. 683.*

BVLBI VIM H.

Et stomachum & uenerem cit bulbus, semen adauget:
Concoquit, atque inflat: praua alimenta dabit.

CALEFACIENDI. *Nam omnes bulbi species calidæ sunt: Esculenti tamen frigidiores & craßiores existunt. Serap. Gal.6.de Simpl.medic.facult.*

SICCANDI. *Nam sicci sunt in primo ordine & cum humiditate superflua desiccant. Paul.Lib.7. Aui.Lib.2.tr.2.Cap.88.*

ADSTRINGENDI. *Nam adstringendi naturam habent. Paul.Lib 7.*

ABSTERGENDI. *Nam abstergendi uim poßident: Quare abstergunt furfures, & ulcera quæ in capite manant: & uitia quæ sunt in facie cum melle & nitro in sole illiti emendant, lentiginem cum uino & cucumi cocto: eorum flos tritus crurũ maculas, uarietatesq; igne factas emendat: Combusti & alcionio permixti uitia cutis in facie tollunt, & nigras cicatrices emaculant, & ad candorem reducunt in sole corporibus illitis: Gal.6.de Simpl.medic.facult. Ply.Lib.20.Cap.9. Aui.ibid.*

DISCVTIENDI. *Nam sugillata uarosq; per se, uel oui luteo, & lentigines cũ melle & aceto discutiunt. Ply.Lib.20.Cap.9. Aui.Lib.2.tr.2.Cap.88.*

MATVRANDI. *Nam cocti cum polenta & suillo adipe collectiones, & panos suppurant, & compendio perrumpunt. Ruell.Lib.2.Cap.100.*

GLVTINANDI. *Nam uulnera conglutinant in cataplasmate impositi. Paul. Lib.7. Aet.Serm.1.*

IVVANDI. *Nam Aluo & stomacho utiles: stomachum enim firmant, & elanguescentis fastidiosique appetitus auiditatem reuocant: Vires reficere possunt; multum enim alimenti præbent, concoctionem adiuuant, & carnem creant: bis mutata aqua cocti, copiosius alunt. Elidunt screatu quæ glutinosa coierunt in pectore: Verum leniter elixi magis enutriunt, sed exuentes amaritudinem concoctu, non ita iuuant excreationem: semen prolificum producunt. Eluxatis, collisis, articulorum doloribus efficaciter illinuntur: infixa extrahunt spicula: Gangrænas & podagras ex melle, uel synceri aquæ intercutem tumores, & canum morsus cum melle ac piperis farina illiti cohibent: Sudores arcent, sedant & stomachi dolores: Fractas auriculas cum polenta; & incussos ungues sanant: Ficos tollunt in calidis cineribus torrefacti, & appositi: Cum aceto elixi manduntur ad rupta. Sunt cibus hyemis. Dios.Lib.2.Cap.165. Gal.6.Simpl.medic.2.al.Cap 66. 8 de comp.medicin.sec. loc. Cap.4. 5.de Simpl. medic. facult. Cap. 23. com.1. de Nat.hum.56. Paul. Lib 7. Aet.Ser.1. Paul.Lib.1.Cap.76. Ply.Lib.20.Cap.9 Aui.Lib.2.tr.2.C 88.*

NOCENDI. *Nam ægre concoquuntur, aciem uisus hebetant, uenerem stimulant, flatus excitant, & tormina pariunt; peditusq; conciliant; tarde & paulatim*

nutriunt, lentum succum procreant; linguas tonsillasquē exasperant: Copiosiore igitur eorum cibo abstinendum, quoniam neruos tentant; quare ab epilepticis & senibus fugiendi: Verum si elixi bis fuerint magis quidem nutrient, & melius erit tunc ipsos ex aceto oleo & garo mistis mandere. Suauiores enim sic fient, & magis nutrientes; flatusq; magis expertes, ac concoctu faciliores: Sed exigua admodum sunt elixatione contenti. Dios. Lib. 2. Cap 165. Gal. 1. de comp. medic secund. loc. Cap. 6. 6. Simpl. medic. com. 2. aph. 18. 5. de San. tu. Cap. 23. de puer. epil. De att. uic. Cap. 9. 2. al. Cap 66. 5. de San. tu. Cap 6. Aet. Serm. 1. Paul. Lib. 1. Cap. 76. Ply. Lib. 20. Cap 9. Aui. Lib. 2. tr. 2. Cap. 88. Vide Oribas. Lib. 15. Collecto. medicin. in littera B. in dictione propria.

BVTYRVM V. H.

Sputa trahit, carnemq; creat, pellitq; butyrum.
Virus, & emollit, uiscera laxat idem.

CALEFACIENDI. *Nam in primo excessu calidum est, Fitquè uetustate calidius.* Gal. 11. de Simpl. medic. facul. Aui. Lib. 2. tr. 2. Cap. 113.

HVMECTANDI. *Est enim in primo ordine humidum.* Aui. ibid.

CONCOQVENDI. *Nam concoquentis est facultatis: & omnes affectiones pectoris concoquit: & si solum lingatur, magis concoquit.* Gal. 10. de Simpl. medic. facul. Paul. Lib 7. Aui. ibid.

DIGERENDI. *Nam facultatis est mediocriter digerentis.* Paul. ibid. Gal. ibid.

EXTENVANDI. *Nam gingiuas extenuat præsertim puerorum dentientium.* Paul. Lib. 7.

DISCVTIENDI. *Nam modica est discussoria qualitate participans. Quare parotidas aurium, & bubonas, inguinum abscessus ipsum solum sæpe perfecte sanat, puerilibus corporibus, ac muliebribus affectis.* Aet. Serm. 2.

MOLLIENDI. *Nam oleosum est, & emolliens.* Dios. Lib. 2. Cap. 66. Ply. Lib. 28. Cap. 9. Aui. ibid.

MATVRANDI. *Nam maturatiuum est.* Auic. ibid.

RESOLVENDI *Nam resolutiuum est: & facultatis mediocriter distrahentis, in tenellis mollibusq; corporibus.* Paul. Lib. 7. Aui. ibid.

IVVANDI. *Nam recens obsonijs additum olei uicem pensat: & adipis uice fungitur in bellarijs: Barbararum gentium laudatißimus cibus, & qui diuites à plebe discernat: Quod magis uirus respuit, hoc præstantius iudicatur: Multipedum morsus cum melle sanat: cataphlasmatis inditur quæ extrinsecus imponuntur: parotidibus hypochondrij, & bubonibus & expuitionibus ex pulmone in pleuriticis, & peripneumonicis confert: ad uuluæ dolores & tumores & loca neruosa & delicata, & siccitatem pulmonis proprie uidetur facere; pur-*

gat

gat, replet, carnem creat: ab aspide percussis utilissime imponitur, prodest ubi oleũ non fuerit, contra uenena. pinguefacit ut oleum: eius fumus sedatiuus est dolorum materierum effusarum ad membra. Dios. Lib. 2. Cap. 66. Paul. Lib 7 Gal. 10. Simpl. medic. 3 de al facult Cap. 15. Ply. Lib 28 Cap. 9. & Lib. 11. Cap. 40. Lib. 28 Cap. 10. Aui. Lib. 2. tr. 2. Cap. 113.

NOCENDI. Nam etiam coctum stomacum debilitat, & eius uillos & asperitatem lenit, & quia aereum est, natat super cibum in stomacho, sicut oleum super aquam. Nauseam facit, in stomacho calido facile in choleram uertitur, cum unctuosum, & subtile, aereum, & facile inflammabile sit. Nocet humidam temperaturam habentibus; & qui eo in comestione usus fuerit phlegmaticas patietur egritudines. Cibis uiscositatem & crassitiem tribuit; propter quod ægrius digeruntur: & cibos digeri incipientes lubricat, & deponit à stomacho, antequam eorum sit completa cõcoctio. Remouetur autem eius nocumentum, si cum eo stiptica, & stomachum roborantia commiscentur. In uia cibi non est conueniens, sed tantum uia medicinæ cum amigdalis, & saccharo ad leniendum pectus, & ad superflua in ipso existentia maturandum. Placentæ ex butyro & simulagine sunt pessimi cibi, nisi mel recipiant. Butyro igitur nequaquam est utendum nisi pro condimento, & præsertim à pinguibus, quoniam multum impinguat. Dios Lib. 2. Cap. 66. Gal. 10. de Simpl. medic. facul. 3. al Cap. 15. 5. de San. tu. Cap 7. Aui. Lib. 2. tr. 2. Cap. 113. Paul. Lib. 7. Ras. 23 cont. Cap. 720 Ras. 3. alm. Cap. 15. Isac. &c.

CAPPARIS VIM H.

Capparis incidit, purgatq; & menstrua pellit,
Officit hæc stomacho gignit & esa sitim.

CALEFACIENDI. Nam potens est sua acrimonia calefacere: & generata in terra calida calidior est: calorquè totius est in excessu secundo. Gal. 7. Simpl. medic. Aui. Lib. 2. tr. 2. Cap. 141. Isac in part. diæt.

SICCANDI. Nam eius siccitas est in 2. ordine. Aui. Isac. ibid.

ADSTRINGENDI. Nã cõtrahit stringit, et sua acerbitate coagulat Paul. Li. 7.

ATTENVANDI. Nam attenuat, & ex oximelite, uel aceto, uel oleo citra calorem extenuat. Gal de uict. att. Cap. 2. 4 de San. tu. Cap. 6. Aui. ibid.

DIGERENDI. Nam chæradas, et tumores duros digerit. Gal. 7. Simp. medic.

INCIDENDI. Nam sua acrimonia secat, & incidit & ipsius radix est incisiua. Gal. Paul. Auic. ibid.

ABSTERGENDI. Nam abstergendi facultate pollet, & eius radix uitiligines albas tollit, si tritæ in sole fricentur, uel cum aceto. Dios. Lib. 2. Cap. 169. Paul.

Gal. ibid. Oribas. Lib. 15. collect. medicin. in littera C. in dictione capparis.

DISCVTIENDI. Nam hæpatis ac lienis obstructiones, strumasque ac duritias discutit. Dios. Gal. Paul. Auic. ibid. Ply. Lib. 20. Cap. 15.

EXPVRGANDI. Nam noxios capitis humores purgat ac detrahit; pituitam per aluum exigit: & ulcera omnia quæ occaluerunt expurgat. Dios. Auic. Paul. ibid. & Paul. lib. 1. Cap. 74. Gal. 2. al. Cap. 34.

CIENDI. Nam urinas trahit, cruentaque strigmenta pellit: & menstrua promouet. Dios. ibid. Auic. ibid. Gal. 7. Simpl. medic.

APERIENDI. Nam aperitiua est, & lienis ac iocineris obstruentes infarctus expedit. Auic. Gal. ibid.

IVVANDI. Nam collapsam appetendi uim excitat fructus qui sale conspersus adseruatur, alioqui cito corruptionem sentit: Recens salem non expertus plus alit, quàm eodem inueteratus; aluum tamen magis mouet: elutus & tantisper maceratus dum omnem salis naturam deponat, minime quidem enutrit, sed elanguescentem appetentiam inuitat; Fastidia ciborum discutit. Verum ad hos usus præstandos ex aceto mulso aut oleo & aceto cæteris dapibus debet præponi. Teneris germinibus dum uirent cum aceto & sale uescuntur, atque ad usus recondunt. Ferunt eos qui quotidie edunt resolutionẽ neruorum non periclitari, nec lienis doloribus. Radix spleneticis prodest in uino pota: bibitur in lumborum doloribus ac paralysi: Dentium dolores sedat tritum ex aceto semen decoctum, uel manducata radix: Infunditur aurium dolori decoctum oleo. ulcera omnia uetusta & sordida folia & radix recens sanat: oris exulcerationes in aceto decocta tollit; iocinoris quoque malis medetur: Vermiculos aurium necat: Dant ad tineas in aceto & melle: semen cõuenit ruptis & conuulsis. Dios. Lib. 2. Cap. 169. Gal. 7. Simpl. medic. 2. al. Cap. 34. 4. de San. tu. Cap. 6. Aui. Paul. ibid Ply. Lib. 20 Cap. 15.

NOCENDI. Nam licet collapsam appetendi uim excitet, aluum tamen conturbat, stomacho officit, ipsius enim neruos percutit: sitim creat, inflationes excitat: non admodum probum gignit succum acris est, parum alimoniæ uescentibus tribuit: medicinæ potius quam cibo nascens: cocta tamen stomacho, quam cruda utilior est: usus eius in primordio cœnæ commendatur, ex aceto mulso, uel ex oleo atque aceto. Dios. Gal. Paul. Auic. Ply. ibid. Ras. 3. alm. Cap. 19. Isac. in p. d. Ras. 23. cont. Cap. 664. Oribas. 1. collecto. medicin. Cap 61.

Cit lotium cinara atque graues emendat odores:
Calfacit, & siccat, bilis & inde nigra est.

CALEFACIENDI. *Nam calfacit secundo & completo ordine, aut tertio incipiente.* Gal. 8. Simpl. medic. Paul. Lib. 7. Aet. Serm. 1.

SICCANDI. *Nam in siccando in secundo ordine censeri meretur.* Gal. Paul. Aet. ibid.

APERIENDI. *Nam eius decoctum obstructiones uiæ urinæ aperit.* Gal. de Ren. aff. dign. Cap. 5.

EXPVRGANDI. *Nam eius succus purgatorius est: quare purgat renes, & meatus.* Gal. 8. Simpl. medic. & de ren. aff. dign. Cap. 5.

CIENDI. *Nam eius radix in uino elixa potaquè graueolentem urinam affatim eijcit, & urinam crassam ducit.* Gal. 8. Simpl. medic. de cura. icter. de ren. aff. & dign. Cap. 8.

IVVANDI. *Nam in uictus usum uenit, & lautioribus mensis, pro sigillandis ac roborādis stomachis apponitur: qui hibernis mensibus terra obruitur, & albus, ac delicatissimus redditur: Herba cum recens tenerescit in cibis asparagi modo recipitur. Cinaræ quas carchiophos romani hodie nuncupant, adhibentur conuiuijs asparagi modo iuribus incoctæ, & ex oleo sale, & aceto. Folia quoque (ut dictum est) ineunte hyeme obruunt humo nonnulli; sic candorem asciscere, & amaritudinem exuere promittunt, ut in hybernos cibos gratius admittātur. Radices per hyemem ex sale & piperis polline secundis mensis edunt. Manducatus carduus stomachum roborat, & odorem commendat oris. Sanat lichenas & lepras ex aceto: Graueolentiam alarum uniuersiquè corporis uirosos odores emendat, si emedullatæ radicis cinaræ uncia in uini falerni heminis tribus decocta ad tertias & à balneo ieiuno, Item post cibum cyæthis singulis pota. Dios. iubet illini. In uino decocta si bibatur tædia eadem emendat.* Dios. Lib. 3. Cap. 14. Gal. 8. Simpl. medic. 2. al. Cap. 51. Paul. Lib. 7. Aet. Ser. 1. Aui. Lib. 2. tr. 2. Cap. 340. Ply. Lib. 19. Cap. 4. & Lib. 20. Cap. 23.

NOCENDI. *Nam cinara prædura officit stomacho, succum creat improbum; uenerem stimulat: Galenus cinaræ cibum cum duritiam contraxit, ut mali succi, damnat, qui in biliosum humorem habeat: cum uero iam in lignum occalluit atram creat bilem adeo ut ex eius dura parte bilis atra, ex succo eius tenuis & biliosus humor enascatur. Proinde coctam comesse præstiterit cum coriandro, dein ex oleo, garo, Vinoquè sumatur. Si tamen in sartagine uel patinis ad esum paretur, coriandrum non erit addendum.* Gal. 2. al. Cap. 51. Aui. Lib. 2 tr. 2. Cap 349. Aet. Serm. 1.

CARYOPHYLLVM V.H.

Est Caryophyllon cordi stomachoquè salubre,
Et uenerem stimulat, uiscera lædit idem.

CALEFACIENDI. *Nam tertij est fere excalfacientium ordinis.* Paul. Lib. 7. Serap. Cap. 307. Auer. 5. coll. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 318.

SICCANDI. *Nam siccat in tertio propemodom ordine.* Paul. Aui. ibid.

DISCVTIENDI. *Nam panes discutit, & oculorum nubeculas argemasquè exterit.* Serap. Paul. Auic. ibid.

APERIENDI. *Nam obstruentes iocineris infarctus aperit.* Serap. ibid.

IVVANDI. *Nam multiplicis est usus tum ad obsonia; tum ad alia multa medicamenta: Iocineri, stomacho, & cordi auxiliatur, & omnia principalia membra confortat: Contractam humore nauseam leuat: halitus emendat grauitatem: Quare ijs mandi solet, & ore contineri, quibus anima foetet: corroborat stomachum, iuuat concoctiones & alui fluxiones cohibet. tollit oculorum caligines, atque uisum exacuit. In cibis frigidis & humidis conuenit, bonum ipsis præstans odorem; Valet contra paßiones frigidas, & in præfocatione uteri puluis eius bibitur cum uino odorifero calido, & tale uinum odore suo confert præcipitationi eiusdem. Eligatur quod in superficie habet aliqualem planitiem, acuti saporis, & coloris ad aliquantulum ruborem uergentis.* Paul. Lib. 7. Serap. Cap. 307. Ply. Lib. 12. Cap. 7. Aui. Lib. 2. tr. 2. Cap. 318. Auer. 5. coll. Sauon. tr. 2. Cap. 5. rubr. 10. Ras. 3. alm. Cap. 22.

NOCENDI. *Nam Venerem stimulat, eiusq; puluis quatuor drachmarum pondere cum lacte sumptus uenereas uires adauget: Acre est, uiscera lædit: Ventrem constipat: Non igitur in multa quantitate est caryophyllis utendum, quia superfluam caliditatem inducunt, & cibos reddunt amaros. Quare potius in hyeme, quã in alijs anni temporibus, presertim phlegmatici caryophyllis utantur.* Serap. Cap. 307. Paul. Lib. 7. Auer. 5. Coll. Auic. Lib. 2 tr. 2. Cap. 318. Ras. 3. alm. Cap. 22.

Caseus

CASEVS V. H.

Caseus est gratus stomacho, uentriquè uetustus
Renibus, & Iecori perniciosus erit.

CALEFACIENDI. Nam salitus antiquus est calidus in secũdo excessu: Recẽs autẽ præsertim sine sale, & nuper cõpactus ac mollis in secundo excessu frigidus est. Gal.4.Simpl.medic.Cap.17. 10.Simpl.med. Paul.Lib.7. Auic.Lib.2.tr.2.C.126.

SICCANDI. Nam salitus antiquus est siccus ordine secundo: Recens autem eodem est humidum ordine. Gal. Auic. ibid.

REPERCVTIENDI. Nam recens ac nuper compactus ac mollis repercussoriã poßidet facultatem. Paul.Lib.7. Gal.10.Simpl.medic.

DISTRAHENDI. Nam inueteratus atque in primis pinguis, distrahendi ui præditus est: qua quidem facultate ad arthriticorum tophos est salubre remedium; atque potißimum addito decocto carnis suillæ cum salsæ, tum pinguis. Paul Lib.7. Gal.10.Simpl.medic.

ABSTERGENDI. Nã abstersiuus & mũdificatiuus est. Aui Lib.2.tr.2.C.126.

SVBTILIANDI. Nam caseus subtiliat. Gal.de diß.cont.

ADSTRINGENDI. Nam emansus uentrem cohibet, & adstringit: uerũ recens & modo coactus ad deijciendam aluum sumitur ante cibum: Gal.de Ther.ad Pis. Cap.4. 3.Simpl.medic.Cap 16. de bon.& uic.Suc.Cap.4.

IVVANDI. Nam recens & modo coactus ad deijciendam aluum ante cibum assumitur & uentrem lenit: est nutritiuus & impinguatiuus: sine sale enim sumptus alit. stomacho calido utilis est; & in membra facile delegatur: carnem facit: Post cibum assumptus quantumuis parum os sigillat stomachi: uulnera committit impositus. Prohibet apostemari plagas, sanat ulcera & arthriticorum tophos. Facit recens salsus ad oculos purulentos, & ophtalmia laborantes, & ad sugillata: nam non dum inueteratus mixtam facultatem habet; obductricem ex se ipso, discussoriam uero, & aliqualiter adstringentem ex sale. Vetustiore sistitur aluus: Est cibus hyemis. Rarus & laxus duro & compacto præstantior est; & mediocriter salitus, salito, & eo qui est omnino salis expers. Paul.Lib.7. Gal.10. Simpl. medic. 3.al. Cap.17. de bon. & uic. suc. Cap.4. de diß. cont. de ren. par.fac. 5.de comp. medic.secund.loc Cap.1. 5.Simpl.medic.Cap.1. Dios.Lib.2.Cap.65. Aet.Ser.2. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.126. Gal.de nat.hum.Cap.1.

NOCENDI. Nam acrimoniam habet, atque sitificus est, concoctioni renititur: prauum humorem flatum & calculum parit: humorem melancolicum gignit, & obstruit: stomacho aduersatur sale conditus, negotium uentri interaneisquè exhibet: Præstantior est, & minus officit, non uetustus, laxus minime durus, nec insuauis, &

mediocri sale conditus, nam recens non salitus frigido stomacho aduersatur: salitus uero uelociter in digestione quã non salitus, & celerius descendit: Qui contrarijs constat perniciosißimus est. In caseo maxime cauendum est ne cum subtiliatiuis & diureticis siue aperientibus assumatur quoniã perducunt ipsum ad renes, & lapides faciunt: in pauca etiam quantitate est sumendus post aliorum ciborum comestionem: tunc enim os stomachi sigillat, & fastidium pinguium eduliorum remouet, & concoctioni ac capiti proficit. Dios. Gal. Paul. Aet. Auic. ibid. Hip. 4. de att. uic. 90. Isac. in part. diæt. Ras. 3. alm. Cap. 15. & 31. cont. Cap. 203.

CASTANEAE V. H.

Castaneæ stringunt, inflant ægreq; coquuntur:
Et caput offendunt, his uenus alma uiget.

CALEFACIENDI. Nam calidæ sunt in medio primi excessus: & significatio earum caloris est dulcedo. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 286. Isac in part. diæt.

SICCANDI. Nam siccæ sunt in secundo ordine: earum nanque ponticitas innuit siccitatem. Auic. Isa. ibid.

ADSTRINGENDI. Nam parum adstringunt, & propterea dysenteriæ conueniunt, & fluxui intestinorum. Gal. de bon. & uic. suc. Cap 4. 2. al. Cap. 38. Auic. ibid.

ABSTERGENDI. Nam in ipsis est abstersio. Auic. ibid.

SISTENDI. Nam uehementer sistunt alui & stomachi fluxiones, & sanguinem excreantibus prosunt; ijsque in uino maceratis, & cum farina subactis peßi uice utuntur ad supprimendos menses. Gal. 2. al. Cap. 38. de bon. & uic. Cap. 4. & 8. Dios. Lib. 1. Cap. 22. Auic. ibid.

IVVANDI. Nam ex omnium glandium genere optimæ ac præstantißimæ sunt castaneæ, & sunt cibaria media, & non praui succi: ex ipsis uariæ gentes annonæ penuria panem parant: & si recte in uentriculo conficiatur alibiles sunt, ac craßi succi, non tamen praui: carnes alunt, memorabile enim corpori sufficiunt alimẽtum: Earum caro his qui ephemerum biberunt conueniens est. Tritæ cum melle & sale rabiosorum morsibus imponuntur: mammarum duritias discutiunt cum hordeaceo polline, & aceto impositæ. Dios. Lib. 1. Cap. 22. Gal. 2. al. Cap. 38. de bon. & uit. succ. Cap. 4. & 8. de diß. cont. Paul. Lib. 1. Cap. 81. Aet. Serm. 1. Ply. Lib. 16. Cap. 5.

NOCENDI. Nam copiosum corpori alimentum præbent, tarde transeunt semper sunt prauæ siue elixentur, siue assentur, siue frigantur & multo magis si crudæ edantur: sunt craßi succi; uentrem supprimunt, ægre coquuntur, capitis dolores creant; inflationes pariunt; uenerem excitant. Tostæ tamen crudis innocentiores

sunt: Et *quæ sub cineribus coctæ sunt flatus amittunt*: *Arefactæ enim multũ noxæ remittunt*: *optimum licet siccum præbent alimentum, modo uel sacchar o, aut pipere, uel sale comedantur in fine mensæ. Biliosi autem cum saccaro, cum melle phlegmatici comedant. Non coquantur in frixorio super flammam, quoniam inde malam acquirunt qualitatem suffocantem, quæ ex uini optimi tollitur essumptione. Quare inter prunas potius coqui debent. Gal. de att uic. Cap.10. de bon. & uit. succ. Cap.4. 2.al. Cap.38. Aet. Serm.1. Auic. Lib.2.tr.2. Cap.286. Isac. in part. diæt. Sim. Seth.*

CEPA VIM H.

Cepa iuuat stomachum reuocando sitimq́; famemq́;
Calfacit, incidit, largior usus obest.

CALEFACIENDI. *Nam corpus calefacit, & est in quarto ordine calida. Gal.7. Simpl. medic. 2.al. Cap.71.*

SICCANDI. *Nam exiccat & est sicca in quarto gradu, habet tamen humiditatem quandam superfluam*: *Gal.3.al. Cap.2. Auic. Lib.2.tr.2. Cap.122. Haly.5. Th. Cap.17.*

ABSTERGENDI. *Nam abstersoriam quandam uim poßidet, albas cutis notas cum aceto emaculat, & expungit*: *Faciemq́; rubificat. Gal. 7. Simpl. medic. Paul. Lib.7. Auic. ibid. Aet. Serm. 1.*

ATTENVANDI. *Nam crassos & uiscosos humores attenuat. Gal. de att. uic. Cap.2. 2.al. Cap 71. Aet. Serm. 1.*

INCIDENDI. *Nam lentos humores incidit. Gal.2.al. Cap.71.*

CONCOQVENDI. *Nam elixa, & cum paßis uuis, & fico illita, tabercula concoquit, & celerrime rumpit. Dios. Lib.2. Cap.145.*

APERIENDI. *Nam uasorum oras aperit, & hæmorrhoidas apposita*: *Quare cepis utatur senex qui cibis obstruentibus sit usus. Gal.5. de San. tu. Cap.6. 2 al. Cap.71.5. Simpl. medic. Paul. Lib. 7.*

CIENDI. *Nam hortensis urinã mouet, & menses. Gal. de cur. icter. Dios ibid.*

EXPVRGANDI. *Nam eius succus caput purgat naribus infusus. Dios. ibid.*

IVVANDI. *Nam aluo utilis, expurgat, appetentiam inuitat, semen genitale gignit*: *Succus eius cum melle illitus oculorum hebetudinibus, argemis, nubeculis & incipientibus suffusionibus auxiliatur*: *Angine eodem perunguntur*: *canis morsibus cum aceto ruta & melle illinitur*: *cum aceto perunctus in sole uitiligines sanat*: *citæ aluo prodest, in auribus sonitum ac grauitatem emendat*: *Alopeciæ eius succo perfricantur qui celerius quàm alcyonum pilos euocat*: *cocta utilis fit ad Thora-*

tis asperitates & tusses.

Dios.Lib.2.Cap.145. Gal.7.Simpl.medic. 2.al.Cap.71. Paul. Lib.7. Aet. Ser.1. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.122. Ply.Lib.20.Cap.5.

NOCENDI. *Nam acris est, parum alit, malum succum gignit, incendit, carnem mordicat, exulcerat, erodit, fastidium parit, sitim excitat, & coitum, fiatuosa est, caput replet, & inflammat; ægre concoquitur: olfactu uteri strangulatus excitat; copiosior in cibo febrem accendit, capitis dolorem facit, stomacho officit, lætargicos efficit, Mentem lædit, oculorum aciem hebetat, & lachrymas ciet, quia uaporem calidum tenuem ac lentum expirat, qui ad oculos irrepans lentitia coherit, & sua tenuitate lancinans dolorem excitat, & sic lachrymas exigit: Acrior est oblonga quã rotunda, rufa quam candida, siccata quam uirens, recens quam sale condita, cruda quam cocta. Si coquatur plurimum malignitatis deponit, & nutrit: cum aceto comesta seu bis decocta innocentior redditur. Eligantur cepæ modicæ acuitatis, & lauentur in primis cum aqua & sale, deinde cum aceto forti, quoniam inde cessabit earum acuitas: & post ipsarum comestionem medulla cucumeris comedenda, insultum enim ipsarum in capite fieri prohibet. Abstinendum ab assiduo ceparum & omnium acrium usu; & potissimum cum is qui ipsis uescitur natura fuerit biliosus: Solis enim qui uel succum pituitosum, uel crudnm & crassum ac lentum aceruarint cibi eiusmodi sunt accommodati.* Gal ibid. & de bon. & uit. succ. Cap 8. 2.al.Cap.71. de att.uic.Cap.2. de ocul. de puer.epil.12.met.med. Cap.8. Aet. Dios. Paul. Auic.ibid. Haly.5.The.Cap.17. Ras.3.alm.Cap.18. 25.cont.Cap.1.

CERASIA VIM H.

Sicca aluum sistunt, eademq; recentia soluunt:
Sunt Cerasa austeris dulcia sana minus.

REFRIGERANDI. *Nam frigida sunt in primo excessu. Sed eorum quæ admodum dulcia sunt, nullum omnino est frigidum:* Gal.4. Simpl. medic. Cap.7. Sauon.tr.2.Cap.6.ru.15.

HUMECTANDI. *Nam dulcia humida sunt in primo gradu.* Gal.1.al.Cap.1. Sauon.ibid.

INCIDENDI. *Nam acida non nihil incidunt* Gal.7.Simpl.medic.

EMOLLIENDI. *Nam dulcia & uiridia uentrem lubricant sed acida & siccata aluum sistunt, & adstringunt.* Dios. Lib.1. Cap. 129. Gal. 2.al. Cap. 12. 7. Simpl.medic.

IVVANDI. *Nam aluo utilia sunt si uiridia sumantur, eadem siccata illam sistunt: Dulcia plus humectant corpus; quapropter aluum cient: acida & austera*

plus refrigerant, & adstringunt: obstruentes iocinoris infarctus leuant, flauam bilem extinguunt, pituitosis excrementosisquè stomachis sunt idonea: Rubentia præstant, quòd urinam pellant: Principatus duracinis. Porrò acria siue acida cerasa gratissima reperiuntur, quæ saccaro aut melle condita reseruantur, ut illis postea febricitantes ad arcendam sitim utantur. Gummi quod ex arbore destillat ueteri tussi medetur; ex uino diluto sumptum gutturis asperitates lenit; fastidia discutit, & ciborum appetentiam molitur. Colorem cutis gratiorem facit, & oculis affert claritatem; calculosis prodest in uino potum, lichenes infantium ex aceto sanat. Dios. Lib.1. Cap.129. Gal.7. Simpl.medic. Ply.Lib.15.Cap.25. Diphil. Siphil. Aet.Serm.1.

NOCENDI. Nam mali succi sunt, humidum uentriculum lædunt præsertim cū non sunt maturæ. parum subministrant alimenti: dulcia lenta sunt, sed numerantur inter fructus minus noxios, qui non reponuntur. Dulcia magis quæ in intestinis sunt subducunt, sed minus grata stomacho sunt, ipsiquè officiunt. Abstinendum itaq; à cerasiis, quoniam mali succi sunt: nisi si quando tamen necesse sit æstatis tempore laborantibus corporis totius squallorem caloremquè curare: Quo plane tempore commode sumi prius cerasa poterunt: quoniam cito putrescunt; propterea duriora meliora; quoniam non ita de facili corrumpuntur. Dios. Lib.1. Cap.129. Gal.1.al.Cap.1. 7.Simpl.medic.de att.uic. Cap.10. de bon. & ui.succ. Cap.13. Paul: Lib.1.Cap.81. Sim. Seth.

CICER VIM H.

Cit cicer, extergit, lac auget sperma colorem:
Inflat idem, & lapides frangere sæpe solet.

CALEFACIENDI Nam cicera omnia calfaciunt in primo ordinē: fulua autem flaua, & rubra albis calidiora sunt: & illa species quæ orobea uocatur calidior est. Gal.6.Simpl.med. & 4.Simpl.medic. Paul.Lib.7. Auic.Lib.2.tr.2. Cap.131.

SICCANDI. Nam desiccat in primo excessu. Gal.6. Simpl.medic. Aui.ibid.

DIGERENDI. Nam digerendi possidet facultatem. Gal.ibid.

INCIDENDI. Nam incidendi ui pollet. Gal. ibid.

DISCVTIENDI. Nam testes induratos & parotidas discutit Gal.ibid.

ABSTERGENDI. Nam proras, lepras, lentigines, & lichenas extergit; impetiginesquè & scabiem exterit: & abstersoria uis est illi quam fabæ ualidior. Gal. 6. Simpl.medic. & 1.al.Cap.22. Paul.Lib.1.Cap.79.

GENERANDI. Nam lacti & semini generando est aptum. Gal.ibid. Oribas. 1.collecto.medicin.Cap.20

EXPVRGANDI. Nam amaritatis ui cuius est particeps, & lienem & iecur &

renes expurgat. Gal.6.Simpl.medic.

ATTRAHENDI. Nam partus attrahendi uim poßidet. Gal. Auic.ibid.

CIENDI. Nam ciendæ urinæ idoneum est producit uero & menses: & quod uocatur Arietinum cæteris efficacius lotium prolicit. Gal. Paul. Auic. ibid.

IVVANDI. Nam legumen est probe nutriens, uentri cōmodum: Satiuum aluo idoneum, coloris hilaritatē præstat, uocem clarificat, creatos in renibus calculos & confringit, & comminutos deturbat: Semen prolificum generat. Magnantia capitis ulcera sanat: efficacius syluestris: emendat lichenas, & testium collectiones: regiū morbum, hydropicos, formicas, psoras: gangrænis cum melle utiliter illinitur, & ijs ulceribus, quæ cachæte nominantur: Arietini folijs sarmentisquè decoctis in aqua quàm maxime calida morbos pedum tolli, columbini decocti aqua horrorem tertianæ & quartanæ febris minuere traditur. Nigrum cum gallæ dimidio tritum oculorum ulceribus ex passo medetur. Verrucarum in omni genere prima luna singulis granis singulas tangunt, eaquè grana in lenteolo deligata abijciunt post se, ita fugari uitium arbitrantes. Farina comitiales, & iocinorum tumores, & serpentium ictus sanat. Ex ciceribus satius est decoctum bibere: cicercula substantia quidem erui alis, & phaselis est adsimilis: cuius cremorem phaselis præferunt in alendo potentiorem: Magis enim in aluo proficit. Gal.1.al. Cap.26. Aet. Serm.1. Ply.Lib. 22.Cap.25. Dios.Lib.2.Cap.97. Gal.6.Simpl.medic. 9.de comp. med. secund. loc. 1.al.Cap.22. Paul.Lib.1.Cap.79. & Lib.7. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.131.

NOCENDI. Nam difficulter cicera concoquuntur, & excrementa gignunt. Et eorum ius uesicæ morbis supra cætera legumina officit. Sim. Antioch. Legumen est: Venerem stimulat, pudenda intendunt: lędunt omnia cicerum genera exulceratam uesicam & renes, uentrem laxant: uiridia excrementosum & humidum præbent alimentum, non minus frixa sale, quæ licet flatum deponent, concoctu tamen pertinaciora redduntur; magisquè uentrem adstringunt: & corpori craßius exhibent alimentum & mali chymi: innocentiora redduntur cicera, si cum ipsis rosmarinus & allium decoquantur, maxime si cum carnibus comedantur, & cum cinnamomo. Cicercula similem ochris, & phaselis habet substantiam: itemquè similem succum, sed compage craßiorem: lędit exulceratam uesicam, & renes: auertit tamen malum ipsius incoctum ipsi rosmarinum & mansum, ut etiam allium. Gal. Aet. Ply. ibid & Simph. Camp. tiros. Gal. Lib.3. p.3. Cap.2. Dios. Lib 2. Cap. 97. Gal.1.al. Cap.22. Hipp.& Gal.4. de rat. uic. 92. de diß.cont. de bon & ui. Succ. Cap 7. Ply. Lib.22. Cap.25. Paul.Lib.1. Cap.79. Aet. Serm.1. Auer.5. coll. Isac. in part. diæt. Hal.5. Theor. Cap.15. Ras.3. alm. Cap.2. & Lib.4. suorum aph. Auic.Lib.2. tr.2. Cap.131.

CICHORIVM V. H.

Intybus est Iecori medicina, & morsibus atris:
Frigoreque adstringit, uentriculumque iuuat.

REFRIGERANDI. *Nam frigidæ temperaturæ est secundo excessu. Porro Domestica seris magis etiam quam agrestis refrigerat. Dios. Lib. 2. Cap. 125. Gal. 8. Simpl. medic. Paul. Lib. 7. Oribas. Lib. 15. collecto. medicin. in littera S. in dictione Seris, & in Lib. 2. Cap. 2.*

SICCANDI. *Nam siccæ temperature est: secundo excessu. Gal. ibid.*

ADSTRINGENDI. *Nam adstringẽtis facultatis est particeps. Gal. 8. Simpl. medic. 8. de comp. medic. secund. loc. Cap. 8. Dios. ibid.*

SISTENDI. *Habet enim stipticitatem quandã qua de causa iocinorosis cõfert dysenterijs. Et utraque seris si in aceto coquatur cibo sistit uentrem: Succus autẽ decocti cichorei uentrem soluit. Paul. Lib. 7. Ply. Lib. 20. Cap. 8. Dios. ibid.*

DISCVTIENDI. *Nam in cibo sumptum illitumque collectiones & tormina discutit. Item regiũ morbũ è mulso si sine febre sit. Gal. de cur. ict. Ply. Lib. 20. C. 8.*

CIENDI. *Nam mulierum purgationibus decoctum in aqua adeo prodest, ut emortuos partus trahat. Ply. Lib. 20. Cap. 8.*

IVVANDI. *Nam cibarii genus est, ipsumque comedunt homines fame adacti: & coctum & crudum. Facit ad capitis dolores, cum uino expurgat in icteris: stomachum adiuuat: syluestræ genus stomacho utilius, quando deuoratum torpentem & dissolutum adstringit; ardores in eo refrigerat: per se & cũ polenta cardiacis illinitur: cor confortat: podagricis utile: & contra oculorum impetus, percußis à scorpione ipsa herba & radix illitu subuenit; & ignibus sacris cum polenta medetur: Succus cum cerusa & aceto ualet ad illitus eorum quæ refrigerationem desiderant: Optimum est cichorium medicamentum calidis iecoris intemperaturis: quia ultra hoc quòd moderate refrigerat, amplius robur uisceri additur per adstrictoriam facultatem: & extergit commissuras oculorum uenarum quæ sunt in ipso. Et dicitur quòd est conueniens complexioni hepatis quocunque modo sit, calidæ quidem est: uehementer conueniens & non est nocumentum ipsius frigidæ, nocumentum reliquarum specierum olerum frigidorum: Iocinori itaque renibus & stomacho prodest: uesicam iuuat: confert quartanæ & febribus frigidis: Adijciunt Magi succo totius cum oleo perunctos fauorabiliores fieri: & quæ uelint facilius impetrare: uerum sciendum quòd differt endiuia à cichorea tanquam domestica à syluestri: Nam endiuia domestica & hortis familiaris est: ex qua aqua & syrupus in officinis parari debent; non autem ex lactuca syluestri; Dios. Lib. 2. Cap. 125., & ibi Matthiol. & Amat. Lusit. Gal. 8. Simpl. medic. de rem. par. fac. de cur. ict. 2. al. Cap. 31.*

& 41. 8.de comp.medic.secund.loc.Cap.4.& 8.de diß. cont. Ply.Lib.20.Cap.8. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.233. Aet.Serm.1.

NOCENDI. Nam est uitiosißimi succi; & peiorem generat sanguinem, quam lactuca; & deteriorem; quia maioris est amaritudinis: Quapropter plurimum in uia medicinæ commendatur, sed modicum admodum in uia nutrimenti: ab habentibus calidas temperaturas sæpius & audacter accipiatur crudum aut coctum prout stomachus fortis extiterit. Gal.de bon.& ui.Suc.Cap.8. Aet.Serm.1. Auic.Lib.2. tr.2. Cap.233. Ras.23.cont.Cap.714.

CINNAMOMVM V. H.

Extenuant, uirusquè adimunt, caligine ocellos
Cinnama odora leuant: commoda multa ferunt.

CALEFACIENDI. Nam tertiæ est excalfacientium claßis & uentrem heparquè calefacit. Dios.Lib.1.Cap.13. Gal.7.Simpl.medic. Paul.Lib.7.

SICCANDI. Nam tertiæ est resiccantium claßis: nihil autem æque desiccat eorum quæ pariter calfaciunt propter tenuitatem essentiæ, iecorisquè & alui desiccat humores. Dios. Gal. & Paul. ibid.

ABSTERGENDI. Nam uitia cutis in facie, & lentigines uitiliginesquè emendat ex melle. Dios. ibid. Gal.8.de comp.medic.sec.loc.Cap.2 6.de san.tu.C.10.

INCIDENDI. Nam crassos & lentos succos incidit,& dissecat.Gal.7.Simpl. medic. 6.de San.tu.Cap.10.

EXTENVANDI. Nam craßitiem extenuat, & attenuare potest si quid uiscosum & crassum in humoribus feratur. Dios. ibid. Gal.8.de comp.medic. secu.loc. Cap.2. 6.de San.tu.Cap.10.

DISCVTIENDI. Nam discussoriam uim poßidet; Quare oculorum caligines discutit; & robur organis addit. Ventositatemq; dissoluit. Dios. ibid. Gal.4. de comp.medic.secund.loc.Cap.4. & Lib.6.Cap.1. de diß.cont. Aet.Serm.1.

DIGERENDI. Nam lentitiam pituitæ digerit. Dios.Lib.1.Cap.13.

CONCOQVENDI. Nam concoquendi poßidet facultatem. Dios.ibid.

APERIENDI. Nam obstructiones hepatis, uentrisq; meatus adaperit.Gal 8. de comp.medic.secund.loc.Cap 2.

MOLLIENDI. Nam emollit, & induratas affectiones sanare potest: etenim maturatiuum existit. Dios. Lib.1.Cap.13. Gal.de ocul. 7. de comp. medic.sec. loc. Cap.2.

CIENDI. Nam urinas cit, Menses pellit, partus abortu uitiatos abigit potum cum Myrrha, uel subditum uuluæ, & prouocat sudorem. Dios. ibid. Gal.de cathart.5.Simpl.medic.Cap.22.

Expurgandi

EXPVRGANDI. Nam ſtomachum expurgat, & matricem eius peßarium purgat, & ea quæ oculos obſcurant. Gal. de cathart.

IVVANDI. Nam ſtomacho utile eſt, cibi coctionem iuuat: inferctionis uitia expedit: corroborat omnia membra abſtergit uiſus caliginem: Morſibus ſerpentum, ſcorpionum, & uenenatorum animalium aduerſatur: Aquæ intercutem, & perfrictionibus membrorum auxiliatur: Quapropter peculiaribus frigidorum & humidorum corporum condimentis ipſum inſerere conuenit: Tußibus humore concitatis prodeſt: pituitæ diſtillationes cohibet: ad renum dolores, & urinæ difficultati expetitur: ſuccurrit cardiacis, eſt enim lætificans; ſomnos allicit: inteſtinos laxat infarctus: putredinoſas, & uenenoſas facultates corrigit: Solet pretioſis unguentis confundi: & in ſumma magni ad omnia uſus. Porrò ut diutius ſeruetur terere cinnamomum oportet, & in paſtillos ex uino digeſtum in umbra ſiccare. Dios. Lib. 1. Cap. 13. Gal. 7. Simpl. medic. 8. de comp. medic. ſecund. loc. Cap. 3. Aet. Serm. 1. Paul. Lib 7. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 127. & Lib. 3. fen. 13. Cap. 13. & fen. 14. tr. 1. C. 3. & de medic. corò. tr. 2. Ply. Lib. 12. Cap. 19. & 28. Auer. 5. coll.

NOCENDI. Nam acre eſt, Vis ei feruens, Veſicam lædit, & facit abortum. Gal. 6. de San. tu. Cap. 10. de Simpl. medic. Aet. Serm. 1. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 127.

CITRIA VIM H.

Citria non tenuem dant ſuccum ægreque coquuntur.
Et rubeæ bilis uim reprimendo iuuant.

REFRIGERANDI. Nam in ſucco uincentem habent qualitatem acidam, ut ipſa ſint tertii ordinis refrigerantium: cortex autem ipſorum temperiem eſt ſortitus non parum acrimoniæ poßidentem, & propterea non frigidus eſt, ſed aut temperatus, aut paulo infra. Gal. 7. Simpl. medic. Paul. Lib. 7

SICCANDI. Nam eorum cortex in ſecundo ordine ſiccus exiſtit: in actiuis qualitatibus temperatus: Semen diſtrahit pariter & exiccat ſecunda diſtantia. Quin & folia ipſius arboris ſiccam & diſiijcientem potentiam obtinent, caro autem humectet primo receſſu. Paul. Lib. 7. Aet. Serm. 1.

DIGERENDI. Nam ipſorum nucleus qui re uera ſemen eſt, & amarius eſt, & digerendi poßidet facultatem: & cibum digerit citrum conditum. Gal. 7. Simpl. medic. Auic. Lib. 5. summi tr. 7.

INCIDENDI. Nam acetoſitas ipſorum incidit. Gal. de diß. cont. Iſac. in part. diæt.

ABSTERGENDI. Nam ipſorum acetoſitas abſtergit colorem, & pannum aufert, & impetiginem. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 119.

CIENDI. Nam ipſorum ſemen menſes ciet. Ruell. Lib. 1. Cap 69.

IVVANDI. Nam cum huius fructus tres sint partes: acida uidelicet, caro, & tegumentum: Acida quidem pars sedat tremorẽ cordis calidũ; & ex ea fit collyrium & oculi icteritia remouetur, sedat uomitum biliosum, appetentiam excitat, & sedat mulierum malaciam: flauam restinguit bilem, arcetque pestilentiæ contagia: Proinde recentiores medici ad febres pestilentes serapiis ex citriorum succo confectis utuntur feliciter: Caro citriorum corpus nutrit, & ipsam mandunt cum aceto & garo, ut saporis hebetudinem acuant, & facilius coquitur si mansa eo modo fuerit. Cortex ipsorum aromaticus est odore & gustu, & conditus facit ad debilitatem stomachi, & cibi digestionem, nam cõfortat stomachum, & coctionem iuuat, si quis eo ut medicamento utatur. Citria uenenis aduersantur, eorumque maxime semen, quod priuatim scorpionum ictibus & potum & appositum mirifice medetur: quin & omnibus perspicuum est citrum malum assumptum, esse ueneficij cuiuslibet amuletum. Citriorum decoctũ collutione oris halitum cõmendat, suauitatemque accersit: ipsa autẽ integra uestiariis condita uestes nõ modo uestes gratißimo odore perfundũt; sed eas etiã à blattis, & tineis uindicant, ipsorumque odor rectificat aeris corruptionem & pestilentiã: aduersus atram bilem & morbos mestos, quos illa excitat opitulãtur: contra infirmitate stomachi facillime manduntur. Non longe natura & uiribus à citriis distant mala LIMONIA, & AVRANTIA, & de illa quæ ADAMI poma uulgo uocantur: omnium enim harum spetierum arbores parum inter se differunt: Quæ florem emittunt album summæ fragrantiæ & ex eo per campanam aqua ignis ui elicitur, tantæ suauitatis & redolentiæ, ut cæteras odoriferas aquas superare certum sit: Quæ hodie pro leui uomitum perritante medicamento utuntur, & aqua Naphe uel Narantii nuncupatur. Dios. Lib. 1. Cap. 131. Gal. 7 Simpl. medic. 2 al. Cap. 37. Paul. Lib. 7. Aet. Serm. 1. Ply Lib. 23. Cap. 6. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 119. Amat. lusit. in. 1. Dios. enar. 150.

NOCENDI. Nam acida ipsorum pars est stiptica, est mala pectori, & neruis: caro difficulter concoquitur crassamque creat pituitam atque refrigerat, & propterea est mala stomacho, tardæ digestionis, inflatiua, & facit utentem se colicam poßidere: ob hoc in melle commodius estur, aut cum aceto & garo. cortex difficilis coctu est quia durum & callosum immoderato usu coctionem uitiat. Melle conditus innocentior redditur, & parce sumptus uentrem calfacit, & humorem qui coiuit expurgat, ciborumque coctionem molitur: Nostra hæc ætas gulæ nimium indulgẽs, citria cruda præfert cum assatis carnibus esitata, sed non sine sanitatis discrimine, quoniam non facile coctioni obediunt, quin & crassum generant succum; Sunt enim cibus crassus & flatuosus, sed folia sedant inflationem: citrijs uesci melle aut sacchoro conditis satius est. Dios. Gal. Paul. Aet. Auic. ibid. Ras. 21 cont. Cap. 21. De hoc uide Oribasium. 1 collecto. medicin. Cap. 64. in quo loco distinguit in triplicem partem huiusmodi pomum, ac unamquanque partem diligenter declarat.

COCHLEAE V. H.

Cochlea dat ſuccum qui uix corrumpitur unquam,
Vtilis eſt ſtomacho, craſſa alimenta dabit.

CALEFACIENDI. *Nam crematæ calfaciendi mediocrem obtinent uim: & crematæ omnium teſte calfaciendi, & urendi naturam ſortiuntur.* Dios. Lib. 2. Cap. 9. Paul. Lib. 7.

DESICCANDI. *Nam ipſarum caro mire deſiccat, & crudæ cum tegumentis impoſitæ aquæ intercutem tumores exugunt, ſed non ante ſoluantur, quam omnis hauriatur humor. Deſiccant & arthriticis articulorum tumoribus impoſitæ; & in tumoribus ex ictu natis difficile ſolubilibus; & ex contuſione facta in cruribus: ipſarumq; mucoſitas abſque morſu deſiccat.* Dios. Lib. 2. Cap. 9. Gal. 11. Simpl. medic. Com. 2. de art. 51. Paul. Lib. 7.

ADSTRINGENDI. *Nam ipſarum carnes aſtringunt: & ſi totæ cum teſtis urantur admixta Galla omphacitide, ſimulquè pipere albo, mirifice proſunt dyſenterijs, in quibus nondum ſunt ulcera putredinoſa: conuenit autem ut piperis ſit pars una, Gallæ uero due, quatuor cineris cochlearum: hæc ubi adunguem læuigaris, cibis inſpergito, bibendumquè aut ex aqua aut ex uino albo & auſtero præbeto.* Gal. 11. Simpl. medic. de Ther. ad Pis. Cap 4. Paul. Lib. 7. Ply Lib. 30. Cap. 7.

CIENDI. *Nam menſes tritæ & admotæ ciunt.* Dios. Lib. 2. Cap. 9.

ABSTERGENDI. *Nam purgant lepras, uitiligines, dentesquè: emendant oculorum cicatrices, & uitia cutis in facie, albugines, ac uiſus hebetudines, ſi cum carne ſua uſtæ tritæquè ex melle illinantur.* Dios. Lib. 2. Cap. 9.

MATVRANDI. *Nam ijs noſtri medici ad antiquorum imitationem pro tuberculis maturandis per ſe uel alijs admixtis medicamentis utuntur.* Matth. & Luſit. hic in Dios.

CONGLVTINANDI. *Nam carnes earum cum thure & myrrha illitæ cum uulnera alia tum maxime quæ nerui acceperunt conglutinant.* Dios. Gal. ibid. Aet. Serm 2. Cap. 183.

SISTENDI. *Nam tritæ in aceto ſanguinem naribus erumpentem infrenant.* Dios. ibid.

IVVANDI. *Nam terreſtres ſtomacho utiles ſunt, & non facile corrumpuntur: Marinæ ſtomacho idoneæ, & facile aluo excernuntur: uires reficere poſſunt cochleæ: Quare non nulli hodie eas hectica febri laborantibus concedunt, non contemnendo profecto iuuamento: coctæ ſtomachicis conueniunt: uiuarum corpus cum aceto deuoratum ſtomachi dolores mitigat: Tritæ cum teſta uino & myrrha ſi exiguum inde bibatur, coli ueſicæquè cruciatus ſanant: Terreſtris cochlea pilos in-*

commodos replicat, ſi quis abraſo acu lentore eius, pilum attingat. Cochleæ inſuper podagriças inflammationes leniunt, impactosquè corpori aculeos illitæ euocãt, & tota ſubſtantia iecori conferre uidentur, ſuntquè cibus hyemis: Quas olim uſque adeo cœnis expetitas memorant, ut ijs uiuaria à nonnullis fuerint inſtituta, diſtinctis quidem earum generibus, quo melius gulæ fieret ſatis. In cibis longe gratiores ſuauioresquè habentur, quæ uere & æſtate imbribus excitate hinc inde uagantur. Sunt & in cochlearum genere, quæ teſta carent, gerentes in capite (non tamen omnes) lapidem quem febribus tertianis ad alligatum uulgus prodeſſe exiſtimat, & facilem dentitionem præſtare: expetuntur hæ mulieribus ad expoliandam faciem: nãque ex ijs in ſtillatorium uas coniectis, additis quibuſdam alijs aquam eliciunt, qua inde earum elæta facies læuorem mentitur. Dios. Lib. 2 Cap. 9. Gal. 8. de comp. medic. ſecund. loc. Cap. 4. & 8. Cap. 1. de nat. hu. 36. Aet. Serm. 2. cap. 183. Ply. Lib. 9. Cap. 56. & Lib. 30. Cap. 15. Gal. 11. Simpl medic. Matth & Luſit. in Dios.

NOCENDI. Nam fluuiatiles uirus olent, quæ uero uepribus frutetisue glutinatæ coherent, uentrem & ſtomachum turbant, & uomitiones excitant. Recentes plurimum habent uiſcoſæ illius humiditatis, quam ſtylo compunctæ effundunt: tarde nutriunt, ſunt difficilis coctionis, ſanguinem craſſum & nigrum generant, & ipſum extingunt: & ſunt craßi ſucci; quare cauendæ in epilepſia: & ab earum multo eſu cauere debet ſenex. Bonæ ſunt quæ in bonis & odoratis reperiuntur herbis, ut calamento origano, foeniculo, petroſelino, ſtoecade & alijs. Dios. Paul. Aet. ibid. Gal. Cap. 2. Aph. 18. de atr. bile Cap. 4. de bon. & ui succ. Cap. 4. de puer. epil. 5. de San. tu. Cap. 6. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 401. Matth. & Amat. Luſit. in Dios.

CORIANDRVM. V. H.

Expellit tineas coriandrum & ſemen adauget,
Largius at ſumptum ſenſum animumq; grauant.

CALEFACIENDI. Nam calidum eſt ſecundum Galeni ſententiam: Dioscorides autem coriandrum refrigerandi uires habere tradit, ſed conciliatio huius contradictionis ex Galeno deſumitur, qui coriandrum ex compoſitis conſtare facultatibus, non uero una tantum frigida inſigniri tradat: componitur igitur ex partibus quibusdam calidis quæ in ſuperficiæ habentur, & ea de cauſa ſtrumas & duros tumores diſcutit, ceteræ uero ipſius centrales partes terreæ ſunt, & ſtipticæ, nam frigidæ, inter quas aqueæ quoque reperiuntur: quibus ignibus ſacris, & quæ ſerpunt ulceribus coriandrum medetur: & ſucco uis magna ad refrigerandas in cute collectiones, & eriſipelas curat, non quidem quod exquiſitum eſt, ſed illud quod iam re-

frigeratum

frigeratum est. Dios Lib.3. Cap.62. & ibi Matth. & Lusit. Gal.7. Simpl. medic. de att.uic.Cap.3. Hipp.2.de uic.rat. Auer.5.Coll. Isac.in part.diæt.

DISCVTIENDI. Nam omnes tumores, collectioneq; cum melle, & uua passa, pauos uero & strumas ex aceto tritum & cum lomento, seu faba fracta discutit. Dios.Lib.3.Cap.62.Gal.7.Simpl.medic. Paul.Lib.7.

INCIDENDI. Nam coriandrum incidit. Gal.de att.uic Cap.3.

ATTENVANDI. Nam coriandrum attenuat. Gal.de att.uic.Cap.3.

ADSTRINGENDI. Nam adstringit: & (ut tradit Xenorates) uno die si unū coriandri granum biberit foeminæ, biduo si duo, & totidem diebus quot grana sumpserint menstrua continentur. Gal.7. Simpl. medic. de rem. par. facul. Ruell. Lib.3.Cap.45.

REPRIMENDI. Nam coriandrum reprimit. Gal.de rem.par.facul.

IVVANDI. Nam inter obsonia connumeratur: tineas interaneorū expellit: Semē cū mali punici succo et oleo, uel cum passo modice potum animalia uentris abigit, genituram auget: coriandro subtrito cum aceto carnem incorruptam æstate seruari putant: Vis magna ad refrigerandos ardores uiridi: ardentes summæ cutis inflammationes emendat: Seminis tria grana in tertianis deuorari iubent, aliqui ante accessionem uel plura illini fronte: Sunt qui ante solis ortum ceruicalibus subijci efficaciter existimant: ulcera quæ serpunt sanant cum melle, uel uua passa, item testes, ambusta, carbunculos, aures cum lacte mulieris, epiphoras oculorum uentris & intestinorum fluxiones semen cum aqua: Bibitur & in choleris: uulneribus medetur, ualet contra uehementes intestinorum dolores, & contra serpentium genus unum quod amphisbænam uocant potum impositumquè: succus cum cerusa spumauè argenti, nec non aceto & rosaceo illitus ardentes summæ cutis inflammationes emendat: ipsiusquè semine ructum acidum habentes sanantur. Dios.Lib.3. Cap.62. Gal.7 Simpl.medic. 2.al.Cap.52. de Simpl.medic. 8.de comp.medic.secund.loc. Cap 4. 4.de comp.medic.secund loc. Cap.8. 14.Meth.medicin. Cap 3. Paul. Lib.7. Aet.Serm.1. Ply.Lib.20.Cap.20

NOCENDI. Nam largius sumptum mentem magno discrimine commouet, uocem exasperat, & affert insaniam, & delirium furiosum non dissimile illi quod ab ebrietate proficiscitur inducit, hoc accedente etiam quòd turpia dictu infecti loquantur: quapropter custodiri modum oportet, & frequentem caueri usum eius huius succus potus uenenum est & occidit: qui enim hunc bibunt, muti fiunt, atq; desipiūt. Sim. Seth. Auxiliatur ijs qui coriandro sunt læsi uomitus ex oleo irino, & uinum meracum cum per se, tum cum absinthio potatum, passum etiam & anisum in uino acido siue uappa sumptum: Complures medici coriandri semen sacch.aro contectum à cibo assumendum consulunt, ut uapores à uentriculo caput petentes reprimat; id tamen maxime Dioscoridis sententiæ aduersatur; quippe qui non solum coriandrū mentē tentare prodiderit, sed inter uenena connumerauerit. Dios Lib.3 Cap.62. & Lib.6.Cap.9. Aet.Serm.13.Cap.61. Paul.Lib.7. & Lib 5.Cap.60 Ras.8. Alm.Cap.19.

CORNA VIM H.

Adstringunt siccant, & sistunt corna ualenter,
Coniungi his magni uulneris ora solent.

REFRIGERANDI. *Nã sunt in primo ordine frigida.* Aui.Li 2.tr.2.C.322.

SICCANDI. *Nam sicca sunt in fine se undi ordinis, & sua acerbitate impẽsius arefaciunt.* Paul.Lib.7. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.322.

CONSTRINGENDI. *Nam acerba sunt, & uesculenta, ac proinde aluum potenter adstringunt.* Paul.Lib.7. Dios.Lib.1.Cap.135. Gal.7.Simpl.medic. 6.de comp medic.secund.loc.Cap.4.

SISTENDI. *Nam alui profluuium cohibent, & dysenteriam sistunt: & omnem fluxum, & uomitum retinent, & urinæ multitudini conferũt.* Dios.Lib.1.Cap.135. Gal 7.Simpl.medic. 11.Simpl.medic. Auic.ibid.

CONGLVTINANDI. *Nam corna illorũq; folia & germina gustu acerba sunt, ualenterq; desiccant; itaque maxima uulnera glutinare possunt, potißimum durorum corporum: at paruis uulneribus, & mollioribus corporibus magis contraria sunt: nã nimiũ ea cõtendũt, & plus satis desiccãt.* Gal.7.Simpl.med. Matth.in Dios.

IVVANDI. *Nam admodum acerba sunt, & esui apta: quare profluuio alui, & dysenteriæ salutaria sunt, siue in edulio, siue in defruto exhibeantur. Et ex ipsis fiunt stomatica medicamenta, & tußi calidæ conferunt: condiuntur sapa, in esum etiam inueterantur muria oliuarum modo. Fit ex baccarum pulpa quoddam obsonij genus cidonitæ non dißimile: Quin et ex eorum decocto & sacchαro liquor ignis opere, & coctura concrescit, coagulaturquè qui præterquam quòd gratißimo placeat gustu, datur utiliter dysentericis, ac foeminis mensium profluuio laborantibus. Corna quando administrantur in secunda mensa detardant ebrietatem: condita possunt interdum febricitantibus exhiberi, præsertim si uentris profluuio simul corripiantur. suoquè subacido gustu & palatum inuitante morosam abigit malaciã. Sanies, quam uirentia folia torrendo resudarunt, impetigini conuenienter illinitur.* Dios.Lib.1.Cap.135.& ibi Matth.& Lusit. Gal.2 al. Cap.38. 7.& 11. Simpl. medic. 6.de comp.med.secund.loc.Cap.1. Auic.Lib 2.tr.2.Cap.322.

NOCENDI. *Nam exiguum exhibent alimentum, & sunt praui succi: Porrò cauendum est ne corni arbores prope aluearia conserantur, uel à natura productæ, ibidem permittantur; quandoquidem apes flore eius degustato aluo concita moriuntur: Remedium sorbam contusam e melle præbere ijs, uel urinam hominum, uel boum, aut grana punici mali amineo uino conspersa.* Gal.2.al. Cap.38. Ply.Lib. 21.Cap.12.

COTONEA VIM H.

Aurea præcellunt stomachumquê cydonia firmant.
Incolumis gaudet, nec minus æger eis.

REFRIGERANDI. Nã sunt in fine primi ordinis frigida. Aui. L.2.tr.2.C.155

SICCANDI. Nam sicca sunt in principio secundi ordinis. Auic.ibid.

ADSTRINGENDI. Nam mire adstringunt, inestquè ipsis uirtus ac pyris, au sterisquè fructibus æqualis: qui cum ante cibum comeduntur aluum constringunt: à cibo uero eam fluidam reddunt. Gal.2.al. Cap.23. 6.de comp.medic. secund. loc. Cap.3.& 4. 4 Meth.medic.Cap 6. 13.Meth.medic.Cap.15.

SISTENDI. Nam aluum exolutam cohibent; & si profluat, retinent: & stoma chum firmant. Dios.Lib.1.Cap.131. Paul. Lib.7.

CONGLVTINANDI. Nam uulnera conglutinare consueuerũt. Paul.Lib.7.

CIENDI. Nam lotium trahunt, præsertim quæ cruda in melle condiuntur. Dios Auic.ibid.

IVVANDI. Nam non solum uoluptatem, sed etiam salubritatem afferunt: stomacho matura per quam utilia; nam ipsum roborant, firmantquè si in uomitiones effundatur & ardore conflagret. Mansa à potu uini uaporem in caput distribui prohibent. Sim.Seth. bonum habent saporem, & in aqua decocta faciunt pro iecoris phlegmone; eorumquè decoctum iecori & ori uentriculi conuenit: Cruda prosunt coeliacis, dysentericis, distillationibus, intestinorum torminibu, spurulentũ excrean tibus orthopnoicis; cholericis eorum decocto fouentur si procidant, uulue, & sedes: in cibis conueniunt stomachicis, nam rectificant stomachum debilem & mollem: & ex eorum succo uinum pro uentriculo imbecillo paratur: contra inflammationes mammarum duritias lienis, & cõdylomata adhibentur; & suo præstanti odore lethaliũ uenenorum uires retundunt: & eorum uehementiam hebetant: Palma datur illis quæ peculialiter mala cotonea cognominantur, præssa, incisuris intersecta colore ad aurum inclinato, lanuginosa, & longe cæteris odoratiora: Non ægris modo apta sunt, sed etiam sanis utilia æque & grata: ex quibus syrupus miuacitoniorum dictus, & cum aromatibus, & sine illis, frequenter in officinis paratur; ueluti conditũ diacitonites, cum sacchare, uel melle, quod non nunquam scamonio ad ducendam al uum acuant: Vinum item & oleum intinctusquè ex ipsis conficiuntur. Dios.Lib.1. Cap.131. & ibi Lusit. Gal.2.al.Cap.23. 8.de comp.medic. secund.loc. de sub= fig.emp.Cap.11. 11.Meth.Cap.6. de rem.par.facul.Cap.15. 7.meth.Cap.4.

NOCENDI. Nam eorum fragrans odor caput ferit; & si largius edantur diffi culter concoquuntur. Sim Seth. neruorum dolorem & uentris, & colicam generãt, & putredinem in intestinis, si cruda comedantur; quare non crudis sed coctis illis

utendum: cocta enim suauiora & meliora redduntur: Quæ cruda per hyemem asseruantur, seorsum à ponsilibus uuis reponenda sunt: qui uuas suo acerrimo sapore adeo uitientur, ut eæ statim marcore conficiantur. Dios. & ibi Matth. Lib. 1. Cap. 131. Ply. Lib. 23. Cap. 6. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 155. Ras. Lib. 4. Aph.

CROCVM VIM H.

Exhilarat, uenerem stimulat, pulchrumq; colorem.
Fert Crocus: & mentem percutit, atque caput.

CALEFACIENDI. *Est enim in secundo ordine calidum.* Gal. 7. Simpl. medic. Aet. Serm. 1. Paul. Lib. 7.

SICCANDI. *Nam in exiccãdo primũ sortitũ est ordinem.* Gal. Aet. Paul. ibid.

ADSTRINGENDI. *Nam mediocriter adstringit.* Gal. 7. Simpl. medic. 4. de comp. medic. secund. loc. Cap. 2. & 4. 6. de comp. medic. secund. loc. Cap. 1. 5. meth. medic. Cap. 5. 14. meth. medic. Cap. 16.

CIENDI. *Nam urinam mouet, & eius radix in passo lotium pellit.* Dios. Lib. 1. Cap. 25. Ply. Lib. 21. Cap. 20.

DISCVTIENDI. *Nam caligines, & inflammationes discutit.* Gal. 4. de comp. medic. secund. loc. Cap. 2. Ply. Lib. 21. Cap. 20.

CONCOQVENDI. *Nam concoquit omnes affectiones cũ adstrictione.* Gal. 7. Simpl. medic. 4. de comp. medic. secund. loc. Cap. 2. 8. de comp. medic. secund. loc. Cap. 7. Paul. Lib. 7. Aet. Serm. 1.

MATVRANDI. *Nam maturat digerit & emollit.* Gal. de ocul. Cap. 6. Auer. 5. coll.

IVVANDI. *Nam cibi appetentiam prouocat; utilißimum in medicina, mitigat omnes dolores: oculorum claritati plurimum confert, illorum enim fluxiones cum humano tacte illitum cohibet: Putrefactiones corrigit; mansuetißimum pro stomaticis: inflammato iecori conuenit, ad uteri & uesicæ ulcera aptum: additur in potiones quæ interaneorum causa temperantur: ad uuluæ etiam sedisq; cataplasmata utiliter inditur: uergentes ad ignem sacrum inflammationes mulcet: auricularijs collectionibus utile: elegantiori colore corpus exhilarat: Qui ex passo ipsum prius biberint crapulam non sentient: eoquè æbrietati resistunt: coronæ quoque ex eo temulentiam mulcent: est medicina cordialis, quare merito tum intus tum extra medicamentis cordi adaptatis misceri debet; nam ipsum corroborat, atque lætificat: Partum accelerat; & ex ipso Cerotum dictum officinæ hodie parant: Membris contusis, & fractis oßibus dicatum; resoluit item durities, & multa affert præterea commoda. Optimus crocus est recens, fragranti odore; colore aureo, albedinem in capreolo habens, oblongus, integer, plenus, non friabilis, non pinguis, & tamen in*

attritu digitos facile tingens, & gustatu uehementer linguam & dentes inficiens.
Dios. Lib. 1. Cap. 25. Gal. 7. Simpl. medic. 8. de comp. medic. secund. loc. Cap. 7. 1. Anti. Cap. 14. de ocul. Cap. 6. Cap. 4. de rat. uic. in morb. ac. 6. de comp. medic. secund. loc. Cap. 1. 4 de comp. medic. secund. loc. Cap. 8. 2. ad Glauc. Cap. 5. 9. de comp. medic. secund. loc. Cap. 8. Aet. Serm. 1. & Serm. 2. Cap. 196. Paul. Lib. 7. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 129. Ras. 22 cont. Cap. 354. Ply. Lib. 21. Cap. 20.

NOCENDI. Nam exitiosum est: Venerem stimulat, & odore caput ferit & mentem perturbat: Risum mouet, & adeo promouet, ut fabulosum non sit, aliquando hominem risu & chachinno ob nimium eius esum mori: Inebriat ebrietate forti si cum uino miscetur. Eius superabundantia appetitum deijcit: eiusquè immoderato usu pallor & fastidium contrahit, & capitis dolorem, cibiquè inappetentiam efficit. Sim. Seth. Somnum facit, & sensus obtenebrat: dementat, & mortem inducit: quare in condimentis eo non in multa quantitate utendum, præcipue æstatis tempore, & si complexio biliosa fuerit, & regio calida. Dios. Lib. 1. Cap. 25. Gal. 5. Simpl. medic. Cap. 19. 7. Simp. medic. 2. de comp. medic. secund. loc. Cap. 1. Aet. Serm. 1. Paul. Lib. 7. Ras. ibid. Auic. ibid. & Lib. 3. fen. 13. tr. 2. Cap. 8.

CVCVMIS VIM H.

Aluo & uesicæ Cucumer stomachoquê salubris:
At uenerem obtundit, non bene coctus obest.

REFRIGERANDI. Nam in refrigerandi facultate in secundo censetur excessu; Gal. 8. Simpl. medic. Aet. Serm. 1. Paul. Lib. 7. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 179.

HVMECTANDI. Nam in humectandi facultate in secundo censetur excessu. Gal. Aet. Paul. Auic. ibid.

ABSTERGENDI. Nam eius semini abstergendi facultas inest quocirca corpori uenustatem, & splendorẽ inducit. Gal 8. Simpl. medic. Paul. Lib. 7. Aui. ibid.

EXPVRGANDI. Nam eius radix exiccata, & cum hydromelle exhibita subtilem uomitione expurgat humorem. Dios. Lib. 2. Cap. 128. Auic. ibid.

CIENDI. Nam urinam mouet eius semen ex uino dulci: Cucumeresq; satiui urinam cient, uelut etiam pepones, sed minus quam illi propterea quòd & substantia ipsorum minus humida quam illorum existat, & ob id neque ita facile corrũpuntur in uentre uelut pepones: Resiccatũ semen nonullã sibi caloris dotem adsciscit, quare urinam uehementius prolicit. Gal. Auic. ibid. Paul. Lib. 1. Cap. 80.

IVVANDI. Nam sedat caliditatem & choleram; Sitim extinguit; Aluo & stomacho facilis: prodest uesicæ, & eius caro oculorum dolores mitigat, Animi defectiones in olfactorium cucumis collectus emendat, odore naribus rapto: Eius semen desiccatum caliditatem quandam poßidet, contrariamquè his actionem efficit,

urinamq; magis prouocat præbetur in lacte uel passo quibus uesica, exulcerata est: idem quantum tres digiti apprehenderint, cum cumino tritum potumque in uino tussientibus auxiliatur: Sed & phreneticis in lacte mulieris & dysenteris acetabuli mẽsura: purulenta etiam expuentibus cum cumino pari pondere, & iocinoris uitijs in aqua mulsa; & in renum dolore clysteribus simul cum cumino infunditur. Folijs eius ex uino canum morsus illini iubent, & epynictidas cum melle. Gal. 8. Simpl. medic. 4 de Comp. medic. secund. loc. Cap. 8. Dios. Lib. 2. Cap. 128. Aet. Serm. 1. Paul. Lib. 7. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 179.

NOCENDI. Nam ob frigidum & humidum temperamentum noxius est; & mali succi, semen genitale minuit, pituitam glutinosam in uentriculo gignit, quæ cruda per uenas diffunditur. Sim. Seth. est cibus carens fere nutrimento, difficilis coctu, & si tandem concoquatur improbi tamen succi est; generans uiscosos, crassos & fridos humores etiam si concoquatur: Si uero minime concoquatur in uentriculo, uertitur in succum uenenis lætalibus similem: Commode tamen sumi potest cucumis, quando necesse sit æstatis tempore corporis totius squallorem, caloremq; curare: tũc enim paululum ipsius assumi potest. Damnatur ueluti noxius primis mensis, ut qui raphani modo sursum feratur: ultimo cibo innocentior, concoctuque facilior est: alioquin eius usus damnatur; nam difficulter in corpus distensatur: ægre per uentris anfractus euadit: horrores concitat. Febres prauas & chronicas generat ubi putrescere inceperit: est enim putrefactionem excitans, & paratus ad ipsam. Iugis usus frigidis humidisque naturis aduersatur: Venerem arcet, & eius desideria obtundit, & genituram imminuit, non tamen corrumpit: Comedens cucumeres affluenter debet uti semine ameos, ita tamen quòd eius non sit stomachus inflammatus, & de citrullis idem dicendum: paruique magnis præferendi. Dios. Lib. 2. Cap. 128. Gal. 8. Simpl. medic. 2. al. Cap. 6. 5. Simpl. medic. Cap. 23. de puer. epil. Cap. 8. & 13. de Ven. Sec. adu. Er. Aet. Serm. 1. Paul. Lib. 7. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 179. Ras. 23 cont. Cap. 111. Serap. Isac. in part. diæt.

CVCVRBITA V. H.

Cocta quidem tribuit uentosa cucurbita uictum,
Sed nisi mixta iuuent, nutriet illa parum.

REFRIGERANDI. Namque est in secundo ordine frigida: Quare calidas phlegmonas mediocriter refrigerat: & eius ramentis uuæ immaturæ succo admixtis pro capite refrigerando utuntur. Gal. 7. Simpl. medic. 1. ad Glauc. Cap. 14. 2 de Comp. medic. secund. loc. Cap. 1. Aet. Serm. 1. Paul. Lib. 7.

HVMECTANDI. Nam humida est in secundo excessu. Gal. 7. Simpl. medic. Aet. Paul. ibid.

Expurgandi. *Nam totius feruefactæ succus cum melle exiguo, & nitro potus aluum leniter resoluit: & uinum in cucurbitam recentem excauatam infusum si mistum sub diuo teneatur. potum aluum læuigabit.* Dios. Lib. 2. Cap. 127.

Iuvandi. *Nam esui apta est, non est mali succi, quare non est damnanda: sitim abscindit: cholericis conuenit. Caro omnis interior sine semine clauis pedum opitulatur decoctæ succus cucurbitæ dentium motus stabilit; Dolores inhibet; tumores suppurationesq; illitu mitigat: Ramenta corticis ardores infantium capitis: destillationesq; quas syriasin appellant, restingunt: illita parte qua cerebrum conditur. Podagras & oculorum epiphoras refrigerat: Succus eius tam per se, quam ex rosaceo instillatus aurium doloribus auxiliatur: Idem febrium ardores illita cute refrigerat: Aridæ cinis impositus mire combusta sanat, uulneribus medetur: Cucurbitæ stomacho utiles iudicantur, & interaneorum uesicarum exulcerationibus. Cibis quo longiores tenuioresque eo gratiores, & ob id salubriores: quæ pendendo creuere, minimumq; seminis tales habent duritia eius in cibis gratiam terminante: Eæ insuper quæ sine multa rigatione conualuere, fructum iucundioris saporis præbebũt.* Dios. Lib. 2. Cap 127. Gal 7 Simpl. medic. 8. de comp. medic. secund. loc. Cap. 4. 4 de San. tu. Cap. 10 2. al Cap. 3. de bon. & uic. Suc. Cap 8. & 13. 1. ad Glauc. Cap. 9 Aet Serm. 1. Paul Lib. 7. Auic. Lib. 2. tr. 2 Cap. 178. Ply. Lib. 19. Cap 5.

Nocendi. *Nam in cibo accepta nimia humectatione corpus implet; parum alimoniæ subministrat, frigidum humidum & uiscosum exhibet alimentum, semen supprimit, non tamen corrumpit; non diu persistit in aluo, quòd lubricos & tenaces parum meatus efficiat; quibus delapsa facile euadit: melancholicis & phlegmaticis aduersatur pituitosos lædit colicosquè affectus, si malos humores assequitur, ab ijs corrumpitur, & malum succum generat, semen genitale minuit, & ueneris appetentiam extinguit. sanguis ex ea procreatus, consistentia tenuis est.* Sym. Seth. *Cruda stomacho perniciosa & insuauis, concoctu contumax, appetitum destruit, uentriculum grauat, eundemquè frigore excruciat. Quod si in eo corrumpatur, malum ualde succum gignit: Quapropter non nisi cocta comedenda: Inter assandum magnam humoris aquosi uim deponit, ideo ualentius nutrit. gaudetq; origani conditura propter aquosam in ipsa qualitatem. Elixa acrium societatem expostulat; acidis austeris salsisq; misceri gaudet; quorum sibi facile conditionem ut nullo imbuta sapore adsciscet: ita & nausea quam creat discutietur: Si ex ea nimium comedatur tenasmum generat, sed si aceto & alijs præparetur melior & innocentior redditur. Debent dari cucurbitæ in cibo calidis & siccis æstate, præsertim febricitantibus, sed non nisi repurgato corpore sunt edendæ, quia facillime conuertuntur in eos humores, quos in se uentriculus continet.* Gal. 5. Simpl medic. Cap. 23 7. Simpl. medic. 1. al. Cap. 1. 2. al. Cap. 3. de bon. & ui. Succ. Cap. 8. de puer. epil. Aet. Serm. 1. Paul. Lib 7. Auic. Lib. 2. tr. 2 Cap. 178. Ply. Lib. 19 Cap. 5. Ras. 3 alm. Cap. 18. & 4. aph. suorum.

Tormina discutiet, mire os pallore cuminum
Inficit, exiccat, uirus & omne fugat.

CALEFACIENDI. Nam est ex tertio excalfacientium ordine: estquè cum subtili substantia calidum. Gal.7. Simpl. medic. 2.ad Glauc. Cap.6. Paul. Lib.7. Aet. Serm. 1.

SICCANDI. Nam desiccat ordine tertio. Gal.3.ali. Cap.2. Auic. Lib.2. tr.2 Cap.139. Paul. Aet.ibid.

ADSTRINGENDI. Nam in ipso est stypticitas, quare narium sanguinem pa stillis inditum, uel ex aceto recens sistit: alui profluuium supprimit; & mensium abundantiam, & urinæ incontinentiam cohibet. Dios.Lib.3.Cap.59. Gal.de rem. par.facul. Auic.Lib.2.tr.2 Cap.139.

INCIDENDI. Nam est cibus incidens. Gal.diß.cont.

ATTENVANDI. Nam attenuat, & in diæta conuenit attenuante. Gal.9. de comp.medic.secund.loc.Cap.4. de att.uic.Cap.5.

DIGERENDI. Nam pituitas & inflationes digerit. Ply.Lib.20 Cap 14.

DISCVTIENDI. Nam tormina & dolores intestinorum & pituitas discutit decoctum subter inditum ex oleo flatus sanat, peditusquè penitus extinguit. Gal. 7.Simpl.medic. 8.Meth.medic.Cap.5. Paul.Lib 7. Aet.Serm.1.

DETERGENDI. Nam detergit, & cum lauatur facies ex aqua ipsius clarificat eam: & similiter eius usus; & acceptio eius cum mensura. eius nanque nimius usus faciem citrinat. Gal 6.de Comp.medic.per.g.Cap 2. Auic.ibid.

CIENDI. Nam semen odoratum est, tenuium partium urinam ciens: Gal.7. Simpl.medic. 9 de comp.medic.secund.loc.Cap.4. de cur.ict. Aet.Serm 1.

IVVANDI. Nam satiuum ori gratum est, & cibos sapore commendat: flatus sanat inflationibusq; & tortionibus prodest, & uiscide dolorem placat: Magnus usus stomachi præcipue remedijs: oculorum epiphoris per se impositum tumentibus cum melle prodest: Morbo regio in uino albo à balneis datur: item ad uertigines, orthopnoicis in posca; Demersis à serpentein uino: facit ad uuluarum uitia, urinæ ardori conuenit in dulci uino tritum; Testium tumoribus tostum tritumquè cũ melle rosaceo & cera siue uua passa aut lolij farina: confert difficultati anhelitus, & tremori cordis frigido: frictũ pro purulentis. Dios. Lib.3. Cap.59. de rat.uic. acut.Cap.4. 7.Simpl.med. 8.Meth.Cap.5. 14.Meth.Cap.7. de Simpl med. Paul. Lib.7. Aet.Serm.1. Ply Lib.20 Cap 14.& 15. Auic.Lib.2.tr.2.Cap139.

NOCENDI. Nam est cibus acutus; leuiter laxat: coloremquè bibentium & illinentium mutat in pallorem. Dios. Gal. Auic. Ply ibid.

DACTYLVS V. H.

Dactylus aut facilis coctu est, capitiq; dolorem
Inferet, ac succus lenta alimenta feret.

CALEFACIENDI Nam maturi calidi sunt in secundo excessu: immaturi autem sunt eadem distantia frigidi. Gal.8.Simpl.medic. Auic. Lib.2.tr.2.Cap.90. Isac.in par.di.

HVMECTANDI. Nam maturi humectant in secundo ordine: immaturi uero sicci sunt eodem excessu. Auic. Ras. ibid.

ADSTRINGENDI. Natura enim eis acerba, & astrictoria est: Aluum & menses sistunt in uino austero, hæmorrhoidas cohibent: Decoctum per se potu, & gargarizatione magnopere adstringit cohibet, & reprimit. Dios Lib.1.Cap.125. Gal.de bon.& ui suc.Cap.4. Auic.ibid.

GLVTINANDI. Nam uulnera glutinant illitu. Dios.Lib 1.Cap.125.

IVVANDI. Nam esui conuenientes sunt: corpus augent: & succum decoctarum antiqui pro hydromelite dabant ægris ad uires recuperandas, sitimque sedandam: cum cotoneis cera & croco illitæ sugillata emendant, & uesicæ uitia. Sicciores sanguinem excreantibus, stomachicis, & dysentericis utiles in cibo: faucium asperitati medentur, & æstuationem sedant: Palmæ insuper uinum ferunt, & panem faciunt. Et ex ipsis conditum in officinis paratur diaphiricon dictum, educendæ pituitæ accommodatum. Dios. Lib.1.Cap.125. & ibi Amat.Lusit. Gal.8. Meth. med. Cap.5. Et 8. de comp. medic. secund. loc. Cap.4. & 8. Simpl. medic. Aet. Serm.1. Ply.Lib.14.Cap.16. & Lib.13.Cap.4. Ras 3.alm.Cap.20.

NOCENDI. Nam sunt mali chymi: capitis dolorem afferunt: dentes corrumpunt: stomacho nocent præpingues: iecur infarctu uitiant; non dißimili obstructionis iniuriæ lien patet. Deterrimi uirides, cum inflationem ficuum modo pariant: inebriant largiore cibo recentes: tußim exasperant: concoctu difficiles sunt: Sanguinem quoque ac phlegma acrescere faciunt; & hæmorrhoidas creant: Succus ex ijs in corpus distributus crassus quidem omnino est, cum quodam etiam lentore, ubi pingues fuerint: Cæterum multo magis lædunt palmulæ uirides etiam paulo uberius ingestæ; nam & flatu uentrem implent: & crudis humoribus: & qui esitarunt rigoribus ægre calescentibus corripiuntur. Dios. Lib.1. Cap.125. Gal. 8. Simpl. medic. 2.al. Cap.26. de bon. & uit. suc. Cap.4. de rem. par. facul. 2.de comp.medic. secund.loc. Cap.1. 6.de comp.medic. Cap.3. Paul. Lib.1. Cap.81. Aet.Serm 1. Ras.3.alm.Cap.20. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.90. Ply.Lib.13.Cap.4. & Lib.14.Cap.16.

ERVCA VIM H.

Eruca est ueneri stimulus, cit, concoquit, inflat,
Enecat & tineas, at caput esa ferit.

CALEFACIENDI. Nam calida est in secundo excessu: estq; tam cibus, quã medicamentũ calidũ Gal.2.al.Cap.53. Paul.Lib.1.Cap.74. Aui. Lib.2.tr.2.C.231.

SICCANDI. Nam sicca est in primo ordine. in humida uero est humiditas in 1. Auic.ibid. Isac in part. diæt.

EXTENVANDI. Nam attenuat, & lienem extenuat. Gal.de uic.att. Cap.2.

INCIDENDI. Nam est cibus incidens. Gal.de diß.cont.

CIENDI. Nam diureticas uires habet, quare urinas cit; & ad hoc syluestris efficacior quam satiua. Dios. Lib.2.Cap.134. Gal.de Simpl.medic.

APERIENDI. Nam cibus aperiens est. Gal de diß.cont.

CONCOQVENDI. Nam concoctioni prodest aluo per quam accommodata. Dios. Lib.2.Cap.134. Gal.6.de comp.medic.per gen.Cap.2.

EMOLLIENDI. Nam aluum emollit, & lenitiua est. Auic.ibid.

ABSTERGENDI. Nam eius semen detergit, quare uitia cutis in facie cum melle litum emendat, lentiginesque emaculat; cicatrices nigras cum felle bubulo mixtũ reducit ad candorem. Gal.6.de comp.medic.per.g.Cap.2.

IVVANDI. Nam est obsonium sponte proueniens: appetentiam excitat, concoctionem adiuuat in frigidis temperaturis. Herba plerunque in acetarijs uenit. Semen eius ex uino potum morsibus muris aranei medetur: tineas & bestiolas interaneis innascentes arcet: graue uirus alarum discutit: putant subtrita eruca si foueantur oculi, claritatem restitui, tußim infantium sedari; folia regio morbo mederi, lac purgare multiplicareq;; Vtuntur semine cõdiendis obsonijs, & in hoc tanta est erucæ suauitas ut græci εὔζωμον, quasi iuribus gratam uocauerint: ut diutius seruetur. Semen, subactum aceto uel lacte & in pastillos digestum recondunt, & sinapis uice uescuntur. Dios. Lib.2.Cap.134. Gal.5.Simpl.medic.Cap.21.& 23. 2.al. Cap.53. Paul. Lib.1.Cap.74. Aet. Serm.1. Haly.5. The. Cap.16. Ras 21. cont.Cap.190. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.231.

NOCENDI. Nam tarde digeritur, inflationes facit, & genitale semen adauget. Quamobrem largius sumpta uenerem stimulat; & coeundi excitat appetitum, qua de causa à poetis salax eruca appellatur: est cibus acutus, digestionem corrumpens in complexionibus calidis, in quibus etiam capitis dolorem infert, magis si sola edatur: ideo non nisi iunctis lactucæ endiuiæ aut portulacæ folijs estur, ut immodico calori additus algor excessum temperet. Dios.Lib.2.Cap.134. Gal 6. Simpl.medic. de att. uic. Cap.2. 2.al. Cap 53.70. de diß.cont. Paul. Lib.7.& Lib 1. Cap 74. Aet. Serm.1. Auic. Lib.2.tr.2. Cap.231. Ras.3.alm. Cap.18.& 21. cont. Cap. 190. Haly.5.Th.Cap.16. Ply.Lib.19.Cap.8.

Est faba difficilis coctu, mala somnia gignit.
Inflat, alit: magis est noxia quando uiret.

CALEFACIENDI. *Nam est media calidi frigidiq; natura: & in refrigerando ad medium temperamentum propinquissime accedit & recens autem frigida est.* Dios.Lib.2.Cap.98. Gal.7.Simpl medic. Aet.Serm.1. Haly.5.The. Cap.15.

SICCANDI. *Nam in exiccando ad medium temperamentum propinquissime accedit recens autem humida est.* Gal.7.Simpl.medic. Haly.5.Theor.Cap.15.

ADSTRINGENDI. *Nam eius cortex non nihil adstringentis facultatis continet. quare decocti ad tertias cortices aluum sistunt: & coctæ cum suis corticibus fabæ cibo dysenterias, alui profluuia uomitionesquè cohibent:* Gal.7 Simpl.medic.de r.uic.acut.Cap.4.

ABSTERGENDI *nam eius farina moderatissime detergit, & cutis sordes expurgat: qua mulierculæ in balneis facies suas emaculant: ac proinde quasi nitro magonizantur; nam lentigines, ac uitia cutis in facie, fucasquè sole contractas emendat: cicatrices ad reliqui corporis colorem reducit, atque mundificat.* Gal.8.meth.mededic. Cap.4. de bon. & uit. Suc. Cap.7. 7. Simpl. medic. 1.al. 19. de ocul. Dios.Lib.2 Cap.98. Isa.Lib.1.Cap 79.

EXPVRGANDI *Nam excreationes, sputa item pectoris & pulmonis expurgat: Ventrem cito permeat, & sensim aluum subducit & læuigat:* Gal.1.al.Cap.19. Ruell.Lib.2.Cap.38.

DISCVTIENDI. *Nam coagulationes mammarum præduras, & testium collectiones in uino decocta discutit: & cum alumine scissili & polenta, & olei uetustate strumas cortices fabæ discutiunt: & faba ipsa ieiuno ore commanducata ad furunculos discutiendos imponitur.* Dios.Lib.2.Cap.98.

MATVRANDI. *Nam commanducata ieiuno ore ad furunculos maturandos imponitur.* Dios.

IVVANDI. *Nam fabarum esu augetur corpus: solida faba fricta feruensque in acri aceto aceto coniecta torminibus medetur: contra deploratas tusses suppurationesquè pectorum sumitur: ad testium genitaliumque tumores imponitur: abundantiam lactis & rubicundos impetus mammarum extinguit: Parotidas sugillata ac liuores oculorum rapit: inflamationes arcet, cum rosa & oui cãdido ac thuris polline procidentes oculos, tumores, uuasque reprimit: & putamine ablato sanguinis eruptiones ab hirudinibus excitatas reprimit: in quem usum diuidiatur qua naturaliter coheret, ipsaquè dimidia iubent apponi. Voci prodest faba; & ad coxendium dolores & neruorũ, & testium, ac uberum aptum est cataplasma.* Dios.Lib.2.Cap.98.

Gal.7.Simpl.medic. 3.de comp. medic.per Gen.1. 1.al. Cap.19. 3.Meth.med. Cap.3. Ply.Lib.18.Cap.12. Auic.Lib.2.tr.2.Cap 245.

NOCENDI. Nam inflationem creat, est cibus crassus, renum paßionem faciens, quæ dicitur capillitium: pariunt fabæ quandam carnem fungosam læuem ac flatulentam: Ferculum ex faba fresa paratum flatu non uacabit, maiorem tamen integra faba creabis distentionem: fricta flatu deponit uerum contumax coniectioni minus cedit: tardiusquè descendens crassius alimentum in corpus effundit: Viridis plus negotij stomacho exhibet, maioremquè flatum parit: concoctu pertinax, etiam si diutißime coquatur, & quomodocunq; præparetur: insomnia facit tumultuosa: Innocentiores redduntur fabæ priore aqua dum coquũtur mutata cæpas adijciendo: si quidẽ flatuosum dapibus insidẽs calfacientibus extenuantibusquè discutitur. Laudabilior item fabæ comestio est si corticibus mundata coquatur, donec dissoluatur: abit enim ab ea uentositas eius & inflatio, præsertim si cumini aliquid addideris aut cinnamomi uel piperis. Dios.Lib.2.Cap.98. Gal.1.al.Cap.19. 2.al.Cap.8. 7.de comp. medic.secund.loc.Cap.2. de rat uic.Cap.1.18. de bon.& uic.suc Cap.7. de puer. epil. de diß.cont. de att.uic.Cap.7. Cap.4.Aph.76. Paul.Lib.7. Aet.Serm.1. Ply.Lib.18.Cap.12. Auic.Lib 2.tr.2.Cap.245. Haly.5.Theor.Cap.15.

FARVIM H.

Vtile far stomacho, uentriquê salubra fluenti,
Auget idem corpus, lenta alimenta ferens.

SISTENDI. Nam aluum sistit, impetusquè rubicundi tumoris. Ruell.Lib.2. Cap.17.

EXTRAHENDI. Nam Farina eius in pollinem subacta uim extrahendi humoris habet; ideo & cruore suffusis in fascias usque sanguinem perducit, efficacius in sapa. Ruell.ibid.

IVVANDI. Nam boni succi est, impinguat; eius nutrimentum est medium inter nutrimentum hordei & frumenti; plus tamen nutrit quam hordeum: Temperatum est quantum ad alteratiuas qualitates. Farre tantum pro pane Romani diu usi sunt; Farina eius, quod retostum purgatum est, stomacho utilis est; illinitur capitis doloribus cum mentha. Item permionibus & ambustis ex uino: imponitur in pedum callo clauisquè; cum oleo uetere ac pice decocta polline condilomata & omnia sedit uitia mirabilem in modum curantur: Pulte corpus augetur. Est & in farre uermiculus teredini similis, quo cauis dentium cera incluso, cadere uitiati dicuntur etiam si fricentur. Gal.4. de San.tu. Cap.4. 5.de Sanit. Cap.4. Ply. Lib. 18.Cap.7. Lib.22.Cap.25. Ruell.ibid.Sauon.tr.2.Cap 2.r.7.

Nocendi

NOCENDI. *Nam inflat, & generat succum crassum & uiscosum & nisi lentor eius corrigatur aceto & porri modico non solum obstruet, sed etiam nutriet magis quam sit ex usu. Præparatur ut ptissana cum pauco aceti, præsertim si adsit cruditas uel in uenis uel in toto corpore, ei acetum & porrum addenda, & cum mulso non facile putrescit: Condiatur melle aut saccharo ut amoueatur eius uiscositas, & cito descendat à stomacho: In imbecillum uentriculum demissum ab eo nō superatur: Quare ab eius multo esu cauere debet senex.* Gal.4.& 5. de San.t. Cap.4.6.8. 3.de temp.Cap. Ras.3 Alm.Ca 11.& 21.cont.Cap.189. Sauon.Tr.2.Ca.2.rubr.7.

FICI VIM H.

Sumitur ex ficu succi bene corpus alentis
Copia, obest stomacho, renibus ille fauet.

CALEFACIENDI. *Nam multum caloris habent, & aridæ caliditate sua leuiter ordinem secundum attingunt.* Dios. Lib.1.Cap.145. Gal.8.Simpl.med. 1 de nat.hum.

HVMECTANDI. *Nam recentes humidæ sunt in secundo excessu.* Haly. 5. Th.19. Isac in part. diæt.

ABSTERGENDI. *Nam acriores abstersoriæ potentiæ sunt: cuius gratia post ipsarum esum nephritici multas excernunt arenulas.* Gal.8. Simpl. medic. 2.al. Cap.8. Oribas.Lib.1.collecto.medicin.Cap.39.

DISCVTIENDI. *Nam furunculos & duritias in corpore tritæ & impositæ discutiunt, magis quæ acriores existunt.* Gal.8.Simpl.medic.

INCIDENDI. *Nan ficus est cibus incidens; & caricæ incidendi poßident facultatem: quare cum ipsis nuces phlegma incidunt, stomachumquè mundificant.* Gal.2. al.Cap.8. de diß.cont.

EXTENVANDI. *Nam extenuant caricæ.* Gal.2.al. Cap. 8.

APERIENDI. *Nam meatus obstructionesquè iecoris & lienis aperiunt.* Gal. de diß.cont. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.283. & Lib.4.fen.7.tr.2.Cap.2.

CIENDI. *Nam alui urinæquè ciende prouinciam pulcherrime subeunt & absoluunt.* Paul. Lib.1.Cap.81.& *menstrua prouocant.* Auic.ibid.

MATVRANDI. *Nam pinguiores duros tumores ualide ad maturitatem suppurationemquè solicitant, & impellunt: Et coctæ illitæquè parotidas furunculos strumas, nodosquè omnes emolliunt.* Dios. Lib.1.Cap.145. Paul.Lib.7. & Serap.de Simplic.Cap.208.

CONCOQVENDI. *Nam aridæ duros tumores concoquunt: & magis quæ pinguiores existunt.* Gal.8.Simpl.medic.

EXPVRGANDI. Nam renes purgandi prouinciam pulcherrime subeunt, & absoluunt: Coctæ cum hysopo pectus purgant; tußim ueterem, pituitam & longa pulmonum uitia: aluumquè subducunt, & molliuntur cum ordeo & nitro manducatæ & uentrem leniunt ante cibum sumptæ. Dios. Lib. 1. Cap. 145. Gal. 5. de San. tu. Cap. 9. Paul. Lib. 1. Cap. 81.

IVVANDI. Nam maturæ recentes aluum soluunt, sudorem euocāt, papulasq;, sitim sedant, calorem restingunt, siccæ uires alunt, aluo utiles, gutturi arteriæ renibus uesicæ, & ijs quos longa ualetudo decolorauit (meatus enim aperiunt, & ab interioribus ad exteriora sanguinem attrahunt) anhelatoribus, hydropicis comitialibus aptißimæ: Tußi ueteri diuturnisquè pulmonum uitijs conueniunt, cum ruta coctæ & infusæ torminibus prosunt, perniones crematæ cum cerato sanant, pruriginesq; sonitusquè aurium incertos tollūt crudæ & cum sinapi in aliquo liquore inditæ, Contra muris aranei morsus, & scolopendræ uenena cum eruo & uino illitæ auxiliantur: Si caricæ cum amigdalis comedantur sunt præstantiores; Siquè cum alio quopiam eorum quæ facultatem habent acrem, aut omnino incidendi ac extenuandi assumantur non solum iecori lieniquè obstructas, aut scirrho affectis utiles erunt, sed etiam sanos iuuabunt; siquidem iecoris meatus per quos fertur alimentum apertos esse non ægrotis modo, sed sanis etiam tutißimum est. Ficus insuper boni sunt pro cibo ad furfures capitis, & una cum uuis inter autumnales fructus obtinent principatum: & magis alunt, quam uuæ & omnibus fugacibus fructibus. Dios. Lib. 1. Cap. 145. Gal. 8. Simpl. medic. 2. al. Cap. 8. de bon. & uic. suc. Cap. 8. 1. de cōp. medic. secund. loc. Cap. 6. de puer. epil. Cap. 4. 5. de San. tu. Cap. 9. Aet. Serm. 1. Paul. Lib. 7. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 283.

NOCENDI. Nam neque ipse succi malitiam effugere potuerunt; Maturæ .n. recentes stomacum lædunt flatibus uentrem implent nisi probe coquantur, & si satietatem usque edantur scabiem & pruritum excitant. Siccæ sitim stimulant, reumatismis uentris & stomachi contrariæ, carnem sublaxam & subinanem generant, Aridæ nocent hepati ac spleni apostematis propter suam dulcedinem, sed si apostema est durum non nocent, neque iuuant: Caricæ multiplicem habent utilitatem, si quis tamen largius esitauerit ab eis offendetur: quandoquidem sanguinem non admodum probum gignunt, quo fit, ut ex ipsarum usu hectica scabies & pediculorum multitudo proueniat: Si uitiosus succus in uentre contineatur caricæ comestæ extremæ lædunt: Augent autē humorum malitiā in uētre corruptæ & inferne non sedentes. Verum si sint cum nuce aut amygdala comestæ tunc earum chymus fit bonus; qui uero cum cibo aliquo craßi succi caricas ficusuè mandunt non mediocriter offenduntur. Cæterum maturæ ficus immaturas non mediocriter antecellunt. Meliores sunt albæ, deinde rubeæ, deinceps nigræ: Cum nucibus præstantiores caricæ: & ficus exactæ maturæ feræ nihil noxij poßident: præsertim si ante cibum in quantitate modica manducentur: & aqua frigida post earum comestionem bibatur. Dios. Auic. Aet. Paul. ibid. Gal. ibid. & 2. al. Cap. 8. 9. 26 40. de bon. & uit. suc. Cap. 1. & 8. de att. uic. Cap. 10. Ply. Lib. 15. Cap. 18. & 28. Sim. Set.

FOENICVLVM V. H.

Fœniculum confert oculis, mammasque replebit.
Et lapides frangit, renibus atque fauet.

CALEFACIENDI. Nam tam potenter excalfacit, ut tertiæ calfacientiū claſſis eſſe cenſeatur. Gal.7.Simpl.medic.Paul.Lib.7.Aet.Serm.1.Auer.5.coll.

SICCANDI. Nam in ſiccando primum ordinem promeretur. Gal. Paul.ibid.

INCIDENDI. Nam eſt cibus incidens. Gal.de att.uic.Cap.3. de diß.cont.

EXTENVANDI. nam attenuat, & ſanguinem extenuat, & ſecernit. Gal.5. Simp.medic.Cap.13.de att.uic.Cap.3.

ADSTRINGENDI. Nam ſemen diſſolutum ſtomacho adſtringit, & aluum ſiſtunt ſemen & radix. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.281.

APERIENDI. Nam obſtructiones aperit. Auic.ibid.

CIENDI. Nam urinas excitat, & menſes elicit. Gal.7.& 5.Simpl.medic.Cap. 13. 1.ad Glauc.Cap.14.

IVVANDI. Nam inter obſonia connumeratur, & reponitur uel cum aceto ſolo, uel cum aceto & muria ſimul, adeo ut in totum annum utile ſit. Ipſum nobilitauere ſerpentes guſtatu ſenectam exuendo, oculorum aciem ſucco eius reficiendo: unde intellectum eſt hominum quoque caliginem eo releuari: Succus expreßis caule & folijs denſatur in ſole medicamentis quæ ad excitandum oculorum aciem parantur: Caulem ipſum dum floret indigent demetunt, & igni admouent, ut caloris ui exudās eijciat quod queritur gummi; hoc efficacius oculis quam ſuccus: Semen in febribus nauſeam æſtusquè ſtomachi ex frigida potum ſudat: pulmonibus & iocineribus laudatißimum: tormina mitigat: ſiue herbæ eſu, ſiue ſemine cum ptiſana poto: mammas lacte replet, nam ipſum purgat, atque multiplicat: Radix cum ptiſana pota renes expurgat, ſiue decocto ſucco, ſiue ſemine ſumpto: Prodeſt hydropicis radix in uino cocta, item conuulſis: Illinuntur folia tumoribus ardentibus ex aceto: calculos ueſicæ pellunt: genituræ abundantiam quocunque modo hauſtum facit: uerendis amicißimum ſiue ad fouendum radice cocta, ſiue contrita in oleo illitum: multi tumoribus & ſugillatis cum cera illinunt: Contritæ radices, & cum melle illitæ morſibus canum medentur: & antiquis febribus conferunt: Comæ decoctum renum doloribus prodeſt. quippe quòd urinam concitet: contra ſerpentium ictus in uino commode bibitur.

Dios. Lib.3.Cap.67. Gal.2.al.Cap.57. 5.Simpl.medic.Cap.13. Aet. Serm.1. Paul. Lib.7. Auic. Lib.2.tr.2. Cap.281. Ras. 22.cont. Cap.346. Ply. Lib.19. Cap.9. & Lib.20. Cap.23. 24. Sim. Seth. & Serapio Lib. de Simplic. Cap.324.

NOCENDI. Nam cibus acutus est: eiusquè digestio tarda: inobediens est enim digestioni, & eius nutrimentum est malum: Fortiter calfacit: Quare eo non est frequenter utendum: nam sanguinem adurit, & reddit ipsum subtilem: Minuit corpus ipsumquè debilitat; & ex eo fit cholera nigra: cum igitur potius sit medicina quam cibus, nisi operationibus illius indiguerimus, erit summopere fugiendum. Gal. 5 Simpl. medic. Cap. 13. de diss. cont. Aet. Serm. 1. Auic. Lib. 2 tr. 2. Cap. 281. Isac. in part. diæt.

FRAGA VIM H.

Arrident æstate cibis, corruptaquè febrem
Fraga creant: oculos uisceraquè illa iuuant.

REFRIGERANDI. Nam stomachum ordine secundo refrigerant. Ruell. Lib. 2. de Nat. stirp. Cap. 136. Matth. in Lib. 4. Dios. com. 38. Amat. Lusit. in 4. Dios. enar. 40.

SICCANDI. Nam secundo ordine siccant. Ruell. Matth. Amat. ibid. & Serap. Lib. de simplic. Cap. 100.

CONSTRINGENDI. Nam muliebres fluxus, & dysenterias cohibent; herbæ & radicum decoctum ore contentum, collutionisquè modo agitatum gingiuas roborat, dentes commotos firmat, & destillationes sistit. Ruell. Amat. Matth. ibid.

CIENDI. Nam urinam cient. Ruell. Matth. Amat. ibid.

ABSTERGENDI. Nam ex ipsis succus exprimitur, uetustate uires accipiens præsentaneo remedio ad faciei ulcera, itemque uaros, & oculorum nubeculas, & suffusiones, calidasquè defluxiones. Ruell. Matth. Amat. ibid.

IVVANDI. Nam uino & sacchraro mixta in continuo uictus usu sunt: deiectam incitant appetentiam; præter id quod gustui æstate in cibis arrideant, sitim sedant: macho prosunt, sed præsertim bilioso: Folia & radix fragariæ uulnera sanant & ulcera lieni conferunt: herba cibo sumpta medetur lienosis, item succus ex melle potus ad suspiriosos eorum succus cum pipere albo & melle mixtus potui datus mirificum est remedium. Herbæ & radicum decoctum iocineris feruores mulcet matutino, & meridie potum, Mundatquè renes & uesicam. Vinum quod ex fragis elicitur uetustate uires accipiens, ulcusculis quæ in facie à caliditate proueniunt mirifice medetur. Item uaros, & oculorum nubeculas calidasquè defluxiones tollit impositum. Ruell. Matth. Amat. ibid. Ply. Lib. 21. Cap. 15. Apul.

NOCENDI. Nam citam sentiunt corruptionis labem. Quapropter facile febrim experiuntur, qui largius hoc fugiente cibo uescuntur: uino & sacchraro mixta innocentiora redduntur. Ruell. Matth. Amat. ibid.

FVNGI VIM H.

Noxius est usus fungorum : nanque uenenum
Exitiale ferunt, praua alimenta creant.

REFRIGERANDI. *Nam frigidi sunt in fine tertij ordinis, unde proxime accedunt ad deleteriam facultatem.* Gal.7. Simpl.medic. Paul. Lib.7.Aet. Serm.1. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.375.

HVMECTANDI. *Nam in secundo ordine sunt humidi.* Gal. Auic. Paul.ibid.

ABSTERGENDI. *Nam lentigines, & mulierum uitia in facie leuant.* Ply.Lib. 22.Cap.23.

IVVANDI. *Nam aliqua in ipsis auxilia sunt: stomacho placent, aluum cient, alunt corpus fluxionibus alui quas rheumatismos uocant medentur: excrescentibus in sede carnibus, minuunt enim eas & tempore absumunt: lauantur ut plumbum ad oculorum medicamenta: sordidis ulceribus & capitis eruptionibus, canum morsibus ex aqua illinuntur.* Ply.Lib.22.Cap.23. Dios.Lib.4. Cap.78.

NOCENDI. *Nam sunt pessimi cibi, & praui succi frigidissimi glutinosissimi, & crassi: os uentris stomachum afficiunt: ex eis accidit constrictio anhelitus, inflatio uentris, & stomachi, singultus, syncopis, sudor frigidus, horripilatio & strangulatio: Pituitam gelidam noxio succo inuictam pariunt: ij multis modis uirus contrahunt, modo clauis iuxta defixis, modo panni marcore, modo serpentum afflatu proxime cauernas eorum nascentes, modo arborum pituita, quæ sponte naturæ nocentes fructus ferunt: omnibus ijs spuma quædam & colluuies insidet, non insunt hæc utilibus, proinde iuribus gratiam habent, cibis non iniucundi: largius tamen sumpti periculum afferunt, & ægrius concocti strangulant, aut choleram mouent: Familiares & innoxii credūtur recentes, minutissimi qui rubent callo minus diluto quam boletis rubore, mox candidi, molles friabiles, & qui in ulmis & piceis proueniunt, innocentissimi sunt e rubis, & carduis uere nati. Boleti innocentissimi si rite coquantur; proximi amanitæ, reliqui uitandi quòd multis mortem attulerint: Sunt qui tradunt utriusque populi albæ secundum & nigræ corticem in minutias concisum, & segetibus stercoratis inspersum fungos utiles innocentesquē parere anno toto restibiles: Oritur, & è saxo idest lapidem lyncurio, seu lynceo uulgari uoce dicto fungus admirabili natura, præciditur hic in esum, & alius subnascitur anno toto: Pediculi pars relicta duratur in Silicem, atque ita crescit semper lapis foecunditate restibili: Aduersantur nigri fungi, liuētes, uirides, rcido affectu, pallido per ambitum labro: Noxii erunt qui in coquendo duriores fiunt, innocentiores qui nitro addito coquuntur si utique percoquantur. His qui hoc ancipiti cibo strangulantur remedio est aquæ mulsæ, nitri & aceti potus, ita ut in uomitione reddantur; itaque parari de-*

bent ex aceto, aqua mulsa, sale allio, cinnamomo pipere zinzibere calamento origano & ocimo, ita iugulandi tollitur periculum: tutiores fient cum carne cocti aut cum pediculo pyri: prosunt & pyra confestim sumpta. Innocentißimi erunt si pyra syluestria cum ipsis incoquantur, nanque uirus eorum exitiale anceps detrahunt: Debellat eos acete natura; Vinum purum insuper & è sarmentorum cinere factum lixiuium, uini fæx usta, absinthium ruta, satureia origanum, raphanus, & gallinaceus fimus cum aceto potus; aut delinctus cum melle multo.

Dios. Lib 4. Cap. 78. & Lib. 6. Cap. 23. Gal. 7. & 10. de Simpl. medic. facul. 2. de antid. Cap. 7. 2. al. Cap. 69. de bon. & ui. suc. Cap. 4. de puer. epil. 1. de sympt. caus. Cap. 7. Paul. Lib 7. Lib 1. Cap. 55. & 77. Aet. Serm 1. & Serm. 13. Cap. 73. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 275. Lib. 4. Cap. 10. Ply Lib. 20. Cap. 6. & Lib. 22. Cap. 23. Lib 23. Cap 3. & 7. Oribas. 2. collecto. medicin. Cap. 25. & Serapio Lib. de simplic. Cap. 252.

GINGIBER V. H.

Gingiber est oculis aluo stomachoquê salubre
Proritat Venerem, calfacit, atque coquit.

CALEFACIENDI. Nam eius radix potenter excalfacit, sed non primo statim occursu, uelut piper: estque in fine ordinis tertii calidum. Dios. Lib. 2. Cap. 154. Gal 6 Simpl. medic. Auic. Lib 2 tr. 2. Cap. 746.

SICCANDI. Nam siccum est in secundo ordine: & humorositatem stomachi desiccat. Verum humiditatem habet, licet sensui non appareat: & propterea putredini obnoxium est. Auic. ibid. Isac. in part. diæt.

DISCVTIENDI. Nam inflationes discutit: & tenaces interaneorum dispescit humores. Gal. 4. de San. tu. Cap. 4.

EXPVRGANDI. Nam expurgat ea quæ claritati oculorum officiunt: & leniter aluum emollit & soluit. Dios. Auic. Isac. ibid.

ABSTERGENDI. Nam abstergit humiditatem à partibus capitis & gutturis. Auic. Ibid.

CONCOQVENDI. Nam coctiones adiuuat. Gal. 3. al. Cap. 21.

DIGERENDI. Nam digerit, & confert ad malitiam digestionis, & corruptionem ipsius. Aui. ibid. Mes. d. 4.

IVVANDI. Nam cibo conueniens est, & cum condimento assumitur, uentriculo auxiliatur: coctiones adiuuat, & digestiuam uirtutem: & ex gingibere aceto melle succo cidoniorum & pipere albo medicamentum ad deiectam appetentiam fit: restituit oculorum aciem humoris profluuio hebetatam: conuenit frigiditati hepatis

& stomachi: in antidota addi solet, confert enim uenenis uermium uenenatorum. Quomodecunque administretur corporibus frigidis plurimum iuuat: Conditum confert ad frigiditatem mollificationemq; stomachi, atque ad eructuationem ipsius acetosam. Dios. Lib. 2. Cap. 154. & ibi Amat, Serap. de Simpl. Cap. 336. Gal. 3. al. Cap. 21. 2. al. Cap. 23. Aet. Serm. 1. Auic. ibid. Mes. d. 4: Ras. 22. cont. Cap. 358.

NOCENDI. Nam acre est, Fortiter calfacit, uenerem prorıtat, & ulceribus minime conuenit: Aquosam & excrementitiam substantiam poßidet, ob quam etiam facile à teredinibus perforatur: Verum ne euanescat, & à uermibus corrodatur, terra quadam rubra aqua dissoluta inficitur, ac sic infectum gingiber rubrum appellant. Dios. Lib. 2 Cap. 154. & ibi Amat. Gal. 9. Simp. med. 4. de comp. med. per gen. Cap. 1. Aet. Serm. 1. Ply. Lib. 12. Cap. 7.

HORDEVM V. H.

Hordea dant nocuum panem sine crimine succum
Temperat hic bilem, siccat, alitque bene.

REFRIGERANDI. Nam refrigerat, in primo ordine, & quocunque modo coctum refrigerat: & polenta quæ fit, ex eo mitigat inflammationes. Gal. 7. Simpl. medic. 1. al. Cap. 1. 2. 9. de ptiß. Cap. 3.

SICCANDI. Nam arefacit in primo ordine, Sed humectat etiam pro modo præparationis. Gal. ibidem.

ADSTRINGENDI. Nam citam uentris proluuiem cum myrto uel mero, uel syluestrisbus pyris, uel rubo, uel malicorio cohibet, Polenta item quæ fit ex eo aluum sistit. Dios. Lib. 2. Cap. 79.

CIENDI. Nam urinam ciet. Dios. ibid.

ABSTERGENDI. Nam pauxillum absterſionis habet: & polenta quæ ex eo fit, illinitur ex aceto & melle lentigini, & cutis & uulnerum sordes auferre potest, magisque tergit, quam faba. Dios. ibid. Gal. 7. Simpl. medic. & 5. de bon. & ui. suc. Cap. 7. 8. meth. Cap. 4. de att. uic. Cap. 6. Oribas. Lib. 1. collecto. medicin. Cap. 10.

DISCVTIENDI. Nam eius farina & cruda & decocta collectiones impetusque discutit: item strumas cum pice liquida oleo & cera, & impubis pueri urina. Dios. ibid.

CONCOQVENDI. Nam eius farina collectiones impetusque concoquit, Si coquatur in aqua mulsa, & fico sicca. Dios. ibid.

SVPPVRANDI. Nam eius farina cum pice resina & columborum fimo duritias suppurat: Cremor uero farinæ ex aqua atque cum pice, & oleo decoctus puri

mouendo est. Dios. ibid. Gal. 2. ad Glauc. Cap. 7.

RESOLVENDI. Nam eius farina plurimum resoluit. Gal. 2. ad Glauc. Cap. 7.

IVVANDI. Nam facile transit in carnem, estque multo usui in uariis medicamentis: Farina enim eius ualet ad inflammationes podagræ cum cotoneo & aceto, ad lepras decocta cum aceto acri, ad articulos, quas pituitæ fluxiones implent subacta cum aceto, & decocta cum pice, ad multipedum morsus cum melle, & serpentium in aceto: ad uirilium dolores cum papauere, & melileto, & quoties ab oßibus caro recedit: contra tumores precordiorum in febribus cum melle uel adipe uetusto, cum fertula campana & papaueris capitibus laterum dolores leuat, Ex hordeo fit ptissana colata, & non colata, cuius usus saluberrimus est: habet enim uim cibi & medicamenti, euocat lac in mammillis, dissecat, deterget, atque resoluit. Sitim reprimit plusquam aqua: quare ea cibandi sunt crassos & multos humores in primis uenis habentes, eius enim succus detersorius & incisorius est: quare exibent in febre continua, quibus in uentriculo non acescit: Thoraci conuenit, nam facit expuere. Dios. ibid. Gal. 1. de rat. uic. acu. 18. 7. Simpl. medic. 4 de San. tu. Cap. 4. de ptiß. Cap. 3. de cathart. 1. al. Cap. 10. Aet. Serm. 1.

NOCENDI. nam inflationem parit, stomacho aduersatur. Hordeaceus panis uentriculo laborem infert, frigidos, lentosque succos generat, parum nutrit: Ptisana quæ ex hordeo fit facile acescit, non diligenter cocta uentosa est: Quando autem quantus & qua mensura ptissana utendum sit, docet Gal. de ptiß. Cap. ultimo. Dios. ibid. Gal. 1. al. Cap. 10. de att. uic. Cap. 6. de puer. epil. Paul. Lib. 1. Cap. 78. Aet. Serm. 1.

LAC VIM H.

Vtile consumptis, atque omnibus: ulcera curat.
Renibus in febri lac capitiquè nocet.

REFRIGERANDI. Nam frigidum est; potestate quidem calidum est, sed uincit in eo caliditatem frigiditas. Gal. 1. de Simpl. medic. facul. Cap. 2. 4. Simpl. medic. Cap. 17. 3. de temp. Cap. 4. com. 5 aph. 40.

HVMECTANDI. Nam uiscosum & humidum est; Gal. de oc. Cap. 6. 5. Simpl. medic. Cap. 17.

EMOLLIENDI. Nam aluum emollit, & cum sero aluum lenit, atque subducit, Verum aluum astringit decoctum, præcipueque candentibus calculis marinis exustum, ponitur etiam ferrum candens in alui profluuijs, & dysenteria pro calculis fluuiorum. Dios. Lib. 2. Cap. 64. Gal. 3. al. Cap. 16. 10. Simp. medic.

LENIENDI. Nam lenitiuus liquor est. Gal. 4 de cõp. medic. secũd loc. Cap. 2.

ADSTERGENDI. Nam abstergit cicatrices foedas in cute, & remouet pruritum, coloremquè efficit ualde bonum, bibitum. Auic. lib. 2. tr. 2. Cap 442.

CONSTRINGENDI. *Nam acetoſum decoctum conſtringit fluxum cholericũ, & ſanguineum.*

IVVANDI. *Nam homini alimentum eſt, optimi & probatiß. ſucci inter omnia cibaria, cito per uenas diſtribuitur, & quod bene concoquitur, bene nutrit: omnibus auxiliatur internis exulcerationibus præſertim faucium pulmonis interaneorum ueſicæ & renum; foris uero contra pruritum acutis, eruptiones papularum & uitiatos corporis ſuccos: recens cum melle crudo addito ſale datur exigua aqua dilutum: Tabidis cõuenit, quoniam lac omne utile eſt thoraci & pulmoni, & habentibus ulcus in pulmone, & eſt in maraſmo præſtantißimum oculis conuenit, ualetquè ad acres ipſorum fluxiones: Gargarizatum oris flegmonas mitigat: infunditur utero ulcerato, ad ſedis ulcera mitiganda: & ad ulcera pudendorum ualet, cancroſis applicatur ulceribus: tonſillas columellam, & antiadas phlegmone affectas mitigat; proinde in ſynanche ſiue angina; & in uenenis quæ eroſione interimunt exhibetur: ſuccurrit nocumento coitus, & roſcionibus ſtomachi: oculis ſuffuſis cum thuris polline utiliter inſtillatur: & confert ophthalmiæ: podagricis utile eſt illitum: Muliebre lac cæteris præferunt, deinde caprinum, nox ouillum, poſt bubulum aſininumq;: Sanißimum eſt purum ſincerum nec amaritudinis, nec acrimoniæ aut aciditatis, aut ſalſedinis aut foetoris particeps: Nec parum ad lactis bonitatem animalium paſcua conferunt, eorumq; florens ætas, & corporis habitus inculpatus.* Dios. Lib. 2. Cap. 64. Gal. 5. de San. tu. Cap. 7. 3 al. Cap. 15. de bon. & ui. suc. Cap. 4. 10. Simpl. med. de ocul. Cap. 4. 5. meth. med. Cap. 12. de marc. Cap. 9. com. 5. aph 64. Paul. Lib. 7. Aet. Serm. 2. Cap. 86. 87. &c. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 442. de diß. cont. 3. pergn. Lege Oribas ſecundo collecto. medicin. Cap. 59.

NOCENDI. *Nam inflat, obſtruit, calculos gignit, obeſt gingiuis & dentibus, ipſos enim corrodit, concauat, atque conſumit; nocet febrientibus capitis dolore affectis, reſolutis, conuulſis, fluxione tentatis, calculo oppreßis, pituitoſis, adoleſcentibus, obſtructis; Pediculos generat, excitat colicam, & facit uiſus tenebroſitatẽ atq; caliginem: Præcordiorum & uentriculi diſtentionem conciliat: Quod immixto coagulo concreuit, quãquam uerno, & æſtiuo tempore menſis frequẽtißime expetatur, tamen anguſtiam parit, uentriculum opprimit, caput uaporibus replet, ægre concoquitur, & craſſum gignit ſuccum; Quamobrem ſi quandoque in cibum ueniat, primum omnium ingeratur; Si quidem ultimo loco ſumptum, aut ſtatim putreſcit, aut ſubſidentem cibum ſecum ad ima trahit incoctum. Bibendum lac melle aut ſaccharo & ſale iniectis, ne fiat caſeus in uentriculo, ſugendumquè è mamma à ptiſicis antequã immutetur ab aere. A cibis etiam omnibus & uino poſtquam aſſumptum fuerit abſtinendum quouſque ſeceſſerit à uentriculo, minimeque exercitio eſt utendum, neq; ſuperdormiendum: & eo ſtatim ebibito uino aut hydromelite os oportet abluere, ne dentes inficiat. Cæterum fit quoque ex lactis ſuprema parte ex quo butirum conficitur, id quod caput lactis appellant, cibus ori ſuauis, ſed per ſe ſolus non admodum ſtomacho gratus, quum ſua pinguedine ipſum mollificet, relaxet uè, & craſſum præbeat alimentum, ac ab ſtomacho cibum intempeſtiue deſcendere faciat; proinde cibus iſte abſq; ſaccharo uel melle nunquã comedatur.* Dios. Lib. 2. Cap. 64. & ibi Luſit. Auic. Gal. Aet. ibid. Paul. Lib. 1. Cap. 86. Iſac. in 5. Doctr.

LACTVCA V. H.

Conciliat ſomnos, ſtomacho lactuca ſalubris.
Lac creat, aſt oculis largius eſa nocet.

REFRIGERANDI. Nam eſt in ſecundo ordine frigida, & ideo æſtate grata, & ardentibus febribus opitulatur: & tam ut cibus quam ut medicamentum frigida eſt: Dios. Lib. 2. Cap. 129. Gal. de att. uic. Cap. 5. 6. de Simpl. medic. facul. 3. de temp. Cap. 4. Paul. Lib. 1. Cap. 74. & Lib. 7. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 449.

HVMECTANDI. Nam humida eſt in ſecundo exceſſu. Gal. Auic. Paul. ibid.

REPRIMENDI. Nam lac eius tumētia uiſcera reprimit. Ruell. Lib. 2. Cap. 69.

EMOLLIENDI. Nam aluum emollit. Dios. ibid.

SISTENDI. Nam modicæ lactucæ ſiſtunt aluū, copioſiores autē ſoluunt: & ſemen potū genituræ profluuia cohibet. Gal. 6. Simpl. medic. Paul Lib. 7. Ruell. ibid.

IVVANDI. Nam ſucci eſt quam omnia alia olera laudabilioris: ſanguinem multum generat; lactucæ æſtuationis gratia infrenandæ comeduntur, bilis acrimoniam domant, ſomnum conciliant ueſperi manſæ: & ſemen ex ſtillatitio roſarum liquore temporibus admotum peruigiles ad ſomnum reducit: à ſtomacho faſtidia aufert lactuca, cibique appetentiam inuitat: lactis auget ubertatem: Decocta plus alit, non elota cibo diſſolutum ſtomachum firmat, crebras libidinum imaginationes compeſcit: & ueneris impetus cohibet, concoctiones adiuuat, ſemen contra ſcorpiones datur: ambuſtis prodeſt recentibus antequam puſtulæ fiant cum ſale illita: ulcera quæ ſerpunt cohercet cum aphronitro: Mox in uino igni ſacro illinitur: conuulſa & luxata caulibus tritis cum polenta ex aqua frigida lenit: Deferuefacti caules ſtomacho utiliſsimi traduntur. Dantur coeliacis, & dyſentericis cum intubo erratico, & ad prædictorum duritiam, & ueſicæ uitia: ſitim reſtinguit: Thoracis uitiis prodeſt: ebrietatem non ſentiri. Si quis ieiunus lactucas prægustauerit tradiderunt. Adſumentes affirmant neque aquarum mutatione tentari, neque nouarum mutatione infeſtari: Quippe cum impendentem noxam præſumptæ penitus arceant: Muria condiuntur, & ſeruari in alienos menſes eas oximelite repertum eſt: Præſtantior ea quæ conglobatis in orbem foliis criſpa teneraq; inuenitur & palato gratior quam dura patula & lacteſcens. Dios Lib. 2. Cap. 129. Auic. Paul. ibid. Gal. 2. al. Cap. 40. 2. de comp. medic. ſecund. loc. Cap. 1. 6. Simpl. med. 2. de loc. aff. Cap. 9. 3. de temp. Cap. 4. Aet. Serm. 1. Ply. lib. 19. Cap. 8.

NOCENDI. Nam frequentior in cibo claritati oculorum officit: & eius uſu crebro imbecillitas contrahitur: acies oculorum retunditur; caligoque tandem obuerſatur, ueneris alacritas emarceſcit: Lædit ſtomachum frigidum. Cauendus lactucarum eſus ſuſpirioſis, ſanguinem excreantibus, pituitoſis, & iis quoque qui liberis

rocreandis operam dant: Si quidem ut fertur non foecunditatem modo minuunt, sed quos postmodum sustulerint filios uelut amentes & inepti à progenitorum ingenio degenerant: Lactucarum insuper succus longe plus æquo sumptus perimendi licentiam nanciscitur: Lactuca præterea sanguinem multum generat: Verum qui à multa huiusmodi sanguinis generatione offenduntur, debent laborem augere & lactucarum esum minuere: Lactuca cum induratur & lactis habuerit copiam, fit amari saporis, & pessimum generat sanguinem: esui cocta magisq; cruda conueniens: illa quæ non est abluta meliorem, ablutio enim addit ei inflationem; quoniam aqua suæ frigiditati, & humiditati tribuit augumentum: ideo non nisi iunctis erucæ Mentæ aut similium folijs estur, ut immodicæ frigiditati additur calor excessum temperet. Dios. ibid. Auic. Paul. Aet. ibid. Gal. ibid. & 2. al. Cap. 58. 3. Simpl. medic. Cap. 18. Haly. 5. Th. Cap. 16 Isac. in part. diæt.

LAVER VIM H.

Calfaciens Lauer est, cit, torminibusque medetur.
Digerit & lapides conterit, atre trahit.

CALEFACIENDI. Nam quatenus non nihil aromatis gustui recipit, eatenus excalfaciendi naturam sortitur: Gal. 8. Simpl. medic. Paul. Lib. 7. Aet. Serm. 1.

SICCANDI. Nam inquantum aromaticum saporem habet, in tantum siccantis facultatis particeps est. Aet. Serm. 1.

DISCVTIENDI. Nam Sium discutit. Aet. Serm. 1.

ATTENVANDI. Nam Sium attenuat. Gal. de att. uic. Cap. 2.

CIENDI. Nam urinas ciet: & remoratos menses expellit. Dios. Lib. 2. Cap. 120. Gal. 2. al. Cap. 52. Paul. Lib. 7. Aet. Ser. 1.

EXTRAHENDI. Nam distrabit, & ualet partubus expellendis. Dios. Lib. 2. Cap. 120. Paul. Lib. 7.

DIGERENDI. Nam Sium digerit: Gal. 8. Simpl. medic.

ABSTERGENDI. Nam prodest lentigini illitum, & mulierum uitijs in facie noctu perlitũ momento cutem emendat: Ramices lenit, & scabiem equorum Ruell. Lib. 2. Cap. 59.

IVVANDI. Nam coctum crudumq; calculos eijcit; atq; cõminuit: Torminibus medetur: Renibus, & lienibus prodest: Hydropicos adiuuat. Dysentericis auxiliatur; siue ipsum in cibo sumptum, siue ius decocti, siue semen e uino drachmis duabus. Gal. 8. Simpl. medic. 9. de comp. med. secund loc. Cap. 3. Dios. ibid. Paul. Lib. 7. Aet. Serm. 1. Ply. Lib. 26. Cap. 8.

NOCENDI. Nam crudum insuaue est stomacho, & propterea coctum mandũt: Nam & si utilitas quæ ex cibis prouenit, nõ uoluptas sit spectanda: quia tamen cibi insuauitas magna ex parte causa est quo minus ipsum non nulli conficiant, ob id nimirũ satius fuerit, cibos condire interdũ mediocriter, nõ uti coqui faciunt; cõdimẽta quorum plus interdũ concoctioni obsunt, quã prosint. Gal. 2. de alim. fac. Cap. 52.

Lens oculis nocua est, stomachoquè adstringit & inflat
Non bene concoquitur, somnia tetra facit.

CALEFACIENDI. Nam temperate calefacit: est enim in actiuis qualitatibus temperata. Gal.8.Simpl.medic. Paul. Lib.7. Auic. Lib.2.tr.2. Cap.446. Ras.3. Alm.Cap.2.

REFRIGERANDI. Nam temperate refrigerat. Gal. Paul. Auic. Ras. ibid.

SICCANDI. Nam desiccat secundo arefacientium ordine. Gal. Paul. ibid.

ADSTRINGENDI. Nam adstringit:& eius cortex uehementer corpus adstringit: Cremor autem eius contrariam exhibet uim: qui si decoctus in aqua cum sale garo, oleoquè bibatur alui deiectionem molitur: Menstruos foeminarum cursus sistit: In choleris, & dysenterijs efficacior est in tribus aquis cocta, aut in aceto cum rebus stipticis: in quo usu melius est, semper eam torrere, aut tundere, ut quam tenuissima detur. Gal.6.de comp.medic.secund.loc.Cap.4. de rat.uic.acut Cap.4. 94. Paul.Lib.1.Cap.79.& Lib.7.

DISCVTIENDI. Nam ex aceto duritias discutit,& strumas; oculorum autē epiphoras cum meliloto aut cotoneo. Dios.Lib.2.Cap.100.

ABSTERGENDI. Nam abstersiua est,& crustulas ulcerum rumpit,eaque sordibus expurgat. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.446.

IVVANDI. Nam hos uentriculi, interanea, & totam denique aluum roborat, uentrem firmat, defluxiones in ipsum incumbentes resiccando: cæterum cortice suo castrata maiorem alendi facultatem adsciscit:nec tamē ita fluxiones exiccat,uti quæ cortice non est spoliata. Aciem uisus humidioribus tuetur: Collectiones omnes imposita sedat maxime ulceratas & rinosas: ad collectiones sedis adhibetur ex rosaceo: aduersus pascentes cangrenas adhibetur admixto mari: Podagris cum polenta,& renibus & pernionibus & uuluis imponitur; item ulceribus difficilem cicatricem trahentibus & ijs quæ serpunt; igni sacro; Mammis lacte coagulato turgentibus: stomachi quidem causa polentæ modo potionibus inspargitur: quæ sunt combusta aqua semicocta curat: trita per cribrum effuso furfure mox procedente curatione addito melle ex posca coquitur ad guttura: Decocte cremor ad oris ulcerationes,& genitalium adhibetur. Alba dulcedine præstantior: Melior tamen quæ coctibilior,& quæ maxime aquam absorbet nihil atri in maceratione remitiens. Dios.Lib.2.Cap.100.Gal.8.Simpl.medic. I al.Cap.18.Aet.Ser.1.Paul. Aui.ibid.

NOCENDI. Nam uitiosi cremoris est: ægre concoquitur, stomachum & intestina inflat eis inimica: Somnia tumultuosa excitat: capiti neruis pulmoni inutilis: cancros mouet,& elephantiasim creat largius sumpta,quòd facile in atram bilem de-

generet: crebro esum aciem oculorum obtundit; præsertim siccis: sanguinem parit herentem ac tardifluum grauem, melancolicum, siccis & squallidis constitutionibus noxam afferens: nam corpus desiccat, sperma destruit, priuat coitum, & sanguinis caliditatem extinguit. Sapa condita iocineris obstructiones gignit: eiusdem uisceris item & lienis inflammationes excitat: nisi melle addito huiusmodi uitium eluatur: quin duritias utriusque uisceris acerbius irritari hoc esu nemo ambigit: minimequè incrassantia. Sibi uult admisceri, sed liquida potius & craßitudinem incidentia: Quapropter pulegium expetit, & satuream: & ptisanæ mixta optimum euadit edulium. Quæ cum inueteratis sale carnibus estur, craßiorem succum creat, & sanguinem atra bile refercit. Dios.Lib.2.Cap.100. Gal.8.Simpl.medic. 1.al.Cap.18. 2.al. Cap.44. de bon. & ui. suc. Cap.4. com.4. de rat.uic.acut.94. Paul. Aet. Auic.ibid. Ras 3.Alm.Cap.2. Auer.5.coll.

LVPINI V. H.

Vtilis est iecori, stomacho spleniquè lupinus.
Enecat hic tineas, crassa alimenta dabit.

CALEFACIENDI. Nam eorum uirtus calida est in primo excessu. Auic. Lib.2.tr 2.Cap.448. Hypp.2.diæt.

SICCANDI. Nam sicci in secundo ordine sunt: Auic.ibid.

ABSTERGENDI. Nam si in aqua coelesti decoquantur usquedum fatiscant, resoluanturq; , succus ille smegma fit cuti: eodem fouere psoras incipientes, maculas Vitiligines nigras, lepras, ulcera manantia eruptionesquè pituitæ utilißimum: cocti ex aceto candidum colorem reddunt: lentigines decocto & fouentium cutem corrigunt: ulcera atra aridi decorticatique triti supposito linteolo ad uiuum corpus redigunt: eorum farina aceto subacta liuores emendat. Dios.Lib.2.Cap.103. Paul.Lib.7. 1.de comp.medic.secund.loc.Cap.8. 5.Simpl.medic.Cap.12.

DISCVTIENDI. Nam strumas, parotidas, in aceto cocti discutiunt: Tumores denique ac tubera eorum farina cum aceto mulso emplastri more imposita dißipat. Dios.Lib.2.Cap.103. Paul.Lib.7.

DIGERENDI. Nam digerendi uim obtinent: & quæcunque sunt liuida digerunt: & emplastice sunt: Chæradas digerunt, & phymata curant. Gal.6. Simp.med.

APERIENDI. Nam orificia hæmorrhoidarum aperiunt; & meatus expurgant. Gal.6. Simpl.medic. de ocul.Cap.3. 5. Simpl.medic. Cap.12. Auer.5.coll.

CIENDI. Nam cit urinam radix eorum cum aqua cocta: & eorum decoctum menses & partus extrahit cum melle & myrrha in uellere subditum. Dios.Lib.2. Cap.103.

IVVANDI. Nam Lupinus multi usus legumen censetur: Elixus enim ac deinde in aqua dulci donec omnem sibi ingenitam exuat insuauitatem commadefefactus editur, cum garo aut oxigaro uel sine his etiam, modico sale conditus: & penitus est medicinæ propinquior quam cibo: probe tamen nutrit, non est mali succi: famem si sterilitas amnonæ incesßit hominibus commode propulsat: Nam qui maceratu dulcescit, uires alere poterit: Discolorem hominem lupini in cibo frequentiores exhilarant: auiditatem cibi faciunt: Fastidium detrahunt: amari contra aspidas ualent, in aceto cocti illitiquè minuunt panos, & strumas. rumpunt carbunculos: Decoctum eorum cum ruta & pipere expedit ad lienem bibere (nam ipsum & iecur expurgat) & gangrænas fouere. Communes hominum quadrupedumquè usui lupini: cum Chamoeleonis radice decocti pecoris scabiem persanant; sed ita ut excalfacto liquore perfundantur quadrupedes, quibus etiam medetur aqua in potum collata: Fumus crematorum culices necat: Succus decoctorum cum ruta pipere uel in febri datur ad uentris animalia pellenda maioribus; Pueris uero tritos in uentrem ieiunis imposuisse satis est: alio etiam modo tosti, & defruto poti uel ex melle sumuntur: Decoctum eorum lumbricos expellere solet potum & per clysterem infusum; Farina quoque eorum forinsecus cum bubulo felle umbilico imposita idem prestat: eadem cum polenta inflammationes sedat. Dios.ibid. Gal.1. al.Cap.23. 6.Simpl. medic.Cap.12. Paul. Lib.7. Aet. Serm.1. Auic.ibid.

NOCENDI. Nam concoctioni non recte parent, quòd dura & terrestri constent natura; ideo succum creant crassum, qui fere in uenis crudis creat; cum tamen omni deposita amaritudine dulcescunt nec aluum mouent, nec retinent; sicuti quæ fatua, insipidauè nobis offeruntur: tarde descendunt, & aluo difficilius excernuntur, & flatulenti sunt: Mitescunt cinere, aut aqua calidis præparatique cum speciebus malos humores minime generant. Dios. Lib.2. Cap.103. Gal.1.al. Cap.23. de att. uic. Cap.7. de bon. & uit. suc. Cap.7. 6.Simpl. medic. 5.Simpl. medic. Cap.12. de diß.cont. Paul.Lib.1.Cap.79. & Lib.7. Auer.5.coll. Isac in part. diæt. Ras.3. Alm. Cap.2. 21.cont. Cap.177. & in Lib. diæt. Cap.17. Ply. Lib.18.Cap.14.Cap.7.

LVPVLVS V. H.

Frigidus educit lupulus de ſanguine bilem
Atque æſtus iecoris uentriculiquè leuat.

REFRIGERANDI. *Nam in medio uſu refrigerat: aliquantulum tamen calidus eſt; allia enim & uinum fricatus ſubolet.* Ruell. Lib. 2. de Nat. ſtirp. Cap. 140. Amat. Luſit. in 2. Dios. enar. 82.

PVRGANDI. *Nam pituitam in aqua intercutem exigit per aluum: & bilem regio morbo laborantibus detrahit: & ſi in aqua caſei infundatur, & accipiatur de illa aqua uſque ad unc. x. cum penidijs ſoluit uentrem.* Mes. in Cap. de Lupulo. & Sauon. Tr. 2. ſuæ pract. Cap. 2. rubr. 8.

CIENDI. *Nam prouocat urinam.* Sauon. ibid.

IVVANDI. *Nam connumeratur inter eas herbas quæ ſponte proueniunt; quibusquè pleræquè gentium utuntur in cibis: Sedat ſtomachi, & iecoris inflammationes & collectionum impetus lenit. & teneris eius turionibus in acetarijs utimur. Sero caprino maceratus ualentior redditur. In capitis dolore qui medium capitis occupet, eius ſuccus illinitur, item quoties immodicos æſtus mitigare neceſſum ſit. Hoc frugibus admixto germani ſuam condiunt ceruiſiam. Quæ proculdubio optimus eſt potus, & febricitatibus conuenientiſſimus præſertim ſimplex: Nam iecori maxime conuenit lupulus, & illius curat obſtructiones: ex quo hodie ſyrupus in officinis inſtructioribus paratus habetur; ueluti & aqua per campanam ſiue lambicum diſtillata, quæ utiliſſime exhibentur in febribus à bile & ſanguine excitatis.* Mes. in Cap de uolub. Ruell. Amat. Luſit. Sauon. ibid.

NOCENDI. *Nam inflatiuus eſt: Remouetur autem eius nocumentum cum decoquitur, & elixatur. præſertim cum fuerit ſero caprino maceratus.* Sauon. ibid.

Exhilarant animos præludia odoraquè mala.
Ex acidis stomachus robur habere potest.

REFRIGERANDI. Nam pomum omne refrigerandi poßidet uim: Dulcia tamen sunt decliuiora ad caliditatem quam alia: quamuis magis dominans in eis sit frigus. Gal.7. Simpl.medic. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.569.

HVMECTANDI. Nam pomum omne humectat. Gal. Auic.ibid.

INCIDENDI. Nam acida in uentre humores incidunt. Gal.2.al. Cap.21. Paul.Lib.7.

ADSTRINGENDI. Nam poma ipsa acerbiuscula non nihil adstringunt: orbiculata sistunt aluum, & uomitiones supprimunt: syluestria similia sunt uermis acerbis, aluumquè constringunt, in quem usum immatura sunt opus: acida magis substringunt. Dios. Lib.1.Cap.131. Gal.2.al.Cap.21. Auic.ibid.

IVVANDI. Nam in morbis multum poma iuuant: Quæ enim belle matura in hyemem & uer proximum aßeruant, ea sæpe in morbis maximum præsidium afferunt; uel cataplasmatis modo cum farina admota, aut calidis cineribus mediocriter asseta; aut pulchre in aquæ bullentis percocta uaporibus: Cæterum post cibum statim dare ipsa conueniet: nonnunquam autem & cum pane ad uentriculum & stomachum roborandum, ijs qui deiecta sunt appetentia, tardequè concoquunt; quique uomitu, diarrhæa, ac dysenteria infestantur: in hunc usum acerba sunt apta: Idonea præterea sunt æstatis tempore, quando necesse est corporis totius squallorem caloremq; curare: Malorum omni genere uinum faciunt. Dulcia poma odorata cordialia sunt: & si eorum cortices ignitis prunis inijciantur, ex se odorem referunt Moschatum: ex his tantum debet fieri serapium de pomis, quo medici contra cordis affectiones utuntur: acida enim nihil cum corde habent, sed uentriculum potius roborant; ipsumquè constringunt: ex his ergo paretur serapium conueniens stomacho. Dios. Lib.1.Cap.131. & ibi Amat. Lusit. Gal.2. al. Cap.21. de bon. & ui. suc. Cap.8.& 13. Aet. Serm.1. Paul. Lib.7. Auic lib.2.tr.2. Cap.569. Auer.5. coll. Ply.Lib.14.Cap.14.& 19.

NOCENDI. Quoniam non faciunt ad sanitatem, generant uiscosos crassos, & frigidos humores: quare non sunt epilepticis exhibenda: neq; his qui obstructionibus infestantur: quibus poma aduersißima sunt, quum pituitosa flatuosaquè sint; & præsertim adstringentia si acida fuerint: Viridia quæ nondum ad maturitatem deuenerunt succum noxium pariunt; bilem & morbos creant: Melioris succi dulcia, & aluo facilius excernuntur: Pomum omne parum alit, mali succi est: autumno plus officit: Verna bilem pariunt, neruos lædunt: Spiritus flatusquè creant: & quandoquè

generantur ex illis quæ sunt immatura febres plurimæ cruditate sui humoris. Verna acerba stomacho inutilia sunt, aluum uesicam circumagunt: neruos lædunt, cocta meliora. Quare ipsis non ut cibis utamur, & non in multa quantitate & potius cocta quam cruda manducemus. Dios. Lib. 1. Cap. 131. Gal. de att. uic. Cap. 10. de puer epil. de bon. & uit. suc. Cap. 8. & 13. Aet. Serm. 1. Paul. Lib. 7. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 569. Haly. 5. Theor. Cap. 19. Ras. 3. Alm. Cap. 80. Ply. Lib. 23. Cap. 6.

MEL VIM H.

Mel oculis confert, ualide domat omne uenenum,
Purgat idem, ast inflat, bilis & inde uiget.

CALEFACIENDI. Est enim in secundo ordine calidum. Gal. 7. Simpl. medic. & 11.

SICCANDI. Nam siccum est excessu secundo. Gal. ibid. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 496.

ATTENVANDI. Nam sputum crassum attenuat. Gal. de diff. cont. de cathart.

ABSTERGENDI. Nam uim extersoriam possidet, et non coctum super omnia emundat. Medetur impetigini coctum cum liquido alumine; et illitum. Dios. Lib. 2. Cap. 75. Gal. 7. de comp. medic. secund loc. Cap. 2. 4. meth. Cap. 7. 2. Simpl. medic. Cap. 14. 6. de comp. medic. secund. loc. Cap. 2.

DISCVTIENDI. Nam oculorum caliginem discutit. Dios. Lib 2. Cap. 75.

APERIENDI. Nam ora uenarum aperit. Dios. ibid.

CIENDI. Nam urinam cit: & senibus per urinam humiditatem educitur. Gal 8. de comp. medic. secund. loc. Cap. 8. 5. de San. t. Cap. 9.

GLVTINANDI. Nam decoctum abscedentem carnem impositum glutinat. Dios. ibid.

PVRGANDI. Nam aluum lubricam reddit, atque subducit, præsertim crudum humores euocat: qua ratione in sordida ulcera sinusquè commodissime infunditur: purgat pulmonem Thoracem, & aures. Dios. ibid. Gal. 4 meth. Cap. 7.

IVVANDI. Nam despumatum cibus optimus stomacho frigido: plurimum alimenti confert: Frigidis humidis, pituitosisquè accommodatissimum, atque salubre: Habet nobiscum familiaritatem; sed non tantam quantam habet uinum: oculorum claritati, & faciei prodest: faucibus anginæ, tonsillis, omnibusquè oris affectibus utilissimum, arescentiquè in febribus, linguæ, peripneumonicis, pleuriticis decoctum, item à serpente percussis auxiliatur: aduersus uenena fungorum: & rabiosi canis morsus linctum, aut potum proficit. lendes & foeda capitis animalia illitum enecat.

Natura mellis est, ut uitia coerceat, nec illa serpere patiatur: Quam ob causam uel exanimum corpus hominis per annos plurimos conseruat innoxium; non uescentibus modo suaue sentitur, sed facilem & nitidam utentibus protrahit uitam, caducaq; firmat senectam, & sensuum integritatem, uigoremquè animi corporisquè custodit. Democritus semel interrogatus quo nam pacto, & inoffensa ualetudine homines, & longiore æuo uitam prorogarent, respondit, si externa oleo, interna melle delinantur: Sed mel quod intingitur sincerum & omnis expers fraudis esse conuenit. Thymo ad mellificium nihil præstantius est: Mel improbius melius coctione reddetur: Primatum tenet in mellis genere uernum; deinde æstiuum; hybernum uero, ut pote quòd crassius constet, deterrimum reputatur. Ex melle fit mulsa, quæ præclaram habet utilitatem cibo ægrotantium leui uiribus recreandis, stomachoquè mulcendo, ardore refrigerando: lenit transitum spiritus, & molliores facit meatus, tussientibus utilis traditur. Dios. Lib. 2. Cap. 75. Gal. 7 meth. Cap. 7. 3. al. Cap 39. Paul. Lib. 7. Aet. Serm. 1. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 496. Ply. Lib. 7. Cap. 3. Lib. 11. Cap. 4. 14 Lib. 22. Cap 24.

NOCENDI. Nam stomachum & intestina inflat: bilem auget, fastidium creat, cibus uentriculo pessimus calido: In ætate enim uigente constitutis ac calidis in bilem transit ante concoctionem, præsertim æstate: tussim lacescit, largius uero sumptum uentrem superiorem ad uomitum excitat: Despumati usus aptior est: coctum enim minus acre, ac mordax euadit. Cæterum uenenosum mel uaria symptomata inducens, uarijs in locis reperitur: præsertim ubi apes pastæ uenenatarum plantarum floribus fuerint. Dios. Lib. 2. Cap. 75. & ibi Amat. Lusit. Gal 3. al. Cap. 39. 7 meth. Cap 7. Paul. Lib. 7. Aet. Serm. 1. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 496. Ply. Lib. 22. Cap. 24. Ras. 3 Alm. Cap. 20.

MELISSA V. H.

Exilarat, reuocatque animum citrago labantem.
Ictibus auxilio est, uiscera cuncta iuuat.

CALEFACIENDI. Namque est secundo ordine calida. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 95.

SICCANDI. Nam siccat excessu secundo. Auic. ibid.

APERIENDI. Nam eius proprium est cerebri obstructiones reserare. Auic. ibid. Serapius Cap. 23

DISCVTIENDI. Nam eius succus inflationes discutit, & folia torminibus auxiliantur: & strumas cum sale discutiunt. Dios. Lib. 3. Cap. 101.

CIENDI. Nam eius decoctum ad ciundos menses conuenit. Dios. ibid.

PVRGANDI. Nam eius succus, seu decoctum foeminas insidentes purgat: folia ulcera purgant: Vires enim deiectorias poßidet, nec adeo imbecilles, quin atrabiliorios uapores à spiritibus & à sanguine, qui cordi, & arterijs inest educere queat: quod in cæteris corporis partibus, ac in toto corpore efficere nequeat. Dios. Lib. 3. Cap. 101. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 95. & tr. 2. de med. cord.

IVVANDI. Nam eius proprium est animum hilarem reddere, humenti ac frigido uentriculo auxiliari, concoctionem adiuuare, deficientem animum reuocare, cordis imbecillitatem roborare, eamque præsertim, qua somnus frequentius nocte intercipi solet. Quin & eius pulsum reprimere, animi solcitudines fugare, ac solicitas imaginationes tollere; quæ tum ab atra bile, tum ab exausta pituita gignuntur. In summa cor exilarat, uitalesque facultates roborat, odoris fragrantia, saporis austeritate partiumque tenuitate. Quibus facultatibus cæteris etiam uisceribus competit fertur quòd industriam afferat, & quòd ante somnum sumpta, bona somnia faciat, contraria ratione cum braßica. Marrubio aßimilis est facultate ad omnia. Præstantißimum est contra ictus apum uesparumque & araneorum remedium, item scorpionum, Pollet contra uuluarum strangulationes addito nitro: contra tormina è uino: folia eius strumis illinuntur, & sedis uitijs cum sale decocta: succus ulcera sanat, articularios morbos sedat, canisque morsus: prodest dysentericis ueteribus, & coeliacis, orthopnoicis, lienibus, ulceribus thoracis. caligines oculorum succo cum melle inungi eximium habetur: Folia in uino sumpta medentur ictibus scorpionum, araneorum, & canum, eorundem decocto fouentes eadem utilitas sequitur: idem in dentium dolore colluitur: contra fungorum strangulatus folia cum nitro bibuntur: odoratus reddit melissophillon compositiones: quare non solum aqua per campanam extracta paßim in officinis parata habetur: sed etiam syrupus ex eius succo confectus & sacchara reperitur. Dios. Lib. 3. Cap. 101. & ibi Lusit. Auic.

ibid. Gal.7. Simpl.medic. & Lib.1. de comp.medic.secund loc.Cap.5. Paul.Lib.7. Aet.Serm.1. Serap. Cap.23. Ply.Lib.20.Cap.11. Lib.21.Cap.20. Sim.Seth.

NOCENDI. Nam inflationem faciens uirgam erigit. In insalatutijs ipsa possumus uti secure, & præcipue cum frigidis, ut lactuca, & huiusmodi mixta fuerit. Ioann. Isac. in part. diæt.

MENTA VIM H.

Menta iuuat stomachum, tineas necat, ictibus atris.
Conuenit, & Venerem commouet atque ciet.

CALEFACIENDI. Nam in tertio calfacit ordine. Gal.6.de Simpl.medic.facult. 3.al.Cap.2. 2.de comp.medic.secund.loc.Cap.1. Paul.Lib.7. Aet. Ser.1. Auer.5.coll.

SICCANDI. Nam sicca est in secundo excessu. Gal.ibid. Auerr. ibid. Auic. Lib.2.tr.2.Cap.495.

ADSTRINGENDI. Nam adstringendi poßidet facultatem. Dios. Lib. 3. Cap.35.

SISTENDI. Nam sanguinem sistit, & recens sanguinis putum coibet si cum posca bibatur. purgationes foeminarum inhibet, & cum amylo ex aqua pota coeliacorum impetus infrenat. Singultus & uomitiones sistit cum succo granati: Sanguinem comprimit poto ex aceto succo: ipsa uero trita in aceto pota choleras, & sanguinis intus supprimit fluxiones. Gal.6. Simpl. medic. Dios.ibid. Paul. Lib.7. Aet.Serm.1. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.495.

ABSTERGENDI. Nam impetigines aiunt uel si teneatur tantum prohibere. Ruell.Lib.3. Cap.29.

REPELLENDI. Nam uiridis repellit. Gal.1.ad Glauc.Cap.15. 2.de comp. medic.secund.loc.Cap.2.

INCIDENDI. Nam est cibus incidens. Gal.de diß.cont.

DISCVTIEDI Nam discutit abscessus imposita, & eius in aqua mulsa decoctum inter discussoria moderata parabilia connumeratur. Dios. ibid. Gal.6.de comp medic.secund loc.Cap.1.

DIGERENDI. Nam Menta digerit. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.495.

PVRGANDI. Nam pituitas corruptas purgat in mulso & aqua. Gal.ibid.

IVVANDI. Nam est obsonium sponte proueniens, ipsius odor mentem excitat & sapor auiditatem in cibis: omnino stomachum adiuuat, & in condimenta uenit pluribus modis, in ipsis peculiarem gratiam habens. Sumitur contra scolopendras, scorpiones

scorpiones marinos, & ad serpentes: ulcera in capite infantium mire sanat, narium uitia spiritu subducto emendat, illinitur temporibus & fronti in capitis dolore; epiphoris imponitur, & omnibus in capite erumptionibus: aiunt lieni mederi eam in horto gustatam, ita ne uellatur: aridæ farinam tribus digitis apprhensam stomachi dolorem sedare in aqua; & similiter aspersam in potione uentris animalia pellere: teretes enim uentris tineas enecat: Mammis quæ tenduntur, aut lacte turgeant imponitur: Morsibus canum cum sale linitur: aurium doloribus cum aqua mulsa medetur: linguæ scabritiem infricata complanat: addita in potionibus lactis densari & in caseum coire non patitur: Et si caseus eius succo liniatur à putredine præseruatur. Dios Lib.3.Cap.35. Gal.6. Simpl.medic. 3.al. Cap.2. 2.al. Cap.70. 3. de med. par.fac.120. Paul. Lib 7. Aet.Serm.1. Ply.Lib.20.Cap.14.Auic. Lib.2.tr.2.Cap.495. Sauon.tr.2 de reb.non nat.Cap 4.rubr.10.

NOCENDI. Nam est cibus acutus, Venerem stimulat: & propterea prohibetur ne ipsa comedatur, aut semen in bello, quia propter usum coitus corpora frigidiora, aut minus animosa redduntur ipsa uesci ad satietatem non oportet, quoniam sanguinem extenuat & serosum facit, & ipsum in flauam bilem mutat: dein efficit, ut sanguis qui maxime est tenuium partium discutiatur, & crassus & melancolicus relinquatur, atque iccirco oportet biliosos ab ea abstinere. Semen pulmonem lædit. Sim. Seth. Cæterum uuluæ ante coitum admota conceptioni resistit; nam generationi contraria. Dios. Auic. Paul. Aet. Sauon. & Gal. ibid & de diß.cont. & de Simpl.medic. Auer.5.coll. Haliab.5.Th.Cap.16. Isac in part.diæt.

MESPILA VIM H.

Mespila constringunt, stomacho gratissima & ori:
Sint tibi non uictus, sed medicina magis.

REFRIGERANDI. *Nam frigida sunt in secũdo excessu.* Ras.3.Alm.Cap 20. *Isac in part.diæt.*

SICCANDI. *Nam in primo ordine sunt sicca.* Isac. ibid.

ADSTRINGENDI. *Nam uentrem multo ualentius quam sorba compescunt. Quare sunt cibus utilissimus uentri fluenti, & lubricæ aluo accommodata: & dysenteriam adstringunt.* Dios.Lib.1.Cap.133. Gal.2.al. Cap.25. 7.de Simpl.med. facul. & 11. Paul.Lib.7. Aet. Serm.1.

IVVANDI. *Nam aronia, quæ Azaroli fructus uocantur, ori grata habentur, ualentq; ad stomachi uentrisquè firmitatem ac robur; item ad stomachi ardorem cum syncope. Mespila præterea sunt cibus conueniens stomachicis: uomitum auferunt, & reprimunt flauam bilem: eorum grana contra Nephritim multum ualent.*

Dios. Lib.1. Cap.133. Gal. 2.al. Cap.25. de bon. & uit. suc. Cap.8. 8.de comp.medic.secund. loc.Cap.4. Ras.3.Alm.Cap.20. Amat.Lusit.in Dios. Ply. Lib.15.Cap.20.

NOCENDI. *Nam acerba sunt, uixque edi possunt uentrem strenue cohercentia: ægre concoquuntur; parum nutriunt, & crassum gignunt succum. Meliora sunt ante cibum quam post: ipsis autem parce utendum; non enim eis ut alimento, sed ut medicamento potius indigemus.* Dios.Lib.1.Cap.133. Gal.7.Simpl.medic. 2.al. Cap.25.de att.uic. Cap. 10. de bon. & uit.suc. Cap.8. Aet. Serm.1. Isac. in part. diæt. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.753. Ras.3.Alm.Cap.20. Ply.Lib.15 Cap.20.

MILIVM V. H.

Sistit, & exsiccat milium, mulcetquè dolores:
Frigidus ex illo est panis, alitquè parum.

Refrigerandi. *Nam eius uis refrigeratrix in primo ordine:* Gal.7. simpl.medic. Aet.Serm.1.

Siccandi. *Nam uis ei resiccatoria in ordine tertio.* Gal.7. Simpl.medic. 5.de San.tu.Cap.8. Paul.Lib.7.

Sistendi. *Nam eo sistitur aluus.* Gal 6.Simpl. medic. Aet.Serm.1. Paul. Lib.1.Cap.78.

Ciendi. *Nam urinam pellit.* Dios Lib.2.Cap.90.

Discutiendi. *Nam eo tormina discutiuntur, in quem usum torretur ante, & in sacco ponitur Feruens ad discutienda tormina & neruorum dolores.* Dios. Lib.2.Cap.90.

Iuvandi. *Nam doloribus neruorum, & alijs feruens in sacco ponitur neque aliud utilius, nihil enim lenius molliusq; & caloris capacius: itaque talis usus eius est ad omnia quibus calor est profuturus: estquè optimum fomentum his qui debent exiccari citra morsum: & ex eo fit fomentum siccum in coli dolore: Farina eius cum pice liquida serpentium & multipedæ plagis imponitur.* Dios.Lib.2.Cap.90. Gal.6.Simpl.medic. 12. Meth.Cap.8. 2.ad Glauc.Cap.6. Paul.Lib.1.Cap.78. & Lib.7. Ply.Lib.18.Cap.10. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.295. Aet.Serm.1.

Nocendi. *Nam flatulentum, concoctu difficile, praui & crassi succi, estquè cibus frigidissimus, uentrem sistit, parum nutrit, ipso in panes abutuntur, cum cæterarum frugum urget inopia: ij corpus parum alunt, per quam arida præditi natura; ita ut arenularum aut cineris instar digitis frientur, nec mirum quòd nullo glutinoso lentore iuncti coalescant: Hoc semen ex se nullam gratiam init, sed lecte præstantius redditur edulium, aut melle, quòd in edendo iucundam uoluptatem conciliet, deiectionem uentris facile moliatur, eoquè duce facilius membratim digeratur. Panicum est milio simile eodemquè modo in panes subigitur, eodemquè habet usus, minus tamen & nutrit & stringit.* Dios.Lib.2.Cap.90 & 91. Gal.1.al.Cap.15. de bon.& ui.suc.Cap 5. 6.Simpl.medic. Auic.Lib 2.tr.2.Cap.295. Auer.5.coll. Isac.in part.diæt. Ras.3.Alm.Cap.2. Sim Seth.

Mora mouent aluum si sunt matura, nocebunt
Ventriculo, succus prouenit inde putris.

REFRIGERANDI. *Nam mediocriter refrigerant; Quare ipsis utendam cum uentriculus squallore æstuat.* Gal. Lib.3 Simpl.medic. Cap.7. 2.al.Cap.11. Paul.Lib.1.Cap 81.

HVMECTANDI. *Nam uehementem humectandi poßidet facultatem.* Gal.2. al. Cap. 11. Paul. Lib. 1. Cap. 81. Oribas. primo Lib. collect. medicin. Cap. 42.

ADSTRINGENDI. *Nam uentrem immatura compescunt. Quare ad dysenterias, Diarrhœas, & affectiones coeliacas sunt semper accommoda.* Gal 2. al. Cap. 11. 7. Simpl.medic.

EXPVRGANDI. *Nam à primordio coene, & ante alios cibos deuorata uentrem exonerant, lubricantquè matura.* Gal.Lib.7.Simpl.medic. 2.al.Cap.11. de att.uic.Cap.10. Paul.Lib.1.Cap 81.& Lib.7.

IVVANDI. *Nam succus siccato pomo expressus multum obsoniorum sapori cõfert, & gratiam mirum commendat. Cruda mora uentris tineas excutiunt, satis bonum creant succum, & aluo facile excernuntur: siccata traduntur in cibos commendantia obsoniorum saporem, quemadmodum Rhus: in medicina uero coeliacis dantur: fit è pomo nobile medicamentum stomatice, aut arteriace, quod ori & gutturi conferat, appellatum: Mora insuper epilepticis conferunt: Medicamenta quæ ex mororum succo parantur si facta ex rubi fructibus fuerint, facultatem habebunt efficaciorem.* Dios.Lib.1.Cap.143. Gal.2.al.Cap.11. & 13. 7.de Simpl.medic. facul. 6.de comp. medic. secund.loc.Cap.1. de puer.epil. Ply. Lib.15. Cap.24. 23. & Lib.23. Cap.7. Auic.

NOCENDI. *Nam facile corrumpuntur, paucum ministrant alimentum: inimica stomacho, sitim faciunt, si non superuenerit alius cibus intumescunt: abluenda sunt antequam mandantur: ex immaturis fit stupor dentium: sunt minus noxia fugacibus, & moderatiora persicis, & prunis. Verum cum corrumpuntur non habent in se minus uitij, quam illa, sed similia fiunt lætalibus uenenis: Si uero coquantur sunt innoxia, nisi liberalius sumantur: Rubi autem fructus, qui etiam mora dicuntur, magisquam mora adstringunt: & siquis largius his uescatur, capitis dolorem sentiet, alij stomacho anguntur: Moris ante cibum utendum, & non nisi à stomachum mundum habentibus comedenda.* Dios Lib.1. Cap.143. Gal.2.al. Cap.11. & 13. 3.al.Cap.16. de bon.& ui.suc.Cap.8. Aet.Serm.1. Ply.Lib.15.Cap.28. Ras. 21.cont.Cap.171. Haly.5.Th.Cap.19. Auic.

NVX IVGLANS V.H.

Glans Iouis est capiti, stomachoq; inimica nocebit
Hæc minus esa arcens, dira uenena fugat.

CALEFACIENDI. Nam calida est in tertio ordine. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 51.

SICCANDI. Nam sicca est in principio secundi ordinis. Auic.ibid.

ADSTRINGENDI. Nam habet qualitatis adstringentis non exiguū, quæ temporis processu marcescit, degenerante tota eius substantia in pinguem succum, adeo ut fiat cibo prorsus in idonea, quod ueteri oleo sua pinguitudine adsimilis appareat: Viridis autem, atque etiamnum humida neque adstringentis qualitatis, neque oleosæ conspicue particeps est, sed magis est quodammodo qualitatis expers. At nucleorū crematarum nucum cinis ex uino subter inditus foeminarum purgationes cohibet: cortex earum dysentericis prodest. Dios. Lib.1. Cap.141. Gal. 2.al.Cap.28.

ABSTERGENDI. Nam liuores illitu rapit, cortex eius lichenum uitio prodest: Item Iuglandes extergendi habent ea quæ in cute oriuntur uitia potestatem. Dios.ibid. Paul.Lib.7.

DISCVTIENDI. Nam cum cortice suo crematæ iuglandes & umbilico admotæ discutiunt tormina. Dios.ibid.

INCIDENDI. Nam cum ficubus sumptæ incidunt phlegma, & mundificant stomachum Gal. de diß.cont.

ATTENVANDI. Nam accommodæ sunt uictui attenuanti. Gal. de att. uic. Cap.10.

PVRGANDI. Nam uirides nuces siccis humidiores sunt, uentremquè subducunt præsertim cum garo: Siccæ autem minus sunt ad deiectionem idoneæ. Gal.2. al.Cap.28. Paul.Lib.1.Cap.82.

IVVANDI. Nam sunt qui à iuuando & glande iuglandem dictam existiment: & fertur qui ieiunus sumpserit duas nuces siccas & totidem ficos cum rutæ folijs uiginti simul tritis addito salis grano nullum uenenum illo die nociturum, nec minus si à ueneni haustu comedantur. Contra rabiosi canis hominisquè morsus nuclei à ieiuno homine commanducati, illitiquè præsenti remedio esse dicuntur. Recentes stomacho suauiores uentrem mouent. Siccæ uomituris ieiunis aptæ. Item aduersantur cæpis, leniuntquè earum saporem: & quo quis plures ediderit ieiuno stomacho, eo facilius latas uentris tineas pellit. alliatis induntur ad domandam acrimoniam. Comeduntur in tenesmo ad extrahendam pituitam. Mammarum inflammationibus, absceßibus, luxatisquè imponuntur cum exiguo melle & ruta: Quæ perueteres sunt gangrenis & carbunculis medentur, item ægilopijs & sugillatis: Areas capi-

tis breui momento replent pilo commanducati & protinus ex ore impositi nuclæi: Putamen combustum tritumquè in oleo & uino capite peruncto nutrit capillum & alopecias replet. Nucibus tusis oleum exprimitur, quod purgat aures: ualet ad neruorum uulnera, gangrenas; carbunculos, & ægilopas sanat: putredines dißipat: Putaminis item expreßi succo similiter ut mororum & ruborum in melle decocto uice stomatici medicamenti utuntur, & ad omnia reliqua quæ modo dicti succi conuenire censentur. Dios. Auic. Paul. ibid. Aet. Serm. 1. Gal. 2. al. Cap. 28. 7. Simpl. medic. de bon. & uit. suc. Cap. 8. 5. Meth. med. Cap. 10. Ply. Lib. 17. Cap. 12. Lib. 23. Cap. 8.

NOCENDI. Nam parum nutriunt, in ore uesicas faciunt, & in lingua paralysim faucium & capitis dolorem afferunt, & tusses augent, stomacho sunt inutiles, biliosæ difficiles concoctu, dolorem capitis inferentes: tußientibus inimicæ: sitim prouocant, fumos capiti faciunt, & in oculis uertiginem: ex quibus patet quòd calidam habentes temperaturam debent eas minime manducare: cum autem dantur calefactis earum Theriaca est oximel, & si cum almuri & aceto comedantur innocentiores redduntur: frigidi autem senes & pituitosi securius & in hyeme præcipue possunt illis uesci. Cæterum iuglandes uirides sacchara uel melle conditæ stomacho utiles euadunt præsertim frigido, & ori non ingratæ: siccæ aqua maceratæ, uel in aqua calida per noctem infusæ fiunt uirides uirtute, & uentrem leniunt: Recentes stomacho minus infensæ gratioresquè: Arborum umbra insalubris est etiam capiti humano, omnibusquè iuxta satis. Dios. Gal. Paul: Aet. Ply. ibid. Auer. 5. coll. Ras 3. Alm. Cap. 20. 21. cont. Cap. 202. 4. suorum aph. Isac. in part. diæt. Sim. Seth.

Discutit, inflammat, commendat & oris odorem.
Nux moschata, oculis, uentriculoquè fauet.

CALEFACIENDI. Nam in ordine secundo completo calefacit. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 502. Matth. in Dios. Lib. 1. Cap. 141.

SICCANDI. Nam siccat in fine secundi ordinis usque ad tertium. Auic. & Matthiol. ibid.

ADSTRINGENDI. Nam adstringit fluentem aluum sistit, & uomitum prohibet. Auic. Matth. ibid.

ABSTERGENDI. Nam lentigines in facie emendat. Auic. ibid.

CIENDI. Nam urinam cit, & illius confert. difficultati. Auic. ibid.

DISCVTIENDI. Nam flatus discutit. Matth. ibid.

DIGERENDI. Nam cibum digerit. Serap. Cap. 61.

IVVANDI. Nam oris suauitatem commendat, & foetentis Animæ uirus commansa abolet, uisum acuit, capiti utilis est uentriculum & proprie os eius confortat, iecur roborat, lienem absumit, & frigidis uteri affectibus mirifice prodest: & uniuersim facultas ei eadem quæ & cariophillis. è recentibus prius contusis, & in cacabo calefactis prelo exprimitur liquor, qui refrigeratus ceræ nouæ instar concrescit, fragrantißimum spirans odorem, neruorum & articulorum diuturnis doloribus à frigore excitatis utilißimus: quin & maximæ ueneris inunctionibus expetitur. Præferuntur recentes quæ nullam præsenserint cariem, item ponderosæ, farectæ præpingues humore redundantes, ita ut adacta acu confestim è uulnusculo exeat humor. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 502. Serap. Cap. 161. Matth. in 1. Dios. Cap. 141.

NOCENDI. Nam inflammant. Quare calidi biliosi, & sanguinei ab illis, precipue æstatis tempore caueant: Phlegmatici uero & melanchonici & huiusmodi illis utantur in suis cibarijs securißime. Aben. Mes.

OZYMVM V. H.

Ozyma ſunt oculis ſtomachoquê infeſta, ſedictus.
Viroſos, nec non tormina ſæua leuant.

CALEFACIENDI. *Nam ex ſecundo eſt calfacientium ordine.* Gal.8.Simpl. medic.Aet.Serm.1.

SICCANDI. *Nam ſiccum eſt in primo ordine, deſtillationesquè pectoris & pulmonis exiccat.* Dios. Lib.2.Cap.135. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.104.

MOLLIENDI. *Nam aluum emollit ſi ſuperfluitatem præparatam inueniat, Si autem non inueniat ſtipticat.* Dios. Auic.ibid.

DIGERENDI. *Nam foris illitum ad digerendum & concoquendum utile.* Gal. 8.Simpl.medic.

DISCVTIENDI. *Nam diſcutit inflationes, flatusquè diſſoluit.* Dios. Aet. ibid. Ply.7.

ATTENVANDI. *Nam eius ſemen attennatoriæ eſt facultatis, non tamen uehementer.* Gal.2.de comp.medic.ſecund.loc.Cap.1.

ABSTERGENDI. *Nam eius ſuccus caliginem uiſus abſtergit.* Dios.ibid.

CIENDI. *Nam urinam pellit, & eius ſemen naribus hauſtum ſubinde mouet ſternutamenta, quod idem herba facit, ſed oculos præmi neceſſum eſt cum ſternutamentum urget.* Dios.Lib.2.Cap.135.

IVVANDI. *Nam eo plerique ut obſonio utuntur ex oleo & garo eſitantes: ipſumq; lactucæ eſt miſcendum: remouet ſtuporem dentium, lac euocat, ponitur ſuper puncturam ueſpæ ſcorpionum & draconis marini: Illitum cum polenta roſaceo & aceto inflammationibus pulmonum ſalutare creditur: oculorum doloribus cũ uino chio imponitur: aſſeuerant ſi quiſpiam eo die quo ederit ocimum feriatur à ſcorpione lædi non poſſe: capiti cordiq; odoratu ſalutare. Aqua maceratum aſcito humore ſomnum allicit: hos recreat quos cor defecerit: Memores quos atra bilis attulerit mulcet. Animi nubila diſcutit, triſtes exhilarat, atque timidos animat: aliqui coeliacis & ſanguinem excreantibus in uino dederunt: Contra duritiam precordiorum mammis illinunt. Decoctum ipſius lippientibus ob craßioris memoriæ copiam calidum profomento adhibitum magnopere prodeſt, præſertim pueris, quorum auribus cum adipe anſerimo inſtillant, uuluas ex aceto purgant. Deſtillationes eo cohibent, uerrucas mixto atramento ſutorio tollunt.* Dios. Auic. Aet. ibid. Gal.2. al.Cap.52.& 56. 8.Simpl.medic. Ruell.Lib.2 Cap.74. Sim. Seth.

NOCENDI. *Nam ſtomacho noxium, prauiquè ſucci, & concoctu difficile: Venerem ſtimulat, copioſiore cibo oculorum aciem hebetat: Habet recrementitiam: humiditatem: Quare manducatum, & in ſole poſitum uermiculos creat, proinde cõ-*

modum non est;ut in corpus sumatur. Desiccat pulmonem, uentrex laxat, est uelocis putrefactionis, choleramquè multiplicat: Inflationem generat, mentem minuit, & humorem melancholicum generat. Dios.Lib.1.Cap.135. Gal.8.Simpl.medic. 2.al.Cap.56. 1.de dig.febr.Cap.3. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.104. Ras.21.cont. 102.Haly.5.Theor.Cap.16. Mes.

OLEVM V. H.

Calfaciens oleum est, mollit, minuitquè dolores,
Enecat & uermes, cuncta uenena fugat.

CALEFACIENDI. *Nam potestate calidum est, & calefacit ut alimentum, & ex his est, quæ nos recalfaciunt ubi excalfactionis principium à nobis acceperint: & fit oleum uetustate calidius. Gal.2.Simpl.medic.Cap.24. 5.Simpl.medic.Cap.2. 2.de comp.medic.per G.Cap.2 3.de temper.Cap.4*

HVMECTANDI. *Nam humidum est, humectat & sordidum est, Gal.Cap.1. aph.14. 1.de temp.Cap.6. 11.Simpl.medic.6.Simpl.med. 5.de San.tu.Cap.8.*

EMOLLIENDI. *Nam emollit, uentrem subducit, & ipso ante cibum assumpto soluitur aluus. 5.de san.tu.Cap.9. 2.Simpl.medic.Cap.18. & Cap.5. Dios. Lib.1.Cap.8.*

MATVRANDI. *Nam maturat, & uetus duritias magis diffundit. Gal.2.ad Glau.Cap.7. de oc.3.*

LENIENDI. *Nam lenit omnes mordicationes et ulcera. Gal.2.Simpl.medic. Cap.10.11.13. Ras.22.cont.*

DISCVTIENDI. *Nam tormina discutit calidum potum, magisquè ruta simul uetusquè magis discutit, & inflationem sedat. Dios ibid.*

DIGERENDI. *Nam uetus abunde digerit sine erosione. Gal.4.de comp.medic.per gen.Cap.5. 3.de comp.medic.per gen.Cap.9*

ABSTERGENDI. *Nam faciem expurgat. Ruell.Lib.1.Cap.104.*

IVVANDI. *Nam habet nobiscum familiaritatem, & sanis & ægris conuenit: à perfrictionibus corpus uindicat, ipsumquè gerendis rebus habilius ac promptius efficit: laßitudines sanat, uenena omnia cohibet, hebetatquè crebro potum additumq; uomitionibus uentris animalia pellit, utilißime subter in aluum datur ileosis quod tenuioris intestini morbus tentare solet. Lætargicis auxiliare iam inclinato morbo, oculorum claritati sublitum prodest. capitis doloribus remedium est, item doloribus in febri cum aqua præsertim uetus: & si uetusti non sit occasio decoquitur ad craßitudinem mellis, ut uetustatem representet; oleo ueteri simile est oleum lucernarum; A uino nullus succus præcisior oleo: ipso enim mollitur corpus, uigorem ac robur*

accipit. Democritus (ut Diophanes tradit) interrogatus qua ratione homines inoffensa ualetudine degerent, ac uigorem illum animi custodirent, respondisse fertur. Si externa corporis oleo interna melle linirentur. Dios. Lib 1. Cap. 2. Gal. de rem. off. dign. Cap. 6. 1. ad Glauc. Cap. 14. 1. de comp. medic. secund. loc. Cap. 2. 2. Simpl. medic. Cap. 5. 6. 7. de comp. med. per gen Cap. 11. Aet Serm. 1.

NOCENDI. Nam crassæ & lentæ substantiæ est, multam bilem continet, tussim excitat, guttur exasperat, oculos mordicat, illisquè nocet: Dispositionibusquè Rheumaticis, & cauo ulceri aduersissimum. Vim neruorum debilitat: & propterea in competenti quantitate eo utamur, & non quocunque sed optimo. Gal. 1. Simpl. medic. Cap. 14. 2. Cap. 17. & Cap. 5. 2. ad Glauc. Cap. 2. 3. meth. Cap. 2. 2. de n. f. Cap. 8. de opt. Sec. Cap. 9. Aet. Serm. 1. Ras. 22. cont.

OLIVA VIM H.

Stringit oliua recens condita, refrigerat, ægre
Concoquitur, stomacho mitior apta minus.

REFRIGERANDI. Nam immatura refrigerat, matura autem est calida moderate. Gal. 6 de Simpl. medic. facul. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap 531.

ADSTRINGENDI. Nam immatura adstringit, & muriæ succus gingiuas contrahit, & dentium motus firmat. Gal. 6. Simpl. medic. Dios. Lib. 1. Cap. 118.

SISTENDI. Nam arefacta illitu depascentia ulcera sistit, & carbunculos emarginat. Dios. Lib. 1. Cap. 118.

LENIENDI. Nam aluum difficilem leniunt salsæ siue cōditæ, idque sane acrius cū aceto, uel aceto mulso præparētur, cōdiāturue. Gal. 2. al. C. 27. Paul. L. 1. C. 81.

PVRGANDI. Nam colymbades sordida ulcera purgant tritæ; illitæquè: & subducunt præ reliquis cibis comestæ. Dios. Lib. 1. Cap 118. Aet. Ser. 2. Cap. 265.

IVVANDI. Nam colymbades tritæ, & ambustis illitæ pustulas gigni prohibēt. stomachum roborant, & appetentiam excitant, suntquè obsonium in capitis dolore ex stomacho: Oliua flaua & recens stomacho utilior est. Gal. 2. al. Cap. 27. 2. de comp. medic. secund. loc. Cap. 1. Dios. Lib 1. Cap. 118. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 531. Paul. Lib. 1. Cap. 81. & Lib. 7. Oribas Lib. 1. collecto. medicin. Cap. 541.

NOCENDI. Nam parum nutrit, crassum parit succum, uentri difficilis flaua & recens: Nigra autem & matura corruptioni est opportuna: stomacho aduersatur: oculis non conuenit, capitis dolorem mouet. Sale condita à sale accipit quandam acuminis & siccitatis partem, unde sanguinis præstat incendium: stomachi neruos mordicat: Quæ autem cum aceto est præparata tenuior existit: proinde bilis acumen extinguit: & appetentiam excitat. Dios. Gal. Paul. Auic. ibid. Isac. in part. diæt. Haly. 5. Th. Cap. 19.

OMPHACIVM V. H.

Omphacium sistit fluxus, & mitigat æstum
Lumina clara facit, conuenit atque cibis.

REFRIGERANDI. *Nam cū acidum sit perfecte etiā refrigerat, uniceq; ardoribus prodest; siue ori uentris impositū, siue totis hypochondrijs, siue cuilibet alij quod refrigerare uelimus, calidis enim morbis omnibus magno iuuamēto adhiberi potest, & ad hypochondria ardentia magis conuenit quā acetum.* Gal.4.Simpl.med.C.12.

SICCANDI. *Nam exiccat in ordime tertio: quamobrem affectibus cum fluxione coniunctis, præsertim stomacho cibum non continenti succurrit.* Gal.6. Simpl.medic.Cap.27. 5.meth.medic.Cap.10. Paul.Lib.7.

ADSTRINGENDI. *Nam uehementer adstringit, proinde bibitur ad recentem sanguinis excreationem: etiam si rupta intus aliqua parte contigerit.* Dios.Lib.5. Cap.6. Gal.6.Simpl.medic.Cap.27.

SISTENDI. *Nam fluxiones sistit, dysentericisquè & mulieribus fluxione uuluæ laborantibus clyster infunditur.* Dios.Lib.5.Cap.6. Gal.11.Simpl.medic.

IVVANDI. *Nam prodest contra tonsillas, uuam, humida gingiuarum uitia, purulentas aures cum melle & passo, item fistulas, uetera ulcera nomasquè ex aceto: oculorum claritati, scabritiæ, & ulceribus angulorum auxiliatur. Tradunt aliqui stomacho dissoluto, & cibos non perficienti prodesse: item prægnantibus defectis à conceptu, item dolorem sentientibus. Auxiliarem uim habere fertur sorbitionis usu cum pestifera lues populatim grassatur. Sunt qui ut maiorem omphacio adstrictionem comparent, e syluestrium uitium uuis illud exprimant, non ad medicamenta tantum, sed etiam ad ciborum condimenta. Verum omphacium nostrorum sole non cogitur, & si pluribus diebus ipsum insolari dimittamus suis cum uinaceis in cado crasso linteane cooperto, donec excrementa subleuentur, Fex uero subsidat, & inclarescat succus: Si quidem hac parandi ratione absque sale per annum incorruptum asseruatur, tam ad ciborum quam ad medicamentorum usum. Omphacis loco sunt uuæ crispinæ baccæ in usu ciborum, acerbæ uidelicet, ueris præcipue & æstatis temporibus in quibus iurulentæ carnes, piscesuè ipsis condiuntur: & febrientibus iusculis incoctæ non sine utilitate exhibentur: mulieribus utero gerentibus magnopere expetuntur.* Matth.& Lusit.in 1. Dios.Cap.105. Dios.Lib.5.Cap.6 & ibi Matth. Gal.6.Simpl.medic. Cap.27. 11. Simpl medic. Ruell.Lib.1.Cap.142.

NOCENDI. *Nam insigniter comburit, Frangere autem uehementiam eius aqua multa oportet; & in usu præberi exiguum. Videant igitur iuniores medici cū agrestæ succū febricitantibus concedunt, ne plus iusto salitus sit: Nam sic salitus, ut plerunque paratur, Febres acuit; & corpora plus iusto desiccat.* Dios.& ibi Amat. Lusit.Lib.5.Cap.6.

ORIZA VIM. H.

Insuauem dat oriza cibum, sed supprimit aluum.
Crassa alimenta parit, concoquiturquè male.

CALEFACIENDI. *Nam calida est. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.574.*

SICCANDI. *Nam sicca est, & eius siccitas sua caliditate manifestior est.*

ADSTRINGENDI. *Nam stipticitatis alicuius est particeps, quam utique ob causam uentrem solutum leniter adstringit, atque compescit. Dios. Lib.2.Cap. 88. Gal.3.al.Cap.15. 1.al.Cap.17. 8.Simpl.medic. Aet Serm.1.*

ABSTERGENDI. *Nam in ipsa est abstersio. Auic.ibid.*

IVVANDI. *Nam est hominum non aspernandum edulium; nutrimentum enim præbet conueniens, ad quandam siccitatem declinans: & decoctum eius superne uel subter in aluum datur contra dysenterias, tormina, uentrisquè dolores: Cocta cum butiro datur ad stomachi ardorem cum syncope, estquè cibus stomachicis conueniēs. Gal.1.de al.facul. Cap.17. 8.de comp.medic. secund.loc. Cap.4. Aet. Serm.1. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.574.*

NOCENDI. *Nam mediocriter alit, ægræ concoquitur, tarde digeritur, est cibus crassus, difficilius quam alica conficitur, & minus alit, ceu utique & in edendi suauitate ab ea quam plurimum deficit. Cum decoquitur cum lacte, & oleo amigdalino & zucchāro maius dat nutrimentum, & melius: & remouetur ab eo exiccatio & constrictio quam facit; & proprie cum infunditur nocte una in aqua furfuris. Dios.Lib.2.Cap.88. Gal.8.Simpl.medic. 1.al.Cap.17. de diss.cont. Auic.Lib. 2.tr.2.Cap.574. Aet.Serm.1.*

OVA VIM H.

Ouum alit, & recreat, coitumq; & semen adauget:
Aptius ista recens, candidiusq; facit.

REFRIGERANDI. *Nam eorum albumen temperatura moderate symmetro frigidius est. Vitellus aßimilis est potentiæ: ideoquè inseritur remedijs inflammationes extinguentibus. Dios.Lib.2.Cap.44. Paul.Lib.7.*

HVMECTANDI. *Nam dant humidum alimentum: assus uero uitellus paulo maiorem desiccandi uim, quam crudus habet. Gal. de ptiß.Cap.6. Paul.Lib.7.*

SISTENDI. *Nam oui candidum fronti impositum cum thure fluxiones arcet, auertitquè & ouum in aceto decoctum perdurum, fluxiones uentris desiccat, & dysentericis prodest. Dios.Lib.2.Cap.44. Gal.11.Simpl.medic.*

MATVRANDI. *Nam sorbile ouum si exibeatur lentorem humorum in pectore pulmonequè maturat, atque solatur. Paul.Lib.7*

INCIDENDI. *Nam sorbile ouum si exibeatur lentorem humorum in pectore, atque pulmone incidit. Paul. Lib.6.*

IVVANDI. *Nam multum nutriunt, & breui reficiunt tempore; recreant. semen prolificum augent, & uires ad coitum suppeditant; Quæ omnia eo præstant efficacius, quo recentiora sunt, & à gallinis edita, quæ prius admissarios gallos susceperint. Sorbilia conueniunt ad leuigandum placandumquè asperitates arteriæ ac gutturis: assus uero uitellus minorem in mitigando uim poßidet quam crudus: Albumen uero collinit, & mitigat acres mordicationes. Recentia oua ueteribus pluri mum præstant: Quippe optima sunt recentißima secundum locum sibi uendicant à perdicibus & phasianis edita: quanquam gallinacea uiribus non excellant: In ouis luteum candido longe præstat; nempe quod illud temperatum constat, ori non ingratum, boni succi, & concoctu minime contumax: Oua uarijs & diuersis modis decoquuntur: quo fit ut diuersum afferant alimentum, & ob id succos diuersos in corpore pariant. Probantur tremula, & sorbilia. Porro ex his quæ extra putamina coquuntur, ea cæteris præstant; quæ integra in feruentem demerguntur aquam. Ve rum tamen cauendum ne indurentur, & ut sapidiora sint & citius descendant, è uentriculo, modicum quid salis addendum est, & ante alia sumantur edulia: Dandaquè uitella in tertiana, & in syncope ex tenuioribus humoribus pro cibo: Purgatisque exhibentur. Dios.Lib 2.Cap.44. Gal.3.al.Cap.22. 10.Simpl medic.2.de cōp. medic. secund.loc. Cap.1. 8.meth.medic. Cap.2. 1.ad Glauc. Cap.9. 12.meth. Cap.6.de bon. & ui.suc.Cap.4. Paul.Lib.7. Aet.Serm.2.Cap.134 & 135.*

NOCENDI. *Nam eorum album pituitam gignit, obstruit, & ægræ concoquitur: uetustißima peßima sunt, Deteriora sunt anatum, anserum gruum, & reliquo*

rum aquatilium, aggrauant enim uentriculum: Succum crassum gignunt, & ægre coquuntur Pauonum struthocamelorum pessima sunt, saporis horrendi concoctu contumacia & humanæ temperaturæ inimicæ: Quæ cum putamine longiori elixatione indurescunt difficillime concoquuntur, crassos generant succos, obstruunt, in uentriculo marcescunt, arenulas gignunt & calculos, & coli uentriculique excitant cruciatus. Quæ deinde ex oleo aut butiro integra friguntur, uentriculum lædunt, ructus commouent, ægre conficiuntur, consocium corrompunt cibum, malum prebent alimentum, & putridas pariunt exalationes. Quæ denique super prunis torrentur, aut ignitis figulinis tegulis inassantur difficile concoquuntur, & pessime nutriunt. Gal. 3. al. Cap. 22. de. bon. & ui. suc. Cap. 4. de puer. epil. com. 2. aph. 18. 12. meth. Cap. 6. Paul. Lib. 2. Cap. 83. & lib. 7. Aet. Ser. 2. Cap. 134. Haly. 5. Th. Cap. 26. Isac. doct. 5. Cap. 17.

PASTINACA V. H.

Pastinaca mouet lotium cit menstrua, nutrit
Excitat & uenerem, tetra uenena fugat.

CALEFACIENDI. Nam pastinacæ omni calens est natura, calefaciuntque insigniter, & aromaticon quoddam ostentant. Gal. 2. al. Cap. 67.

CIENDI. Nam aluum ciet, & urinam pellit, tum herba quidem tota, tum maxime semen ac radix. Dios. Lib. 3. Cap. 52. Gal. 8. Simpl. medic. 2. al. Cap. 67. Aet. Serm. 1. Oribas. 2. collecto. medicin. Cap. 23

ABSTERGENDI. Nam abstersorium in se quippiam continet: quare ulcera phagedænica quidam folijs eius uiridibus cum melle, quo pura reddantur illinunt. Gal. 8. Simpl. medic. Aet. Serm. 1.

SVBTILIANDI. Nam est cibus subtilians secundi generis. Gal. de diss. cont. Auer. 5. coll.

LENIENDI. Nam semen eius contritũ & in uino potũ tumentẽ oleum, & suffocationes mulierũ doloresq; lenit, in tantũ ut uuluas corrigat. Ply. Lib. 20. Cap. 5.

IVVANDI. Nam eius radix cocta manditur, & non ingrata in ciborum usum recipitur: nutrit minus tamen quam Rapa. Stomacho mediocri modo confert, eius semen potum appositumque uuluis purgationes foeminis restituit: ijs conuenit quos lateralis dolor excruciat, aut torquet lotij difficultas. Hydropicos similiter comitiales, & opisthotonicos & conceptus adiuuat. Radix extrahit partus apposita. Phagædenas ulcerum sistit: semen illitum è passo mulierum uentri prodest: Viris uero cum portione panis aqua tritum ex uino potum contra uentris dolores. Aliqui contra iocineris ac lienis, ilium, lumborum & renum uitia ex aqua mulsa dari iubent: Cleophantus dysenterijs ueteribus dedit: Habentes eam feriri à serpenti-

bus negatur; ant qui ante gustauerint non lædi: per cuius imponitur cum axungia. Semen satiuæ contra scorpionum ictus ex uino uel posca salutare. Radice eius circunscalpti dentes dolore liberantur: Satiua cibo aptior, sed agrestis ad omnia potentior est: magis in petrosis nata, & eiusdem ferè sunt uirtutis cariotæ. Dios. Lib. 3. Cap. 52. Gal. 8. Simpl. medic. 2. al. Cap. 67. Paul. Lib. 7. & Lib. 1. Cap. 76. Ply. Lib. 20. Cap. 5. Aet. Serm. 1. Auer. 5. coll. Gal. de att. uic. Cap. 9.

NOCENDI. Nam acris est, adurit, tarde digeritur, ægre concoquitur, flatus creat, uenerem stimulat, pruritum mouet, est mali succi, & parum nutrit propter multitudinem superfluitatum. Quare illaudabilem generat sanguinem, sed ut temperetur, oportet eam lixari, & eiecta aqua tertio decoquatur cum lactuca coriandro cæpa, & condiatur cum oleo, aceto & pipere: complexio syluestris est laudabilior: & comedens ipsam debet eam bis abluere. Cariotæ sunt ferè eiusdem naturæ. Gal. 8. Simpl. medic. 2. al. Cap. 67. Ply. Lib. 20. Cap. 5. Haly. 5. th. Cap. 17. Isac. in part. diæt. Auer. 5. coll. Ras. 21. cont. Cap. 185. Gal. de att. uic. Cap. 9.

PEPONES V. H.

Abstergit, lapidem minuit pepo, mitigat æstus.
Huic male concocto pessimus humor erit.

REFRIGERANDI. Nam secunda eis frigidorum sedes assignatur: quare ardentes febres, & synceras tertianas restinguunt, & calidos uentres refrigerant. Gal. 2. al. Cap. 4. & 5. Paul. Lib. 1. Cap. 8. Aet. Serm. 1.

HVMECTANDI. Nam eorum materia frigidior est cum humiditate copiosa: suntquè pepones magis cucumeribus & melopeponibus humidi. Gal. 2. al. Cap. 4. de att. uic. Cap. 2. Oribas. Lib. 1. collecto medicin. Cap. 36.

ABSTERGENDI. Nonnullam enim abstergendi naturam referunt, obsitam pædore cutem emendant, & lentigines, uitia insolatæ faciei, & uitiligines emaculant, corporis item cutem illustrant, magisq; faciem exhilarat semen tusum in farinam, quæ in smegmata adijciatur: nam cutis sordes uehementius aluit. Succus item cum semine in farinam siccatus, smegma fit ad cutem purgandam, & nitorem in facie conciliandum, longos rotundis præferunt, quòd abstersionis dote plus multo polleant: & uis extersoria amplior est in radice quam carne. Dios Lib. 2. Cap. 128. Gal. 1. al. Cap. 1. 2. al. Cap. 4. Aet. Serm. 1.

CIENDI. Nam urinam cient, sed semen uehementius, ita ut in renibus calculos deturbet: & longi magis quam rotundi pellunt urinam. Gal. Dios. Aet. ibid.

DIGERENDI. Nam humorum crassitiem & lentitiam digerunt. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 92.

SVBDVCENDI. Nam uentrem subducunt: & melopeponum pars intima in qua insunt semina prouocat deiectionem. Gal 1.al.Cap.1. 2.al.Cap.4.

IVVANDI. Nam estur cum maturuerit hic fructus magna stomachi uoluptate cordi mirum in modum prodesse nec parum afferre iuuamenti pepones Diocles cari stius tradidit, caro eorum epiphoris oculorum inflammationibus & doloribus imponitur. Corium ipsorum ad siriasim puerorum infantium anteriore parte capitis opponitur: oculis humore uexatis ad alligatum fronti fluxiones efficacissime reclinat: eorum radix ex melle sanat ulcera concreta in modum faui, quem cerion uocāt: folia cum melle epinictidas sanant: cum uino canis morsus & millepedæ: semen calculosis renibus opitulatur. Peponum usus est quando uentriculus squallore æstuat: Melopepones hæc omnia minore efficacia possident. Dios.Lib.2.Cap.128. Gal. 1.Simpl.medic.Cap.1.2.al.Cap.11. de bon.& ui.suc.Cap.13. Paul Lib.1.Cap. 80. Aet.Serm.1. Diocl.Sal 2.

NOCENDI. Nam parum nutriunt, improbum creant succum, & si à stomacho interdum perficiantur, choleram tamen concitare solent, susque deque copiam humoris effundentem, stomachum lædunt, uomitumquè etiam eliciunt, nisi cibus bono præditus succo supermandantur, tum deorsum festinantius deuoluuntur: Pepo uitiosum humorem parit, multo magis quum non probe concoquitur: Primo cibo sumi debet, sed pituitosi uinum superbibant: biliosis cibus præbeatur qui acremento placeat, de inde omnes ea sequuntur edulia, quæ bonum creant succum, sic omnis abigitur noxa: Is enim cibus per quam facile in fauam bilem uel pituitam degenerat: qua de re biliosos prædulcis pepo, pituitosos immaturus offendit: Facilius dulcis in stomacho perficitur: Magis offensæ patent quibus uenter in calet, aut quorum flaua bile corpus incandescit, si uinum post peponem ebibant. Quando uinum in uenas hunc succum confestim rapit, isque sequax trahenti facile cedit: humoremquè hisce corporibus efficit acriorem, atque nauseam concitat: Pituitosis fungosa pars laxaquè semini cohærens dari debet, biliosis quæ corio tenus dura coaluit, ut quæ minus permutari queat. Melopepones si non digerantur uertuntur in succum similem lætalibus uenenis & si quis illis in comestione multum usus fuerit colicam patietur passionem: Quare partiusquam alii fructus edendi. Traduntur pepones desideria ruentium uenerem infrenare, & genituram imminuere. Gal.2.al.Cap.4.5.11. de att.uic. Cap.2. de bon.& ui.Cap 8.13. 5.Simpl.medic.23. Aet.Serm.1. Auic.Lib.2. tr.2.Cap.92. Haly.5.Th.Cap.18. Ras.3.alm.Cap.20.

Aurea maturo fragrantia persica odore
Laudato, at penitus cætera praua putes.

REFRIGERANDI. *Nam frigida sunt in secundo gradu.* Gal.7.Simpl.medic. Isac:in part.diæt.

HVMECTANDI. *Nam humida sunt & aquosa in secundo excessu.* Gal.2.al. Cap.1. Isac.in part.diæt.

LENIENDI. *Nam matura leniunt uentrem.* Auic.

SISTENDI. *Nam acerba aluum cohibent, sed sicca uehementius: siccatorum decocto fluxiones uentris & stomachi supprimuntur. Folia trita sanguinis eruptionem sistunt.* Dios.Lib.1.Cap.131. Ruell.Lib.1.Cap.111.

IVVANDI. *Nam cibo idonea, & matura tam stomacho quam uentri utilia sunt: oris foetorem uitio stomachi prouenientem remouent. Duo eorum genera præcipua, duracinum & præmolle: Duracinum sic dictum, quia difficulter ab oßibus auellitur: hoc in maximo habetur precio, & merito, quia stomacho sua suaui & uix perceptibili stipticitate conueniat; immo ea de causa inter cordialia medicamenta reponitur: sunt etiam nonnulla persica præmollia intus rubra, quæ duracinis non cedunt, grata sapore, stomacho accommodata: Duracina præsertim quæ ab aurei coloris nitore, odoreque per quam iucundo cotonea cognominant, stomacho grata sunt, & ipsum roborant: nam eorum sapor delicatißimus est, cum quadam austeritate: qua de causa post uictum accipi posse affirmant: immo ea post uictum comedunt, non nisi prius uino infusa, & nullam inde noxam euenire persentiunt: & sub cineribus coctũ unum uel alterum pomum persicum, cum eorum instat tempus ægrotantibus offerũt, & saccaro resspersa concedunt: delicatißimus enim cibus est, & ægris per quam gratus, proxima duracinis sunt quæ cortice detracto sanguineum succum fundunt; deinde Nucipersica, mox persica amygdala, quæ ideo sic uocantur, quia acricolarum mangonio oßium uice dulces amygdalarum nucleos includunt. Ex duracinis fit conditum, quod maxime laudatur. seruatur obruta muria, uel aceto mulso: optime etiã seruantur si umbilicus pomi gutta picis calentis oppleatur, ut sic uase concluso sapæ cogatur innatare: Detractis oßibus ficorum more siccantur in sole ac pendent: oßibus item exemptis melle condiuntur grato ac iucundo sapore. Eorum nuclei cum aceto & oleo capitis doloribus illinuntur: folia puerorum umbilicis imposita tineas enecant: eorundem succus uerminosis auribus instillatur.* Dios. Lib.1. Cap.131. & ibi Matth & Lusit. Gal.7.Simpl.medic. 2.al.Cap.7.1.al.Cap.1 Ruell.Lib.1. Cap.111. Abiaz.in Lib.Theis. Aui.

NOCENDI. *Nam præmollia facile corruptionem sentiunt, ac noxam afferunt,*

quapropter postremo cibo sumenda non sunt, ut moris est plerisque: innatant enim stomacho, & quicquid præsumptum fuerit una secum in corruptionem trahunt; Manifestatur autem persici procliuitas ad putredinem, quoniam si persicum fixum ferro post paululum naribus apponas, odorem quasi putredinis senties: itaque primis mensis sumi tolerabilius fuerit, & post uetus uinum odoriferum est bibendum: sic celeriter descendentia, sternunt alijs uiam commode præeuntia; reliqui cibi facile lubrico meatu sequentes elabuntur. Nucleum improbitati succi dicunt occurrere, ita uulgatum adagium, malum quod implicuit persicum nucleus explicat: cuius noxa etiam uino discutitur. Eius flores esu aluum deijciunt, itemquè uomitiones cient, sed non absque labore & detrimento. Gal. 2. al. Cap. 19. Matth. & Ruell. ibid. Ras. 3. Alm. Cap. 20. Auer. 5. Coll. Isac. in part. diæt. Auic. Oribas. Lib. 1. Collecto. medicin. Cap. 47.

PETROSELINVM V. H.

Calfacit hortense apium, cit discutit, affert.
Renibus auxilium, lux hebetatur eo.

CALEFACIENDI. Nam apium hortense, idest uulgare petroselinum, calidum est in secundo ordine. Gal. 8. Simpl. medic. 2. al. Cap. Paul. Lib. 7.

SICCANDI. Nam siccum est in medio tertij ordinis. Gal. 8. Simpl. medic.

SISTENDI. Nam aluum cohibet. Dios. Lib. 3. Cap. 64.

DISCVTIENDI. Nam inflationes discutit: & contra stomachi & coli inflationes, & tormina prodest, & magis semen quam herba.
Dios. ibid. Gal. 8. Simpl. medic. Paul. Lib. 7.

CIENDI. Nam diureticum est, & urinam ciet siue crudum, siue coctum menses etiam large prouocat, atque semen potius quam herba, cit etiam secundos partus. Gal. 8. Simpl. medic. Paul. Lib. 7.

APERIENDI. Nam epatis, & ueteri obstructiones aperit. Isac. in part diæt.

MVNDIFICANDI. Nam hepar Matricemq; mundificat. Isac. in part. diæt.

IVVANDI. Nam inter cætera familiarissimum est, & ori stomachi gratissimum ad eadem ad quæ coriandrum conuenit, inflammationibus oculorum cum pane aut polenta illinitur. Aestuantem stomachum mulcet, mammarum duritiam ex lacte concreto contractam reprimit, dolores mitigat, & aurium grauitatem, renibus medetur: Vesicæ calculos frangit. Decoctum eius radicisq; potum uenenorum noxæ resistit, cum uomitiones excitet: Semen admiscetur medicamentis, quæ dolorum leuamenta præstant, Theriacis quoque ac tussis remedijs. Dios. Lib. 3. Cap. 64. Gal. 2. al. Cap. Ply. Lib. 20. Cap. 11.

NOCENDI. Nam difficilis est digestionis, & mali chimi: Visus claritati est

inimicum: Cæterum an apium hoc sit funebribus dicatum cibarijs, quod ideo multi ab esu hominum explodebant, simulq; morbum caducum excitabat, ignoratur. Credere tamen est, longe aliud esse, ut pote apium uulgare, Dioscoridis petroselinum, quod comestum caput tentat, & morbum caducum incitat. Dios. Lib. 3. Cap. 64. & ibi Matth. & Lusit. Ply. Lib. 20. Cap. 11. Isac. in part. diæt. Haly 5. Theor. Cap. 16. Auic.

PIMPINELLA V. H.

Letiferis herba hæc morbis, pestisquè medetur.
Calfacit adstringit: uulnèra sana facit

CALEFACIENDI. Nam excalfacit ordine secundo completo, aut sanè tertio incipiente. Matthiol. in 4. Dios. com. 45.

SICCANDI. Nam siccat ordine secundo completo, aut tertio incipiente. Matthiol. ibid.

ASTRINGENDI. Nam gustatu non leuiter adstringens percipitur: hinc fit. ut muliebre profluuium efficacissime sistat, disenteriam, & cæteros alui fluxus cohibat, quin & biliosas uomitiones reprimat. Matthiol. ibid.

IVVANDI. Nam acetarijs frequentissime inseritur: confert ad renum & uesicæ morbos, quorum calculus est causa: nam renes à calculis expedit. Prodest expressus e radicibus succus ex uino haustus deleterijs medicamentis, & uenenosorum animalium morsibus. Quare non desunt qui ad pestilentiam radicem hanc miris laudibus efferant. Herba ipsa uulnera & ulcera sanat; Misceturquè unguentis quæ tum ad capitis uulnera, tum ad carcinomata conficiuntur. Hanc Matthæus curtius clarissimus medicus, contagiosis pestilentialibusquè febribus maxime commendauit. Matthiol. in 4. Dios. com. 45.

PINEI NVCLEI V. H.

Pineus adſtringit, renesquè & pectora purgat
Nucleus: & ſtomacho uiribus atque fauet.

CALEFACIENDI. *Nam uim habent aliquantulum excalfacientem in medio calidæ & frigidæ qualitatis conſiſtentes.* Dios.Lib.1.Cap.74. Gal.7.Simpl medic. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.308.

SICCANDI. *Nam corruptã in corpore humiditatẽ exiccãt.* Auic.Lib.2.tr.2.

LENIENDI. *Nam aſperitati leniendæ conuenìunt: cum uidelicet in aqua macerati omnem in ea reliquerint acrimoniam.* Dios.ibid. Gal.7.Simpl medic.

DIGERENDI. *Nan conſiſtentes humores in ſtomacho digerunt, & ductilem facilemq; reddunt quantumuis tenacẽ materiã.* Paul.Lib.7. Ruell.Lib.1.Cap.112.

CIENDI. *Nam urinam cient.* Dios.Lib.1.Cap.74.

ADSTRINGENDI. *Nam uim aſtrictoriam habent, quare ſanguinis excretioni medentur.* Dios. Auic.ibid.

PVRGANDI. *Nam bilem pellunt, poti ex aqua aut uino, aut paſſo, aut balano rum decocto.* Ruell. Lib.1.Cap.112.

IVVANDI. *Nam boni ſucci ſunt, multum nutriunt, uires reficiunt, ſitim ſedant & acrimoniam ſtomachi, roſionesq; læniunt: infirmitatem uirilium roborant, renibus & ueſicæ utiles, illorum enim acrimoniam hebetant: Miſcentur iis contra uehementiores ſtomachi roſiones cucumeris ſemen & ſuccusportulacæ. Item ad ueſicæ ul cera & renũ: Corruptorũ humorũ labem obtundunt: Tuſsi & pectoris uitijs auxilian tur per ſe, aut ex melle ſumpti. Proinde purulentis & quibuſcunque adeo quæ in Thorace, & pulmone ſunt facile extuſsire, & expuere expedit, accommodi ſunt pinei nuclei. Quibus hodie in officinis eclegma à pino nominatum præparatur, pecto ris & pulmonum uitijs accommodatum.* Dios. Lib.1.Cap.74. Gal.2.al.Cap.17. de bon & uit.suc.Cap.4. 7.Simpl.medic. Paul.Lib.7. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.308. Amat.Luſit.in 1.Dios.enar.79. Iſac.in part. diæt. Ras.3.Alm.Cap.20.

NOCENDI. *Nam ægre concoquuntur, humorem craſſum pariunt, Fauces exaſperant, & tuſsim uetuſti & rancidi; Mordicant ſtomachum, ſed eorum mordicatio deletur ſi infundantur in aqua.* Gal.7.Simpl.medic. 2.al.Cap.17. de bon.& uit. suc. Cap.4. 7.de comp.medic.ſecund.loc.Cap.1. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.308.

PIPER VIM H.

Cit piper ,atque oculos caput arctaque pectora mundat,
Frigidus hoc utens sanior esse ualet.

CALEFACIENDI. *Nam uehementer excalfacit, estque tam cibus, quam medicamentum calidum* Gal 8. Simpl medic. & Lib. 1. Cap. 11. 3. de temper. Cap. 4.

SICCANDI. *Nam ualenter exiccat.* Gal. 8. Simpl. medic. Aet. Serm. 1.

CONCOQVENDI. *Nam concoquit, & concoctiones adiuuat uirulentis inspar sum, quae ad intinctus parantur. Quare cruditatum copiam habentibus exhibendũ.* Dios. Lib. 2. Cap. 153. Gal. 4. de San. tu. Cap. 5.

DIGERENDI. *Nam strumas cum pice digerit.* Dios. ibid. Gal. 1. de comp. medic. per. g. Cap. 12.

DISCVTIENDI. *Nam ualde discussorium est: Quare tormina cum tenerrimis lauri folijs, & strumas cum pice discutit, flatuosique spiritus craßitudinem soluit.* Dios. ibid. Gal. 6. de compo. medic. secund. loc. Cap. 1. 4. de San. tu. Cap. 5.

EXTRAHENDI. *Nam partus extrahit.* Dios. Lib. 2. Cap. 153.

EXTENVANDI. *Nam humores attenuat: quare in piscium praeparatione miscendum.* Gal. de att. uic. Cap. 6. & 8.

CIENDI. *Nam urinam cit, & menstrua prouocat.* Dios. ibid. Gal. de cathart.

ABSTERGENDI. *Nam caliginem quae oculis obuersatur absterget, & uitiligines ex nitro emaculat.* Dios. ibid.

EXPVRGANDI. *Nam caput pulmonem & thoracem expurgat, capitis pituitam elicit, si cum uua passa commanducetur: Farina eius naribus attrahitur ad ciundas sternutationes, deuocandamque capitis pituitam.* Dios. ibid. Gal. de cathart.

IVVANDI. *Nam uentciculo auxiliatur: & prodest illis qui frigiditatem in uẽtriculo sentiunt: concoctiones adiuuat, appetentiam inuitat, & cibi auiditatem molitur, dolores finit, serpentium ictibus auxiliatur, poniturque in Theriaca: ad tußim & uitia pectoris omnia potu uel eclegmate proficit: horroribus febrium ambitu repetentium potu uel illitu subuenit: Anginae eo & melle conuenienter illinuntur: ualetudinem tuetur, quare saluber eius usus existimatur. paratur ex piperibus compositum diatrion pipereon dictum, quod iecoris obstructiones expedit; & conuenit his qui minime concoxerunt, & qui recens frigus in uentriculo habent, & pituitosum succum.* Dios. Lib 2 Cap. 153. Gal. 3. al. Cap. 21. 4. de San. tu. Cap. 5. 1. ad Glauc. Cap. 14. de Ther. ad pis. Cap 7. 6. de San tu. Cap 7

NOCENDI. *Nam acre est, conceptum abortu uitiat, si foemina post congressum cũ uiro uuluae admoliatur: Vlceribus non conuenit, adiectum temperamento calido facit febrem & singultum: quare biliosis non conuenit, praesertim aestatis tem-*

pore. Dios. ibid. Gal. Cap. 6. aph. 39. 4. de rat. uic. acut. numero 8. 6. de comp. medic. secund. loc. Cap. 1. 4. de comp. medic. per. gen. Cap. 1. Præsag. exper. confir. Ras. 22. cont. Cap. 577.

PISA VIM H.

Tarde excernuntur, gignuntquè recentia ructus
Pisa, sed in cunctis sunt meliora fabis.

CIENDI. Nam urinam pellunt, & decoctorum cremor aluum ciet. Ruell. Lib. 2. Cap. 34. & 79.

IVVANDI. Nam eorum chymus est laudabilis, & proprie excorticatorum: Sumuntur ut fabæ, & parum ab eis in substantia differunt, sunt tamen fabis præstantiora: non enim adeo uti fabæ inflant: ideoquè pisis uesci tutius est quam fabis. Recentia cum suis ualuulis edenda sunt. Ad anni totius usum exacte siccata, & suis ualuulis recondunt explicita: ita enim exausto solibus humore, diutius à labe putrilaginis uindicantur. Diuites cum pernis non insulsis, aut suillis trunculis incoquũt non ingrato cibatu; qui in opiparis coenis se se offerre sæpius audeat. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 488. Gal. 1. al. Cap. 21. De bon. & uit. Suc. Cap. 7. de att. uic. Cap. 7. Ruell. Lib. 2. Cap. 34.

NOCENDI. Nam tarde excernuntur, sed non est in ipsis tarditas descensionis fabarum: & quando decoquuntur cum oleo amigdalino dulci, sunt laudabilioris humoris. Recentia quæ cum suis ualuulis manduntur ructus mouent, & faciunt insomniosos. Gal 1. al. Cap 21. Auic. Lib. 2. tr. 2 Cap. 488. Ruell. Lib. 2. Cap. 79. Oribas. Lib. 1. collecto. medicin. Cap. 19.

PORRVM VIM H.

Calfacit, incidit porrum cit pectora purgat,
Somnia tetra parit, uisceribusquè nocet.

CALEFACIENDI. *Nam calidum eſt in ſecundo ordine; & corpus calefacit, & nunquam erit frigidum, ſed plus minusue calidum. Dios.Lib.2.Cap.143. Gal. 2.al.Cap.71. de bon.Cap.11 Simeon.Seth.*

EXSICCANDI. *Nam porrum exiccat. Gal.3.al.Cap.1. & ſiccum eſt in ſecundo ordine. Sim.Seth.*

INCIDENDI. *Nam humores craſſos in corpore, & glutinoſos incidit.Gal.2. al.Cap.71.*

DIGERENDI. *Nam digerit lentos humores. Gal.2.al.Cap.71.*

EXTENVANDI. *Nam craßitudines extenuat. Dios. Gal.ibid.*

DISCVTIENDI. *Nam ebrietates, & aurium dolores ſtridoresquè cum aceto & thure, ac lacte, uel cum ruſaceo ſuccus diſcutit inſtillatus. Dios.ibid.*

APERIENDI. *Nam aperitiuum eſt. Gal.Cap.2.aph.20.*

CIENDI. *Nam urinam cit, & menſes pellit, & eius ſemen ex paſſo potum urinæ difficultates emendat. Dios.Lib.2.Cap.143. Ruell.Lib.2.Cap.82.*

EXPVRGANDI. *Nam uentrem emollit, & facit excernere, arteriam expurgat, & contritum ex melle ulcera purgat, tußim & deſtillationes Thoracis: item purgationes foeminis reddit. Dios. ibid.Gal.Cap.2.aph.20.*

SISTENDI. *Nam quandam adſtrictoriam uim habet, quare ſuccus cum aceto ſanguinis profluuia præſertim è naribus adiecto thuris polline aut manna ſiſtit, uel naribus contrito eo obturatis: item ex abortu profluuia poto ſucco cum lacte mulierum cohibetur: uetuſtisquè reiectionibus ſanguinis ſemen duabus drachmis bibendum datur, cum pari baccarum Myrti menſura. Dios.Lib.2.Cap.143. Paul.Lib.7.*

ABSTERGENDI. *Nam non nihil abſterſorium poßidet. Paul.Lib.7.*

IVVANDI. *Nam commedat obſonia, uoci ſplendorem affert. ſua lentitia faucium aſperitatem delinient: Laterum doloribus olus hoc ſuccurrit; porrorum uſus per quam ſalubris, ſi tantiſper incoquuntur dum in tabem fere reſoluantur, quippe cum non minus quam carnes alere creduntur: foeminarum etiam foecunditatem hoc cibo augeri putat Hyppocrates toſtum editur, & contra fungorum uenena, ſitim ſedat. Tußi etiam ueteri, & pectoris ac pulmonum uitijs omnibus medetur; & contra tabē pro delinctu efficax eſt. Illitis folijs ſanantur ambuſta, & epinictides; Aurium uitia cum felle caprino uel pari mēſura mulſi; ſtridoresq; cum lacte muliebri mulcet, capitisquè dolores ſi in nares fundatur, dormiturisue in aurem duobus*

ſuci cochlearibus uno mellis. Succus ad ſerpentium ſcorpionumquè ictus in potum bibitur cum mero ad lumborum dolores cum uini hemina: ſanguinem excreantibus deſtillationibus & phtiſicis uel ſuccus, uel ex ipſo cibus prodeſt: item epilepticis regio morbo uel hydropicis folijs illitis perſanantur uari cum rhu quod ad obſonia expetitur: cortex decoctus illitasquè inficit canos: item cruſtas impoſitum porrum cum ſale perrumpit: confert ad hæmorrhoidas, bis uero aqua coctum & aceto & garo & oleo cuminoquè conditum ſalubre eſt ijs qui frigidi ſtomacho ſunt. Dios. ibid. Gal. 2. al. Cap. 52. & 71. Sim. Seth.

NOCENDI. *Nam parum alit niſi coquatur, mali ſucci eſt, inflationem facit, uenerem ſtimulat, capitis dolores excitat, tumultuoſum ſomnum parit; iecur, ueſicam exulceratam, renesquè lædit, oculorum aciem hebetat, ſtomacho nocet, pruritum mouet, & iis qui à calore læduntur malum exiſtit: corrumpit dentes & gingiuas; acre eſt, eius ſuccus ſine cruciatu perimit, eius uſus immoderatus febrem accendit, quare bilioſis eſu continuo interdicitur: non inſalubri, tamen ijs qui lentam craſſamquè collegerint pituitam: miteſcit porrum minusquè inflat bis aqua mutata coctum, deinde frigida perfuſum: innocentiusquè redditur ſi poſt ipſum portulaca lactuca & endiuia comedatur: ut eius calor ab iſtis temperetur. Non olebunt porrum qui cuminū prægustarint, hoc enim eſu grauis odor extinguitur. Dios. Ruell. Gal. ibid. & 3. de caus. morb. Cap. 2. Sim. Seth. Paul. Lib. 7. Aet. Ser. 1. Auic. Lib. 3. fen. 7. Cap. 2. Ply. Lib. 19. Cap. 6. Ras. 3. Alm. Cap. 28. 22. cont. Cap. 684. Iſac in part. diæt.*

PORTVLACA. V. H.

Dentibus Andrachne ſtupidis, & renibus affert
Auxilium atque æſtum mitigat illa grauem.

REFRIGERANDI. *Nam à tertio exceſſu refrigerat. Gal. 6. Simpl. medic.*

HVMECTANDI. *Nam ſecundo humefacit exceſſu. Gal. ibid. Paul. Lib. 7.*

ADSTRINGENDI. *Nam eius uis eſt adſtringere, & eius ſuccus adſtringit, indurat, atque condenſat. Dios. Lib. 2. Cap. 117. Gal. 1. ad Glauc. Cap. 14.*

REPELLENDI. *Nam fluxiones, & præſertim bilioſas ac feruentes repellit, easquè commutando, refrigerandoquè amolitur; & ſtomachi, inteſtinorumq; fluxiones Feruoresquè reprimit. Gal. 6. Simpl. medic.*

SISTENDI. *Nam dyſentericos liberat: & ſi ore ſanguis reijciatur, ſiue naribus, aut aluo profluat, ſiue foeminarum utero. Dios. ibid.*

DETERGENDI. *Nam eruptiones pituitæ cum uino deterget. Dios. ibid.*

IVVANDI. *Nam renes & ueſicam adiuuat, dentibus qui ſtupore quodam obtorpeſcunt remedio eſt. Illita cum polenta capitis dolores, oculorum & alias inflam*

mationes

nes corrigit: Ardoribus stomachi, uesicæ doloribus ignibus sacris auxiliatur Veneris impetus infrenat; febre ardente conflictatis opitulatur: Animalia uentris rotunda pellit, dysentericos liberat, interaneorum rheumatismis rosionibus uuluæ suffunditur: Capitis dolores insolatione contractos foueri proficiet cum rosaceo: uulneribus syderatione periclitantibus inungitur efficaciter polenta: Resistit aquarũ uitijs, infantibus umbilico prociduo imponitur: ocularibus medicamentis utilißime commiscetur: contra cruentam excreationem, dysenteriam, hemorrhoidas & profluuia sanguinis percocta efficax est: ulcera horis commanducata cruda, tumoremq; gingiuarum sedat; item dentium dolores, tonsillarum ulcera succus decoctæ: Mobiles dentes stabilit mansa, cruditates sedat, uocemquè firmat, & sitim arcet: Nam folium linguæ subditum ijs qui siti cruciantur bibendi desideria restinguit: sacros ignes illita mulcet: salutaris est suspiriosis semine cum melle hausto: stomachum in sumpta corroborat: ardentibus febribus imponitur cum polenta. Dysenteriæ & uomicis datur ex aceto uel bibitur cum uino: tenesmis cocta, & comitialibus cibo uel potu prodest: purgationibus mulierum acetabuli mensura in sapa: succus eius potus renes iuuat, ac uesicas: uenerem inhibet, uenerisquè somnia, aiunt caput inde litum destillationem anno toto non sentire: addunt & serpentium hæmorrhoidum præsterum, & sagittarum uenena æstringi pro cibo sumpta & plagis imposita extrahere: Item aduersus sepis dictæ morsus ualere: illita uerrucas tollit, cum ipsa non est, semen simili effectu prodest. Dios. Lib. 2. Cap. 117. Gal 6. Simpl. medic. 2. al. Cap. 46. 1. ad Glauc. Cap. 14. de sect. Cap. 5. Paul. Lib. 7. Aet. Ser. 1. Ply. Lib. 20. Cap. 20.

NOCENDI. Nam parum nutrit, & imbecillem alimoniam tribuit, & eius nutrimentum est illaudabile: nam humidum frigidum & glutinosum: Appetitum debilitat, oculos hebetat, & abscindit desiderium coitus, & sperma minuit; Ratione itaque siue intensæ frigiditatis aut cum calidis oleribus admisceatur, aut nullo modo sola aut irrefracta sumatur. Gal. 6. Simpl. medic. 6. de san. tu. Cap. 14. de bon. & ui. suc. Cap. 8. 2. al. Cap. 46. Ply. Lib. 20. Cap. 20. Auic. 2. can. Cap. 548. Ras. 3. Alm. Cap. 18. & 21. cont. Cap. 162.

PRVNA VIM H.

Pruna mouent duros, purgantque recentia uentres
Sicca aluo & stomacho non inimica putes.

REFRIGERANDI. Nam uis omnibus quædam refrigeratrix inest. Gal.4. Simpl.medic.Cap.7. de att.uic.Cap.2.al.Cap.31. Paul.Lib.7.

HVMECTANDI. Nam humectãt. Gal.ibid.& Oribas.Lib.1.coll.med.Cap.58.

REPRIMENDI. Nam destillationes comprimunt, & in uino decocta eorum fo lia gargarizzatu uua gingiuas tonsillasquè fluxione laborantes reprimunt. Dios. Lib.1.Cap.137. Gal.7.Simpl.medic. Paul.Lib.7.

ADSTRIGENDI. Nam agrestia adstringunt. Gal.7.Simpl.medic.

SVBDVCENDI. Nam aluum tum humiditate sua, tum lentore recentia quidem uehementius,& copiosius: mitius uero ac minus etiam arefacta subducunt. Damascena autem siccata licet uentrem subducant, comparatione tamen ad hyspaniæ pruna, adeo parum ut id constringere potius dicendum sit: & propterea Dios. dixit. Damascena exiccata aluum adstringere: accedit etiam quòd uentrem soluunt non ineficaciter adstricta aluo postmodum relicta, tamarindorum, et mirabolanorum modo & quanto magis pruna sunt acida, tanto plus frigida sunt dicenda,& preßius aluum cohibentia: saccharo tamen cocta, uel meliorato sumpta stipticitatem amittunt, & aluum optime deijciunt. Dios.Lib.1.Cap.137. & ibi Matthiol & Lusit. Gal.2. al.Cap.31. 7.Simpl.medic.

IVVANDI. Nam Damascena exiccata stomacho utilia sunt,& possunt esse usui quemadmodum & Ficus: optima sunt quæ cum mediocri adstrictione magna sunt & laxa: Idonea sunt æstatis tempore, quando necesse sit corporis squallorem caloremquè curare: Bilem enim deijciunt proinde ea utiliter usurpant medici ad febres, aliosquè biliosos affectus: Quin & seplasiarijs expetuntur, quippe qui ex ijs quotannis electaria, intinctus, liquoresquè uarios parare consueuerint, quibus non modo sani gustu non ingrato delectantur, sed etiam qui languent refocillantur: prima laus damascenis, proxima datur ibericis: Siccantur in sole per crates loco ficciore disposita: alij aqua marina uel muria feruente recenter lecta demergunt; & inde sublata, aut furno tepido iubent: aut in sole siccari: Febricitantibus conceduntur, nã corpus refrigerant,& humectant, bili aduersantur in sitim arcẽt, aluumquè deijciũt. Gummi prunorum conglutinat, potum in uino calculos frangit, ex aceto perunctum lichenas infantium sanat: ac si id præstat clarum est extenuandi incidendiquè illi facultatem inesse. Dios.Lib.1.Cap.137. Gal.7.Simpl.medic. 2.al.Cap.31. de bon. & ui. Suc. Cap. 13. Matth. & Lusit. in Dios. Aet. Serm. 1. Ply. Lib. 15. Cap.15.

NOCENDI. Nam sunt aliena stomacho, frigida & pituitosa, potißimum. Si cruda mandantur: parum nutriunt, & quæ exigua sunt & dura & acerba praua sunt: elixa minus officiunt: syluestrium prunorum baccæ resiccatæ post maturitatem & in sapa decoctæ stomacho commodiores fiunt. Dios. Gal. ibid. Ply. Lib. 15. Cap. 13. Ruell. Lib. 1. Cap. 121.

PVNICA MALA V. H.

Punica mala iuuant stomachum prædulcia, uerum
Febribus officiunt, acria tuta magis.

REFRIGERANDI. Nam frigorificæ uirtutis sunt: uerum à sapore (nam dulcia acria & media siue uinosa reperiuntur) inquirenda eorum temperatura, quum quanto magis ad dulcedinem tendunt, uel ab ea discedunt, & ad acetositatem appropinquant, tanto frigidiora uel dulciora dicenda. Gal. 4. Simpl. medic. Cap. 7. Paul. Lib. 1. Cap. 81.

HVMECTANDI. Nam humida sunt. Gal. 2. al. Cap. 7.

SICCANDI. Nam eorum acini magis quam succus exiccant, his autem magis putamina. Gal. 8. Simpl. medic.

ADSTRINGENDI. Nam malum granatum omne adstringentem obtinet qualitatem, non tamen in omnibus ea exuperat, sunt enim inter ea quædam acida, quædam plus dulcia, quædam austera & sanè quæ ab unoquoque eorum procedit utilitas, secundum uincentem eueniat qualitatem necesse est: acida itaque adstringunt, & austera magis: acini autem magis quam succus adstringunt, his etiam magis putamina. Gal. 6. de comp. medic. secund. loc. Cap. 1. 8. Simpl. medic. 12. m. m. C. 14.

SISTENDI. Nam nuclei acinorum acidi punici in sole siccati, & obsonijs inspersi concoctiuè fluentem aluum, stomachumquè, sistunt, coelesti aqua madescunt, bibunturquè commode sanguinem excreantibus: ad desessus dysentericorum foeminarumquè fluxione uuluæ laborantium utiles sunt: cortex mixta galla in aceto decoctas mobiles dentes stabilit, acida melius sistunt. Dios. Lib. 1 Cap. 127.

GLVTINANDI. Nam eorũ flores cytrini uocati cruenta glutinant. Dios. ibid.

CIENDI. Nam acida urinam cient. Dios. ibid.

IVVANDI. Nam boni succi sunt, stomachum adiuuant, præsertim pontica, & eorum succum facit ad stomachũ biliosum, & subuersum, & ad eiusdem ardorem cũ syncope, & ad cardialgiam: Dulcia suauiora, uinosa mediam sibi uendicant naturã: expressus succus coquitur cum melle ad oris, uirilitatis, & sedis uitia, nomas, reduuias & quæ in ulceribus excrescunt, aurium dolores, narium tædiam, præsertim acidi. Vinosa utiliora intelliguntur: Punici mali corticis fumo culices fugantur.

Dios. Lib. 1. Cap. 127. Gal. 2. al. Cap. 24. 13. meth Cap. 14. de att. uic. Cap. 10. 6. de San. tu. Cap. 10. Paul. Lib. 7. Aet. Ser. 1. Ply. Lib. 13. Cap. 19. & Lib. 23. C. 6.

NOCENDI. *Nam quam minimum corpori præbent alimentum, ut ipsis nunquam ceu alimento, sed tamen ut medicamento egeamus: Dulcia inutiliora stomacho habentur, utique non omnino, sed quatenus partem illam aliquantum excalfaciunt, inflammationesquè pariunt; Quare in febri abdicantur, nam inflammationē & sitim faciunt, & dum bilis meatus os arctant, ipsam prohibent bilem excerni. Proinde mala granata, & oxisaccara ipsorum syrupus ueluti similia alia putridæ febri curandæ nullo modo conueniunt; acida ora gingiuasquè lædunt, & pectori asperitatem inducunt; stomachum & hepar infrigidant, & eis nocua sunt, ex prosperitate: Vitanda in siccitate: uinosa uero mediam sibi uendicant naturam.* Dios. Lib. 1. Cap. 127. Gal. 2. al. Cap. 24. 13. meth. Cap. 14. de bon. & ui. suc. Cap. 8. 7. Aet. Serm. 1. Ras 3. aphorism. 3. alm. Cap. 20. meth. Cap. 4. Paul. Lib. 7. Ply. Lib. 13. Cap. 19. & Lib. 23. Cap. 6. & Oribas. 1. collecto. medicin. Cap. 51.

PIRA VIM H.

Sunt non ieiuno pira grata, aluoque fluenti:
Fungorum antidotus, sicca, famemque leuant.

REFRIGERANDI. *Nam modice refrigerant.* Gal. 6. Simpl. medic.

SICCANDI. *Nam pira desiccant.* Gal. 6. Simpl. medic. Cap 1 de rat. uic. 18.

ADSTRINGENDI. *Nam uentrem adstringunt præsumpta, & pirorum genenera omnia euidenter adstringunt.* Gal. 3. Simpl. medic. Cap. 16. 1. al. Cap. 32. 2. al. Cap. 24.

REPELLENDI. *Nam siluestria fluxus repellunt, proinde in repellentia cataplasmata conuenienter adduntur.* Dios. Lib. 1. Cap. 152. Gal. 6. Simpl. medic.

SISTENDI. *Nam decoctum è siccis, & cruda ipsa aluum sistunt.* Dios. Lib. 1. Cap. 132.

GLVTINANDI. *Nam syluestria maiora uulnera glutināt.* Gal. 6 Simp. med.

IVVANDI. *Nam stomacho grata sunt, à cibo sumpta ipsum firmant ac roborant, sitim prohibent, ipsisquè utimur ut medicamentis: Faciunt enim ad uentriculū subuersum & ad eiusdem ardorem cum syncope. Decocta eadem mire salubria, ac grata. Quæcūq; cum melle decocta sunt, stomachum adiuuant: firmant cataplasmata ex ipsis ad discutienda corporum uitia: & eorum decocto ad duritias utuntur: ipsa aduersantur boletis ac fungis: satiuis efficaciora syluestria: ligni pirorum cinis efficaciter his auxiliatur, quos fungi strangulant: Aiunt fungos si syluestria pira cū eis coquantur innoxios fieri. Talis omnino pirorum usus, qualis malorum: at piris*

aliqua alendi facultas donata est: proinde ea secta in tenues orbiculos, siccataquè reponuntur, quibus coctis per hyemem & uer cum fames est, ciborum parum nutrientium uice uescuntur. Dios. Lib. 1. Cap. 32. Gal. 2. de comp. medic. secund. loc. Cap. 1. 8. de comp. medic. secund. loc. Cap. 4. 2. al. Cap. 24. de rem. par. fac. Cap. 1. de bon. & ui. suc. cap. 8. 6. de san. tu. cap. 10. Ply. Lib. 23. Cap. 7.

NOCENDI. Nam eorum cibus etiam ualentibus est onerosus; & ægris quoque uini modo negatur: Ieiunos suo cibo lædunt: Pontica parum nutriunt, tarde descendunt, generant uiscosos crassos & frigidos humores elixa minus obsunt; decoctaquè mire salubria & grata: Non danda epilepticis nisi raro: Intestinis nocent, & maxime longaoni, & tenasmum efficiunt, & à proprietate cholicam generant: quare oportet ut bibatur post ipsa uinum; nam sine uino sunt pira uinus. Gal. de puer. epil. de att. uic. Cap. 2. 2. al. Cap. 24. Paul. Lib. 7. Auic. Ply. Lib. 23. Cap. 7. Ras. 4. aph. Schol. Salerni.

RADIX VIM H.

Calfacit hortensis raphanus, ructusquè mouebit:
Proderit ante epulas, postea sumptus obest.

CALEFACIENDI. Nam excessu excalfacit tertio. Gal. 8. Simpl. medic. 2. al. Cap. 70.

SICCANDI. Nam excessu secundo desiccat. Gal. 8. Simpl. medic.

INCIDENDI. Incidit phlegma, & mundificat stomachum. de diß. cont.

CIENDI. Nam urinam excitat, & menses arceßit. Dios. Lib. 2. Cap. 106.

EXTENVANDI. Nam raphani extenuant, & ex aqua sumpti lienem absumũt: & crassos humores attenuant. Gal. 2. al. Cap 70. de att. uic. Cap. 2. 9. Oribas. 2. collect. medicin. Cap. 26.

DIGERENDI. Nam facultas ei inest digerendi: itaque ad sugillata, & alia id genus liuida ob talem facultatem existit accommodũ. Gal. 8. Simpl. medic.

ABSTERGENDI. Nam cicatrices ad colorem reducit: & lentigines cum loliacea farina emendat, & sugillata cum melle rapit, & nomas amolitur. Dios Lib. 2. Cap. 106. Gal. 8. meth. medic. Cap 2

IVVANDI. Nam ori suauis est, aluo aptior, ea nutrimur, sed non ut carne, & potius pro medicamento, quam pro cibo habenda est: est enim obsonium potius quã Alimentum: sensuum aciem excitat, uomituris commodißime datur ante cibum & cortex celerius uomitiones mouet: cruda radix cum garo & aceto ante cibum sumpta facit deiicere, expurgat icteros: oblique concisa & illita alopecias replet: Cibi appetentiam excitat præsumpta, in quem usum in taleolas orbiculosquè digeritur:

ut aqua saleque conspersa coenas inchoet: Si quis etiam cibos fastidit ad excitandam cupiditatem interponitur. Cæterum cũ medicos tum idiotas illos mirari subit, qui a coena crudas eas edunt concoctionis iuuande gratia: ipsi quidem id se experiẽtia abunde compertum habere dicunt; nullus tamen eas citra damnum potuit imitari. Raphani cocti dulcescunt, & in naporum uicem transeunt: Decocti uero & poti cũ uino ieiunis ad ternos cyathos comminuunt, & eijciunt calculos: ad tussim cum melle prosunt, puerperis ad lactis copiam augendam præbentur: Venenis aduersantur: Quibus etiam succus in aqua coctus succurrit: idem contra fungorum & boletorum uenena salutaris succo infectis manibus impune serpentes tractantur: Semen tostum commanducatumque tussientibus & suspiriosis medetur: Hydropicis ueternosis, iliosis, colicis, & enterocelis prodest. Semen impositum sistit ulcera, quæ phagedenas uocant: Gangrenas admotum mirabilem in modum emarginat: cum aceto mulso anginis gargarissatum opitulatur: Cerastæ morsibus in uino datum succurrit: Auriũ grauitati succum instillant. Dios. Lib.2. Cap.106. Gal.2.al.70. de att.uic. Cap. 9. 2.de nat. facul. Cap.10. 1.de comp.medic. secund.loc. Cap.2. Aet. Serm.1. 2.al. Cap.61.

NOCENDI. Nam flatus gignit, ructus fetidos ciet: stomacho aduersatur, concoctu difficilis mali chymi. pruriiũ mouet, acris est, uenerem stimulat, uoci nocet, capiti dentibus & palato, oculis gula, & omnibus uiuilæ doloribus inconueniens. ex ipsa exiguus sanguis, nec in totum utilis: post coenam sumpta non adiuuat coctionẽ ut multi putarunt, immo ex ea post coenam sumpta multi sunt læsi. Verum si uentriculus calidus sit, & facile fluat, nec flatum gignendum aptus sit, tum radiculas in initio coenæ esitare bonum est; si uero contra post coenam satius est. Dios. & ibi Lusit. Lib.2. Cap.106. Gal. ibid. Aet. ibid. Sim. Seth. Auer.5.coll. Haly.5. Theor. Cap.17. Ras.22.cont 3.alm. Cap.18.

RANAE V. H.

Antidotus Rana eſt, morſis ſerpente medetur.
Siſtit & hæc lenit, glabraquè membra facit.

IVVANDI. *Nam contra omnium ſerpentium uenena pro antidoto ſunt: Si ex ſale & oleo decoctæ edantur: iusquè earum itidem ſorbeatur: Decoctæ in aceto & aqua dentium dolores collutione leniunt: illitus earum cinis profluentis ſanguinis impetus ſiſtit: Contra inueteratos tendinum rigores & dolores pollent, earum cinis explendis alopeccarum inanitatibus ex liquida pice illinitur: Earum uiridiū cruor auulſos genis pilos renaſci prohibet in ueſtigia auulſorum inſtillatus: ex ipſis pharmacum fit pro podagra & chiragra perutile: Corpus ranæ & proprie pinguedo eius eſt ex eis quæ facilem dentium faciunt eredicationem. Marinarum ex uino & aceto decoctarum ſuccus contra uenena bibitur: & contra ranæ rubetæ uenenum, & contra ſalamandras: Fluuiatiles, ſi carnes edantur, iuſue decoctarum ſorbeatur, proſunt & contra leporem marinum. & contra ſerpentes ſupradictas: Contra ſcorpiones ex uino. Ranæ paruæ ſanies efficaciſsime pſilothrum eſt, ſi recens illinatur: & ipſa arefacta ac tuſa mox decocta tribus heminis ad tertias, uel in oleo decocta æreis uaſis.* Dios. & ibi Matth. & Luſit. Lib. 2. Cap. 25. Gal. 11. Simpl. medic. 4. de compo. medic. ſecund. loc. Cap. 8. 7. de compo. medic. per g. Cap. 12. Aet. Serm. 2. Cap. 166. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 596. Ply. Lib. 32. Cap. 5 & 10.

NOCENDI. *Nam rubetæ, & calamitæ uenenatæ & lethales habentur, earum quæ in fluuijs paludibus & lacubus uerſantur & degunt nobis in cibis uſus inualuit, colore uiridi aut ſubrutilo, cinereouè tametſi & inibi quandoque ex ijs cernuntur, quæ non tuto edi poſſunt, ut pote quæ à rubitis non multum pernicie diſtent, quare ab ipſis abſtinendum.* Dios. & ibi Amat. Luſit. Lib. 2. Cap. 5. Gal. ibid. Aet. Serm. 13. Cap. 55. Ply. Lib. 32 Cap. 5. & 10. Actuar. 5. meth. medic. Cap. 12.

RAPA VIM H.

Rapa ciet lotium & uenerèm, confertquè podagris
Antidotum est & alens, cruda alimenta parit.

CALEFACIENDI. Nã excalfacit in altero ordine. Auer. 5. coll. Isac in par. di.

HUMECTANDI. Nam in primo ordine humectat. Auer. Isac ibid.

CIENDI. Nam thyrsus qui inter folia emicat asparagi modo manditur coctus & urinam pellit. Dios. Lib. 2. Cap. 104.

IUVANDI. Nam admodũ utilis est, quia & magno pueniat incremento & rusticos implet, nec homines solum, uerum etiam boues pascit & admodũ nutrit. Hanc uarie parant, nam muria & aceto condiunt, ut in annum totum usui possit esse: optima quæ bis excocta fuit, melioremq́; parit succum, qui nec aluum remoretur, nec moueat: semen eius in antidota contra dolores additur, potumq́; aduersus uenena salutare, & bibitur ex uino aduersus serpentes: genituram adauget: exasperatas fauces & guttur lenit, tostæ articulorum doloribus cum adipe utiliter illinuntur: crudæ tusæq́; cũ sale quæcunq; uitia pedum sanant; ius feruens podagris ẽt frigidis medetur, frigus pellit è pedibus fotu. Perniones exulceratas sanat: Si quis rapum excauet, deinde inanitatem illam rosaceo impleat, cerato, & calido cinere liquefactum adhibeat: Custoditur in muria, minus ita enutriens, cæterum appetentiam cibi recolligit; cocta uero presertim cum carnibus non aspernanda est rapa, quum optimum gignat sanguinem, atque ut nonnulli opinantur, uisum acuat proprietate mirabili, sed longa indiget coctione & bis coquenda. Dios. Lib. 2. Cap. 104. Paul. Lib. 7. Gal. de opt. Sec. Cap. 17. 2. al. Cap. 62. de puer. epil. Oribas. 2. collecto. medicin. Cap. 18. Auer. 5. coll. Isac in part. diæt. Ply. Lib. 18. Cap. 13. & Lib. 20. Cap. 3. Sim. Seth.

NOCENDI. Nam cartilaginea & dura est, & ideo nisi decoquatur cibo aliena est si non recte percocta sit, cruditatem crebro esu adfert, inflationes excitat, stomachũ excruciat, neque non interdum uellicat, alit corpus, sed carne fluida nec utili inflant uenerem stimulat magisquè si condiatur eruca. Rape insuper iugi usu crassos creant humores, sunt cibi pessimi, & iecur uitio infirctus impediunt: ideo in cibis damnatæ, longa indigent coctione, & bis coquendæ, & minus nutriunt alijs congeneribus: utilis rapa est biscocta præsertim si utraq; aqua proiecta cum pinguissima carne coquatur, additis aromatibus, quæ inflationem tollunt. Rapæ coctæ super ligna uirtute flammæ ignis nullo pacto assumendæ ratione malitiæ adeptæ à fumo & flamma non mediocris, unde suffucationem, & anhelitus constrictionem possent inducere. Quare non nisi elixæ sunt comedendæ, aut super carbones & prunas sine fumo decoctæ, elixæ autem præstantiores existunt. Syluestre rapum concoctu contumax est, & rectus ciet. Dios. Lib. 2. Cap. 104. Gal. 2. al. Cap. 62. de att uic. Cap. 9. 6. Simpl. medic. Paul. Lib. 7. Aet. Serm. 1. Ply. Lib. 18. Cap. 13. & Lib. 20. Cap. 3 Auer. 5 coll. Isac in part. diæ. Ras. 22. cont. Cap. 44. Sim. Seth.

RECOCTA V. H.

Ventriculo neruisq́; recens inimica recocta est,
Conciliat somnos, sedat & ista sitim.

REFRIGERANDI. *Nam cibus frigidus est. Amat. Lusit. in 2. Dios. enar. 67.*

SISTENDI. *Nam fluxiones biliosas compescit. Amat. Lusit. ibid. Matthiol. in 2. Dios. Cap. 166.*

IVVANDI. *Nam confert calidis defluxionibus obnoxijs: sitim sedat, & choleram reprimit rubeam, somnumqué conciliat. Amat. Lusit. & Matth. ibid. Haly. 5. Th. Cap. 26. Ras. 3. Alm. Cap. 15. Auic.*

NOCENDI. *Nam obest uentriculum frigidum habentibus; frigidus enim uentriculus illam minime concoquit, aut digerit; Noxia etiam neruorum morbis, & ægritudinibus frigidis. Recens minus uentriculum uexat, quam caseus omnis recenter pressus. Inueterata autem ægræ concoquitur, sitim excitat, pessimi ac craßi est nutrimenti, parum alit, aluum cohibet, & flatus procreat. Amat. Lusit. & Matthiol. ibid. Haly. 5. Th. Cap. 26. Ras. 3. Alm. Cap. 15.*

ROSMARINVM V. H.

Rosmaris incidit, morsus & pectora curat.
Cit, coquit, abstergit, lumina acuta facit.

CALEFACIENDI. *Nam excalfactoria ui præditum est, & in tertio excalfacit ordine. Dios. Lib. 3. Cap. 73. Serap.*

SICCANDI. *Nã resiccandi uim uehementer habet, & est in tertio excessu siccum. Dios. ibid. Serap.*

EMOLLIENDI. *Nam emollientis est facultatis particeps, & tumores condilomata strumasqué placat, & collectiones difficile suppurantes emollit. Gal. 7. Simpl. medic. Paul Lib. 7.*

INCIDENDI. *Nam incidentis est facultatis.* Gal.7.Simpl.medic.

EXPVRGANDI. *Nam germen superne uomitionem, quod terræ cohæret inferne deiectionem mouet.* Ruell.Lib.3.Cap.50.

ABSTERGENDI. *Nam abstergentis est facultatis particeps, purgat lentigines, & uitiligines ex aceto mistum emendat: & eius siccæ radices ulcera abstergunt,* Dios. Lib.3.Cap.73. Gal.ibid. Ply. Lib.24.Cap 11.

DIGERENDI. *Nam digerentis est facultatis, & concoquit strumas & abscessus qui ad maturationem ægre perducuntur.* Dios. & Gal. ibid.

CIENDI. *Nam menses & urinas ciet.* Dios. ibid.

SISTENDI. *Nam folia eius imposita hæmorrhoidas comprimunt, & uentrem cohibent.* Dios. ibid.

IVVANDI. *Nam eius semen ad urinæ stillicidia efficax & ad aures, argema, & ad oculorum lippitudines: lactis ubertatem mulieribus præstat, radix eius sanat uiridis imposita sedis prouidentiam, condilomata, & hæmorrhoidas: succus tam fruticis, quam radicis regium discutit morbum, & similiter rosmarinum decoctum in aqua, & ante gestatienes inambulationesquè sumptum ita ut post eas obiter lauant, merumquè bibant qui sumpsere: Semen ad uetera pectoris uitia datur potui, ad uuluas cum uino & pipere: Menses adiuuat, podagris illinitur, cum loliacea farina: ad tussim cum melle prodest: aduersatur ueneris, & uenenatis, serpentiumquè ictibus datur libanotis bibenda cum uino: succus oculorum aciem inunctus exacuit, & eandem ab humorũ craßitudine melli mistus emendat cum sudor eliciendus est ex oleo linitur, item ruptis uulsis, podagris tritus cum lolij farina & aceto. iucundum spirat odorem, ideo quos animus defecerit recreat suffitu tußim & distillationes sedat, & quod in primis nobile, tutã præstat in pestilẽtia domũ, cremate nidore improbam aeris perniciem diluẽs: corroborat cerebrũ sensus interiores, memoriã & cor succurrit tremori resolutioniq; partiũ: loquelaq; amissam reparet. Ex floribus rorismarini conditũ saccaro paratur, uentriculo roborando acommodatum, & matrici conuenientißimum* Dios. Lib. 3. Cap.73. Gal.7.Simpl medic. Paul.Lib.7.Aet Serm.1. Lusit.in Dios. Lib.3.enar.86. Ply.Lib 24 Cap.11.

NOCENDI. *Nam sua acrimonia arteriam exasperat.* Dios. Lib. 3. Cap.73. Ruell. Lib 3.Cap.50.

Morsibus auxilio est, sal à putredine seruans,
Digerit, & mordet, discutit atque coquit.

CALEFACIENDI. Nam ualde calefacit, est enim in secundo ordine calidus Gal 6. de comp. medic. per gen. Cap. 2. Actuar. de acti. Lib. 2. C. 9. Isac. in part. diæt

SICCANDI. Nam eius uis exiccatoria est in tertio gradu: Quare quando uehementius tumorem exiccare uolueris, sales emplastris adijcias. Gal. 2. ad Glauc. Cap. 7. Isac. ibid.

ADSTRINGENDI. Nam ipsi adstringendi uis inest, qua eas quæ condiuntur carnes cōstringit, corpora cogit, & ipsa in se se condensat. Gal. 3. al. Cap. 41. 4. Simpl. medic. Cap. 20. Dios. Lib. 5. Cap. 85.

ATTENVANDI. Nam corporum quibus admouetur, superfluos humores attenuat. Dios. ibid. Gal. 3. de al. facul. Cap. 41. 4. Simpl. medic. Cap. 20.

EXPVRGANDI. Nam uentrem purgat. Dios. ibid. Gal. de cathar.

ABSTERGENDI. Nam absterget lichenas, lepras, psorasquè: & ad sugillationes in facie prodest ex melle. Dios. ibid.

DIGERENDI. Nam humores superfluos digerit. Gal. 3 al. Cap. 41.

CONCOQVENDI. Nam testium tumores cum origano & fermento maturius concoquit. Dios.

DISCVTIENDI. Nam dissipat, & lassitudines discutit. Dios. ibid.

REPRIMENDI. Nam excrescentia in oculis reprimit. Dios. ibid.

IVVANDI. Nam salis natura in comune per quam utilis est, & ipso carere nō potest homo; dat enim cibis condimentum, appetentiam excitat, facit ad humorum, si qui redundant, exuctionem & resiccationem, à putredine uindicat, pterigia consumit, cæterasquè carnis extuberationes tollit, clysteribus infunditur, contra hydropicorum tumores auxiliatur, dolores in sacchis fotu mitigat, & pruretus sedat, ex oleo & aceto infrictus ad ignem donec sudent; item anginam ex melle aceto & oleo illitis leuat, tonsillis uuæquè cum melle tostus, ulceribus in ore manātibus, gingiuis quas humor uexat, & phagedænis ulcerū cū polēta crematus illinitur, aduersus scorpionū ictus lini cū lini semine. cōtra serpentiū morsus cū origano melle hissopo: aduersus uesparū ictus & teredines albidasquè capitis postulas thymos & tubercula cum seuo uitulino. Furunculos cum uua passa, aut suillo adipe, aut melle discutit. Contra haustum opium & fungos cum aceto mulso bibitur: luxatis imponitur cum farina & melle, ambustis igni cum oleo impositus pustulas erumpere non patitur. Podagricis itidem imponitur, & aurium doloribus cum aceto: ulcera serpentia cum aceto aut hissopo illitus sistit: Flos eius sanat splenes duras: uenenis aduersatur: car=

nes ſeruat, & uiſcoſitatem piſcium remouet, & facit ne lac in uentriculo coaguletur. Dios. Lib. 5. Cap 85. Gal. 2. ad Glauc. C. 5. de Ther. ad Pis. C. 10. 3. al. C. 41. de bon. & ui. suc. C. 2. 4. Sim. medic. C. 2. Ply, Lib. 31. 79. Actuar. Lib. 2. de act. C. 9. Iſac. in part. diæt. Ras. 3. alm. Cap. 17.

NOCENDI. Nam mordet, ſanguinẽ corrũpit et adaurit, ſitim auget ſi immodice ſumatur uiſũ debilitat, pruritũ generat ſpermaq; minuit. ex ſalis uſu pediculi exeũt. Gal. 1. de comp. medic. ſecund. loc. C. 8. de Ther. ad pis. C. 18. 2. de cõp. medic. ſecũd. loc. Cap. 2. Actu. Lib. 2. de act. Cap. 9. Ras. 3. alm. Cap. 17. Ply. Lib. 31. Cap. 9.

SALVIA VIM H.

Saluia conſtringit, lotium menſesquè mouebit:
Ictibus aduerſa eſt, ulceribusquè malis.

CALEFACIENDI. Nam euidenter excalfacit, eſtquè in ordine tertio calida. Gal. 6. Simpl. medic. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 465.

SICCANDI. Nã ſicca eſt in ſecũdo exceſſu, et ſtomachi humiditatẽ exiccat. Aui.

ADSTRINGENDI. Nam Leuiter ſubaſtringit. Gal. 6. Simpl. medic.

EXPVRGANDI. Nam tetra ulcera purgat. Dios. Lib. 3. Cap. 34.

TRAHENDI. Nam partus hærentes, & emortuos appoſita extrahit, remoratosq; menſes item uermes aurium. Dios. Lib. 3. Cap. 34. Ply. Lib. 26. Cap. 6.

SISTENDI. Nam abundantes menſes decocto eius poto aut ſuffitu omnemquê foeminarum abundantiam cohibet: per ſe uero herba impoſita uulnerum ſanguinem ſiſtit. Orpheus ſucco in orbiculos coacto cũ mellis uncia ſanguinis excreationes cohibuit: bibitur cũ abſinthio ad dyſenteriã. Dios. Lib. 3. C. 34. Aet. S. 1. Ply. L. 26. C. 6.

CIENDI. Nam menſes cit, & urinas. Dios. Lib. 3. Cap. 34. Ply. Lib. 26. C. 6.

IVVANDI. Nam ſtomachũ roborat, paſtinacæ marinæ & ſerpẽtiũ ictus ſanat: & ſi in uino decoquatur pruritus teſtiũ ſedat: Agrippa ſacrã appellat herbã, traditq; leænas eã eſſe ad conceptus facilitatẽ: illud habetur in cõfeſſo foeminã quæ quadrãtẽ ante concubitũ huius ſuccũ inſtar hæminæ cũ momẽto ſalis ebiberit, concepturã: Proditũ eſt graſſantẽ in copto egipti peſtẽ innumeros penè mortales rapuiſſe, reparatamq; multitudinẽ coactis mulieribus huius herbæ ſucco ad conceptũ uti. Ad tuſsim laterisq; dolores bibitur: Contra ſcorpiones eadem, & dracones marinos efficax Aduerſus ſerpẽtes quoq; ex oleo perũgi ea prodeſt: capillum denigrat: inteſtina corroborat, & paraliticis confert: uulneribus herba utilis eſt, ſanguinemq; compeſcit. Dios. Lib. 3. Cap. 34. Aet. Serm. 1. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 465. Ply. Lib. 26. Cap 6. Sauon. tr. 2. ſuæ pract. Cap. 15. Ruell. Lib. 3. Cap. 28.

NOCENDI. Nam eius odor capitis dolorem affert: inebriat uelociter cũ in uino imponitur: Quapropter caueant ſibi qui ſunt obnoxij deſtillationibus, ab impoſitione eius in uino ut cõfortent uentriculũ: ne maius quã auxiliũ, ſentiant nocumentũ. Paſtinacæ quidẽ marinæ ictus ſanat, ſed percuſſo loco tẽpori inducit. Auic. Lib. 2. tr. 2. C. 465. Ply. Lib. 26. Cap. 6. Ruell. Lib. 3. Cap. 28. Sauon. tr. 2. ſuæ. pr. C. 15.

SAMPSVCVM V. H.

Calfacit, auxilium est tibi siccus amaracus hydrops
Ictibus antidotum, torminibusquè salus.

CALEFACIENDI. Nam calfacit ordine tertio, uuluasquè calefacit. Gal. 8. de Simpl. medic. facul. Dios. Lib. 3. Cap. 40. Ply. Lib. 21. Cap. 22.

SICCANDI. Nam desiccat ordine tertio. Gal. 8. Simpl. medic.

ADSTRINGENDI. Nam adstringens est. Gal. 4 de comp. medic. secund. loc. Cap. 8. de rem. par. faci.

REPRIMENDI. Nam repercutiens est, & uim obtinet reprimendi. Gal. ibid.

DIGERENDI. Nam digerentis est facultatis. Gal. ibid.

PVRGANDI. Nam bilem & pituitam per aluum exigit. Ruell. Lib. 3. Cap. 34.

DISCVTIENDI. Nam succus decocti tormina discutit. Dios. ibid. Ply. Lib. 21. Cap. 22.

ABSTERGENDI. Nam illita ex melle arida folia sugillata emendāt. Dios. ibid.

CIENDI. Nam urinam & menses, & narium sternutamenta cit, & retardatos menses subdita folia in pesso trahunt. Dios. ibid.

IVVANDI. Nam succus decocti ad incipientem aquam intercutem potu utilis est, & ijs quos urinæ difficultas aut tormina discrutiant: Arida folia scorpionibus aduersantur ex aceto melle & sale illita, cum cera uero luxatis, tumoribus & sugillatis prosunt cum melle: Cohibent & oculorum inflammationes, tumoresquè cum polenta: acopis malagmatis excalfaciendi causa miscentur: Fit ex Sampsuco oleum, quod sampsuchinum aut amaracinum uocatur, ad calfaciendos emolliendosquè neruos: Quod etiam aduersus uuluæ præclusiones conuersionesquè efficax est: lumborum inguinumquè dolores lenit, sed cum melle uti eo præstat: Laßitudines illitum discutit: in opisthonicorum uulsorumquè cataplasmata utilißime additur: Marum quod persa uocatur uulgo, adeo similis est amaraco, ut eodem nomine utraque maiorana apud nos dicatur: Nobilius tamen habetur marum: Herba hæc tantam cum mulieribus iniuit gratiam sui odoris iucunditate, ut nullæ ferè reperiantur, quæ suis in hortis, aut fictibus uasis amaracum non serant, uel plantas non transferant, ac diligenti admodum cultura foueant: ex quo maioranæ sibi nomen adinuenit, quòd maiori cura ac diligentia seratur, colaturquè quam cæteræ plantæ: neque id ea solum ratione, quòd odore perquam iucundo commendetur, sed quòd etiam coma perpetua uireat. Dios. & ibi Matth. Lib. 3. Cap. 40. & Lib. 1. Cap. 47. Gal. 4. de compo. medic. secund. loc. Cap. 8. 7. de comp. medic. per g. Cap. 7. Ply. Lib. 21. Cap. 22. Auic. Lib. 2. tr. 2. Cap. 473.

NOCENDI. Nam uiribus acris est. Gal. attrib. de Simpl. med.

SAPA VIM H.

Multum alit, & pulsus rèuocat ſapa, toxica uincit,
Obſtruit, atque inflat, uentriculoquè nocet.

CALEFACIENDI. Nam in ſecundo exceſſu calida eſt: nam & ſi caliditatem per decoctionem recipiat, etiam de eius naturali calore reſoluitur, & calefaciendi ui melle inferior eſt. Actuar. Libro 2. de acti. Cap. 8. Sauon. tr. 2. ſuæ pr. Cap. 9. rub. 2.

SICCANDI. Nam ſicca eſt in altero ordine. Sauon. ibid.

TRAHENDI. Nam ſecundas partusquè emortuos trahit, cum bulbis epota. Ply. Lib. 23. Cap. 2.

ADSTRINGENDI. Nam ſapa adſtringit. Dios. Lib 5. Cap. 7.

LENIENDI. Nam lenit meatum ex lancilatione offenſum. Gal. 3. de compo. medic. ſecund. loc. Cap. 1.

DETERGENDI. Nam ea neruorum uulnera detergentur. Gal. 6. meth. medic. Cap. 3.

IVVANDI. Nam inter obſoniorum additamenta ipſa quoque cenſetur; pulſus reuocat, ualenter nutrit, uentrem modice ſubducit: Vino cognata eſt, muſto decocto donec tertia pars ſuperſit, ex albo melior: uſus contra cantharidas, bupreſtin, pinorum erucas, ſalamandras, & contra mordentia uenenata: Facit enim aduerſus uenena, quæ exulcerando necant ex oleo pota, & uomitionibus reddita: Contra cicutas meconium, pharicum, toxicam, & concretum in grumos lac: item contra renum, & ueſicæ pruritus, roſiones, exulcerationesquè: Dolores quam uiná dulcia magis ſedat; eſt enim leniſſimum pharmacum; & in tenui confert deſtillatione, neruorumquè uulneribus. Dios. Lib. 5. Cap. 7. Gal. 7 de comp. medic. ſecund. loc. Cap. 1. & Lib. 3. Cap. 1. Lib. 7. Cap. 2. 3. de comp. medic. per Gen. Cap. 3. Ply. Lib. 23. Cap. 2.

NOCENDI. Nam ſtomacho aduerſatur; ægre concoquitur, inflat, craſſæ eſt ſubſtantiæ, uiſcerum obſtructioni minime idonea, immo obſtructiones gignit, iecoris ac lienis inflammationes inauget, niſi melle addito melior fiat: Quapropter tutiſſima res erit aut ipſam totaliter dimittere, aut in modica quantitate in condimentis accipere, ipſam cum aceto uel omphacio permiſcentes. Dios. Lib. 5. Cap. 7. Gal. 2. al. Cap. 18. com. 3. de rat. uic. ac. 2. Actuar. Lib. 2. de acti. Cap. 8. Ply. Lib. 28. Cap. 2. Iſac in part. diæt. Sauon. in ſua pr. tr, 2. Cap. 9. rubr. 2.

SATVREIA V. H.

Thymbra cibis gratum præstabit odora saporem,
Cit uenerem, incidit, uentriculosquè necat.

CALEFACIENDI. Nam calorificæ uirtutis in tertio est à temperatis excessu. Paul. Lib. 7.

SICCANDI. Nam exiccatoriæ uirtutis in tertio est à temperatis excessu. Paul. Lib. 7. Gal. 3. al. Cap. 2.

INCIDENDI. Nam obit tenaces ac uiscidos humores incidendi prouinciam. Paul. Lib. 7.

EXPVRGANDI. Nam pituitam per aluum detrahit, cum sale & aceto pota: Nares pulmonem Thoracem & cibos indigestibiles, & lumbricos rotundos expurgat: Nascitur supra Thymbram quidpiam, quod cirrorum modo comas & ramos crebro uolumine complicat, quod epithymbrò uocant, atram bilem perinde atq; epitymum per aluum exigit. Dios. Lib. 3. Cap. 37. Gal. adscript. de cathar. de dynam. Ruell. Lib. 3. Cap. 32.

EXTENVANDI. Nam est in tenuantium genere. Gal. de att. uic. Cap. 2.

DISCVTIENDI. Nam recentes tumores cum aceto illita dißipat, concretum dissoluit sanguinem, & stomachi fastidia discutit. Dios. & ibi Lusit. Lib. 3. Cap. 37. Ruell. Lib. 3. Cap. 32.

CIENDI. Nam ciet urinas; partus, menses & secundas pellit. Dios. ibid.

IVVANDI. Nam eadem potest quæ thymum si modo consimili sumptitetur obsonium est sponte proueniens, per quam utilis pro condimento: stomachi concoctiones adiuuat; fastidia discutit, cibi auiditatem facit, hebetes oculos exacuit: Satiua estur utilius, quoniam minori placeat accremento, syluestris medicinæ utilior, & ad sanorum usus probatur, Medetur utraque contra serpentes ex uino uel aceto, pulices etiam contritæ cum aqua sparsæ necant: Luxatis quoque utilis Thymbra, cuius farina ex uino pota medetur pulmonis thoracis & uesicæ uitijs, uentris tineas exigit; Contra uesparum & similes ictus ex farina hordeacea & posca utilißima: aduersus scorpiones ex posca pollet, eius folijs ex oleo per uncto homine fugari serpentes tradunt: Veternosos excitat effectu, aut coronæ modo capiti imposita. Succus cum rosaceo auribus infunditur, cum triticea farina coxendicibus illinitur: Marcescentes coitus stimulat. Dios. Lib 3. Cap 37. & 38. Gal. 2. al. Cap. 70. Lusit. in 3. Dios. enar. 43. Aet. Serm. 1. Ply. Lib. 19. Cap. 8.

NOCENDI. Nam acrimoniam habet coitum stimulat, perquam utilis pro cō dimēto dumtaxat ad eorum usus qui recte ualent: Quæ in humidis regionibus nascitur odore grauior, & inefficacior est. Dios. & ibi Lusit Lib. 3. C. 37. 38. Paul. Lib. 7.

SERPILLVM V. H.

Serpillum serpens obstat serpentibus atris,
Cit lotium & menses: tormina curat idem,

CALEFACIENDI. *Nam excalfactorium est. Gal.5. Simpl.medic.*

SICCANDI. *Nam siccum est in tertio ordine. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.514.*

ADSTRINGENDI. *Nam adstringens est. Gal 4.de comp.medic.secund.loc. Cap.8.*

REPERCVTIENDI. *Nam repercutiēs est. Gal.ibid.& de rem.p.f.Cap.10.*

CIENDI. *Nam menses trahit,& urinas potu ciet. Dios. Lib.3.Cap.39.*

DETERGENDI. *Nam serpillum detergit. Gal.8.meth.medic.Cap.4.*

IVVANDI. *Nam obsonium est sponte proueniens, Torminibus ruptis, uulsis, & inflammationibus iocineris auxiliatur. Serpentium morsus potu uel illitu iuuat: capitis dolores mulcet coctum adiecto oleo rosaceo,& aceto madefactum: Maxime phreneticis & lethargicis conuenit: Cruentos uomitus sedat succus drachmis quatuor ex aceto potus. Pinguius uoluntarium & candidioribus folijs ramisquē aduersus serpentes efficax, maxime Cenchrin & scolopendras terestres ac marinas, & scorpiones decoctis in uino ramis folijsquē: fugat & odore omnes, si uratur: & contra marinorum uenena præcipue ualet: capitis doloribus decoctum in aceto illinitur temporibus ac fronti cum rosaceo: item phreneticis lethargicis: contra tormina & urinæ difficultatem, anginas, uomitiones drachmis quatuor datur: ex aqua bibitur, & ad iocineris dolores: folia obolis quatuor dantur ad lienem ex aceto: ad cruentas excreationes teritur in cyathis duobus aceti,& mellis. Dios.Lib.3. Cap. 39. Gal.2.al. Cap.70. 11.m.m. Cap.18. 14.m m. Cap.21. 1.ad Glauc. Cap. 15. Ply.Lib.20.Cap.22.*

NOCENDI. *Nam multum acre est. Gal.6.de Simpl.medic.facul. Paul.Lib.7.*

Cit lotium ſmilax, inflat, ſomnoquè tumultum
Excitat, haud penitus praua alimenta dabit.

CALEFACIENDI. *Nam rubea calida eſt in medio ſecundi gradus: alba autem frigidæ eſt temperaturæ.* Sim. Seth. Iſac in part. diæ. Haly. 5. Theor. C. 15.

HVMECTANDI. *Nã manifeſta in ea humiditas, quod cito putreſcat.* Sim. Seth.

CIENDI. *Nam urinam cit, & menſes eius decoctum accerſit.* Dios. Lib. 2. Cap. 140. Sim. Seth.

SVBDVCENDI. *Nam ante alios cibos cum ſapa ſumpta uentrem proritat; Dum in herba eſt exonerandæ alui cauſa primis menſis eſtur: ſed aqua præmaceratur, & garo intingitur: Vomitionibusquè phaſelum tempeſtiuum exiſtimant.* Dios. Lib. 2. Cap. 101. Gal. 1. al. Cap. 25. Sim. Seth. Ruell. Lib. 2. Cap. 41.

IVVANDI. *Nam ad bonam confert habitudinem corporis: ſeminum cremor corpus & uires alit; Folliculi cum ipſis manduntur granis pari fere gratia; ſaltem eo modo quo aſparagi:* Dios. Lib. 2. Cap. 140. Gal. 2. de al. facul. Cap. 1. 1. de al. facul. Cap. 25. Paul. Lib. 1. Cap. 79. Aet. Serm. 1. Iſac in part. diæt. Haly. 5. Theor. Cap. 15. Sim. Seth.

NOCENDI. *Nam humorem generat craſſum & pituitoſum: flatuoſam habet naturam, ægre perficitur, alba craßior & difficilioris coctionis, ac humidior eſt quam rubra: proprietate quadam turbulenta, & tumultuoſa facit inſomnia: cæterũ edulium anceps eſt, inter bonum malumq; ſuccum ambigens, coctiuum, & perfici contumax, tardo meatu & celeri, inflans & non inflans, parum & multum alens: Cum ſinapi aut cumino ſumitur ut innocentior fiat: cum ſinapi enim oblata plurimum noxe deponit; De uniuerſis leguminibus græci authores præceptum reliquerunt, ut Fimo cum ſeruntur non nihil nitri permiſceatur, ita mire cocturis opportuna redduntur: Quod ſi factum non eſt, ut cito contereſcant, in ollam ſinapis momentum inijciendum eſt, & confeſtim cocta fatiſcent. Quod ſi pluſculum ſinapis additum ſit, reſoluta penitus diſtabeſcent.* Dios. Lib. 2. Cap. 101. Gal. 1. al. Cap. 25. de att. uic. Cap. 7. Aet. Serm. 1. Act. Lib. 2. de act. Cap. 5. Matth. in Dios. Haly. 5. Th. Cap. 15. Ras. 3. Alm. Cap. 2. 23. cont. Cap. 705. Auic. Et Oribas. Lib. 15. collect. medic. in littera S. in dictione Smilax inquit, Smilax pernicioſæ facultatis eſt.

SORBA V. H.

In ſiſtendo aluum certa eſt uis maxima ſorbis,
Meſpila at hæc uincunt, utraque inepta cibis.

ADSTRINGENDI. *Nam ſorba ſicca & immatura ualentiſsime adſtringunt: Matura uero parum aut nihil: Minus autem ſtringunt: quamq́ meſpila: & ipſorum decoctum adſtringens moderatum pro gargariſmis*
Dios. Lib. 1. Cap. 133. 136. Gal. 2. al. Cap. 25. 6. de compo. medic. ſecund. loc. Cap. 3. & 4. 1. Simpl. medic. Cap 32. 8. Simpl. medic. Oribas. Lib. 1. collecto. medicin. Cap. 52.

SISTENDI. *Nam aluum ſiſtunt: & cum adhuc luteola, nec dum matura ſunt, decerpta diſſecantur in ſole probabili remedio ad ſtipendam aluum: idem uſus eſt tuſorum pila farinæ, ſi polentæ modo ſumatur; Quod eorum decoctum itidem præſtat. Dios. Lib. 1 Cap. 136. Ply. Lib. 23. Cap. 7.*

IVVANDI. *Nam recentia ſtomacho & aluo citæ proſunt, eiuſdem naturæ, qua meſpila qua propter aluo profluenti, ut dictum eſt, utilia ſunt, ſed imbecilliore effectu, gratioriq́; ſapore placent. In medico tamen uſu magis quam cibo probata: Sorbo item ſyluaticæ præſtantior, quam urbanæ fructus. Dios. Lib. 1. Cap. 133. 136. Gal. 2. al. Cap. 25. de att uic. Cap. 10. 8. de Simpl. medic. facul.*

NOCENDI. *Nam illorum ſuccus auſterus eſt, illis igitur parce ueſcendum, non autem affluenter, & ad ſaturitatem ut uuis ac ficubus; Nam ipſis non ut alimento, ſed ut medicamento potius indigemus. Alimenti enim uice ſumpta, ſanguinem exhibent minime commendandum. Gal. 2. al. Cap. 25. de att. uic. Cap. 10. 8. Simpl. medic. Act. Lib. 2. de acti. Cap. 6.*

TELLINAE V. H.

Commoda iure ferunt tellinæ, aluoquè salubres,
Gratæ ori, at ueniet renibus inde dolor.

IVVANDI. *Nam aluo utiles sunt, sed maxime ius ear salsas tellinas ustas adeo urentem efficere cinerem aiunt, ut is cum cedria euulsos radicitus & palpebris pilos instillatus in locum renasci prohibeat.* Aetius Serm. 2. Cap. 192. *Romæ plurimum uenales circunferuntur, quòd ab arena optime repurgentur.* Inter Conchiliorũ *genera ostrea referuntur, quæ (ut obiter hoc dicamus) peculiariter contra uenena marini leporis aduersantur: Molliunt aluum leniter, eadem cocta cum mulso, tenasmo qui sine exulceratione fit, liberant: Vesicarum ulcera quoque repurgant in conchis suis uti clausa ueniunt, mire destillationibus prosunt. Testæ ostreorum cinis uuam sedat, & tonsillas admixto melle eodem modo parotidas, panos, mammarum duritias, capitum ulcera ex aqua, cutemquê mulierum extendit: inspergitur etiam ambustis, & dentifricio placet. Pruritibus quoque, & eruptionibus pituitæ ex aceto medetur: Crudæ si tundantur, strumas sanant, & perniones pedum.* Dios. & ibi Matthiol. Lib. 2. Cap. 6. Gal. 11 Simpl. medic. Ply. Lib. 32. Cap. 6.

NOCENDI. *Nam ob arenulas quibus scatent, renibus officiunt, & nephritim generant.* Amat. Lusit. in 2. Dios. enar. 6.

TRITICVM VIM H.

Triticeus panis læta ex regione salubris,
Hic si legitime conficiatur erit.

CALEFACIENDI. Nam calidum est in primo ordine: in paßiuis autem qualitatibus temperatum. Gal.8.Simpl.medic. Paul.Lib.7.

DIGERENDI. Nam ex tritico & pane cataplasmata digerunt. Gal.ibid.

CONCOQVENDI. Nam triticum mansum furunculos concoquit, & panes ex ipso confecti concoquunt; & ex triticea farina aqua & oleo concoquens cataplasma conficitur. Gal.3.de nat.facul.Cap.7. 2.ad Glauc.Cap.7. de consuet.Cap.2.

SVPPVRANDI. Nam triticea farina plurimum suppurat, & panis similiter facit pus: nam eius mica maturat: & panis tritus cum apio uel ocimo crustas optime disrumpit. Farina item cum caricarum decocto & oleo mire suppuratoria est, & putrefacit. Gal.2.ad Glauc. Cap.7.8.9. de puer.epil. Cap.4. 3.de comp.med. secund.loc.Cap.2. 6.meth.medic.Cap.2.

ABSTERGENDI. Nam eius farina lentigines ex oximelite tollit; Furfures autem in acri aceto elixi, & calentes illiti, lepras pellunt: farina illinitur ex aceto & melle lentigini. Dios. Lib.2.Cap.78. Ply. Lib.22.Cap.25.

IVVANDI. Nam facile transit in carnem, firmißimi est alimenti, nutritque ualide corpus. Si concoquatur, & robur insigne conciliat: Semen est frequentißimum & utilißimum ex eo enim omnium optimus fit panis: eligi autem debet fractu contumax, densum, graue, colore aureum, lucidum, læue, tritum mensium, maturum, Mundum, pinguiq; terra ortum. Farina mediæ ætatis eligenda est: ex ea panis genera quinque parantur: omnium purißimus siligineus est, & siligine parte subtiliori farinæ tritici factæ: secundus similagineus dicitur, ex similagine paratus farina tritici non tam perfecte pura: Tertius cum ipsis furfuribus coctus, & conflatus ex toto tritico dicitur. Quartus sordidus & multis furfuribus confectus. Quintus totus est furfuraceus canibus tantum deseruiens. Dios.Lib.2.Cap.78. Gal.de bon.& ui. Cap.5. 1.al.Cap.2.25.de præcogn.Cap.10.2.Simpl.medic.Cap.14. de rem.par.fac. Cap.1. Aet.Serm.1. Matth.in Dios. Oribas.Lib.1.collecto.medicin Cap.2.

NOCENDI. Nam lentum & obstruens est, & ex ipso bellaria omnia sine fermento quoties casei etiam aliquid adijcitur, craßi ualde succi sunt: triticum uero elixum pondus in uentriculo facit, ac si esset lutum non coctum flatus parit, capitis dolorem inducit, & oculorũ caligationes: Panis similagineus est difficilis coctionis ac obstruit: Panis non est edendus calidus, quia æstuosus est, & capiti & uentriculo nocet, nec multorum dierum coctus, quia natiuam caliditatem humiditati naturali cõiunctam deperditam poßidet. Vt autem panis optimus sit, opus est ut farinæ opti-

mæ

mæ associetur aquæ, eaque subigenda quæ fluxerit è laudatissimis fontibus, pellucida sit, nō palustris, neq; coenum aut limū redoleat: panisq; sit bene fermentatus, bene subactus, optimæ pinsus, mediocriter salitus, ac iuste coctus. Panis dissectus & aqua lotus optimi est nutrimenti, & non calefacit. Panes caseo aut butyro, lacteuè confecti difficilis coctionis existant, & obstructiones inhepate pariunt: cum oleo uero parati sulphuri similantur: Agimus panis maxime obstruit, & multum lædit. Melle tamen hæc comesta ab noxiis suis temperantur, remittunturquè. Panes omnium deterrimi subcineritij. Dios. & ibi. Matth. Lib.2. Cap.78. Gal.8. Simpl. medic. 1. al. Cap.27. de bon. & ui. suc. Cap.4. 5. de. San. tu. Cap.7. Cap.4. de rat. uic. acut. Aet. Serm.1. Ply. Lib.22 Cap.25.

TVBERA V. H.

Tubera bilem atram generant, ægrequê coquuntur.
Et capiti & neruis uentriculoquê nocent.

REFRIGERANDI. Nam frigidæ naturæ sunt. Actuar. Lib.2. de act. Cap.6. Ras.3. Alm. Cap.18.

HVMECTANDI. Nam humidæ sunt naturæ. Actuar. Lib.2. de act. Cap.6.

IVVANDI. Nam cruda & cocta eduntur, per quam suauia enim carnis odorē æmulantur, succum utilem pariunt, nam succo quidem crasso prædita sunt, non tamen malo: Nullo euidenti sapore placent, ad excipiendam tamen condimentorum gratiā non respuenda: Cumque succum generent crassum & crudum, calido siccoquè temperamento conueniunt. Dios. Lib.2. Cap.139. Gal.2 al. Cap.68. De bon. & uit. suc. Cap.4. Auic. Lib.2. tr.2. Cap.698. Actuar. Lib.2. de act. Cap.6.

NOCENDI. Nam atrabilia res, & grassos gignunt humores, magis quam cætera ciborum genera: Neruis & stomacho sunt inimica: quo fit ut frequenter deuorata apoplexiam & paralysim concitent: ad hæc concoctu contumacia sunt. Arenosa, dentibus inimica: Inueniūtur non nulla, quæ fungorum modo strangulatus excitant: faciunt incurrere colicam, & difficultatem urinæ: Qua de causa consulto iure carnium pinguium elixanda, uel uino lota sub cineribus sunt coquenda, ac sale & pipere aspersa adhuc calida in conuiuijs post esum carnium comedenda: Tuberum Theriaca sunt uinum purum, & condientes species. Dios. ibid. Gal.2. al. Cap.58. Paul. Lib.1. Cap.77. Auic. Lib.2. tr.2. Cap.698. Ruell. Lib.2. Cap.78. Ply. Lib.19. Cap.2. & 3. Ras.3. Alm. Cap.18. Matth. & Lusit. in Dios. Lib.2. Cap.139. Oribas.2. collecto. medicin. Cap.24.

VINVM V. H.

Vinum alit, exhilarat, coquit, innatumquè calorem
Auget, at immodicum, maxima damna parit.

CALEFACIENDI. *Nam calidum eſt in ſecundo à temperatis ordine, ſed ualde antiquum in tertio quemadmodum nouum muſtum ex primo* Gal. 8. Simpl. medic. Paul. Lib 7. Aet. Serm 1.

SICCANDI. *Nam ſiccum eſt in ſecundo à temperatis exceſſu, ſed ualde antiquum in tertio quemadmodum nouum muſtum ex primo.* Gal. ibid. Paul. Aet. ibid.

APERIENDI. *Nam obſtructiones aperit, auſterum autem adſtringit, & ipſo utimur ad alui fluxiones ſiſtendas.* Gal. Cap 6. aph. 31. 5. de comp. medic. ſecund. loc. Cap. 7. 5. meth. medic. Cap. 5.

CIENDI. *Nam per urinas ſerum ſanguinis expurgat, & bilem euacuat. Sudoremquè prouocat & urinam.* Gal 5. de San. tu. Cap. 5. 4. de San. tu. Cap. 4. Paul. Lib. 1. Cap. 95.

EXTENVANDI. *Nam pituitoſum humorem extenuat.* Paul Lib. 1. Cap. 95.

LENIENDI. *Nam uinum dulce lenit.* Gal. 3. de comp. medic. ſecund. loc. Cap. 1.

CONCOQVENDI. *Nam concoquit ſemicrudos humores, & digerit.* Gal. 4. de San. tu. Cap. 4. 5. de comp. medic. ſecund. loc. Cap. 7.

IVVANDI. *Nam ſi in eius uſu temperantia adhibeatur, tum ad alendum, tum etiam ad roborandum corpus omnium efficaciſſimum habetur: Quandoquidem puriſſimum generat ſanguinem, ociſſime in alimentum uertitur, concoctionem adiuuat: Animum addit, cerebrũ purgat, intellectum excitat, cor exhilarat, ſpiritus uiuificat, innatum calorem auget, flatus diſcutit, conualeſcentes impinguat, cibi appetentiam inuitat, uentriculo auxiliatur, ſanguinem turbidum clarificat, alimentum in uniuerſum corpus defert, coloris gratiam inducit, inteſtina corroborat, omne in corpore excrementum deijcit: modice dilutum ſomnum conciliat, ſitim extinguit, ſputa mouet, iuuat affectus longos thoracis & pulmonis ſine febre, ſanat oculorũ dolores, & ſenibus aptiſſimum eſt: etatem habens mediocrem optimum, & quod conſiſtit in dolij medio: odore, ſapore, colore, & fama dignoſcitur uino aluntur uires, ſanguis colosquè hominum: contra cicutam & alia frigida uenena meracum ac potens præſtantiſſimũ eſt antidotum. Non minus uinum uinoſum, ſiue poliphorum poſt eſum melonum, & fructuum frigidorum bibi debet: Vina nauigatione meliora fiunt:* Paul Lib. 7. & lib. 1. 95. Gal. 5. de San. tu. Cap. 5. Cap. 7. aph. 46. de dign. Cap. 6. 3. al. Cap. 40. de Sal. diæ. Cap. 31. 6. m. m. Cap. 4. Cap. 2. aph. 11. 18. Cap. 3. de r. u. ac. num. 4. Aet. Serm. 1. Ply Lib. 14. Cap. 18. & Lib. 23. Cap. 1. Dios. & ibi Matth. & Luſit. Lib. 5. Cap. 7. Ruell. Lib. 1. Cap. 143.

NOCENDI. Nam intemperate haustum ex accidenti totum corpus refrigerat; Cerebro, spinali medullæ ac neruis inde exorientibus officit: & ex eo temporis tractu maximi ac perniciosi morbi concitantur, nempe apoplexia epilepsia, paralisis, tremor, stupor, ephialtes, catalepsis, couulsio uertigo articulorum contractio; lethargus, phrenitis destillatio, surditas, cæcitas, & oris labiorumque distentio, & bonos corrumpit mores si modus absit, ac sine ratione sumatur: desipientiam facit, ad iram & libidines homines precipites reddit: memoriam dissipat, sensus omnes perturbat, assiduos morbos parit, & repentinas mortes affert. Pueris alienissimum damnatur febrientibus, & quibus aliquid intus adfectum lacessitumuè sit. Vina nimis uetusta, & nimis retentia uitanda: uina crassa & noua ægre concoquuntur. Vinum sit mundum, purum, clarum, odoratum, & sapore iucundum, nam contrariũ sanguinem corrumpit: Innocens uinum sano si delutum & modicum sumatur: non nisi inter cibos dari debet, uiro facilius quam foeminæ, seni quam iuueni, iuueni quam puero, hyeme quam æstate, assuetis potiusquè expertibus. Cauendum est ne in ardoribus æstatis uinum niue aut glacie, aut gelidissima aqua perfrigeratum hauriatur, quod cerebro, neruis, pectori, pulmoni, uentriculo, intestinis, spleni, iecinori, renibus, uesicæ utero, dentibusq; maxime noceat. Aqua post uinum bibenda ne caput tentet. Dios. Gal. Paul. Aet. Ply. Ibidem. & Gal in 6. de morb. uulg. Cap. 6. num. 5. de bon. & ui. suc. Cap. 11. Cap. 5. aph. 5. 1. de San. tu. Cap. 11. Cap. 1. de rat. uic. ac. Aet. Serm. 2. Cap. 255.

VVA V. H.

Vua recens aluum stomachum quoque turbat & inflat,
Pendula si fuerit, tunc nocet illa minus.

CALEFACIENDI. Nam maturæ calidæ sunt in primo gradu; uuæ tamen immaturæ & acerbæ frigidæ sunt; Dulces habent succum calidum, & uinosæ calorem nimium possident. Gal. 4. Simpl. medic. Cap 7. 2. al. Cap. 9. de diff. cont Sim. Seth. Actuar. 3. meth. Cap. 18.

HVMECTANDI. Nam maturæ humidæ sunt in primo gradu. Sim. Seth.. Gal. de diss. cont.

SVEDVCENDI. Nam dulces subducunt aluum, & maxime si sint humidæ, & humore roscido madefactæ: Quæ uero magis nutriunt minus subducunt & econuerso. Gal ibid. In uiuaceis, & ollis seruatæ aluum sistunt, & conueniunt sanguinẽ excreantibus. Dios. Lib. 5. Cap. 3. Gal. ibid.

IVVANDI. Nam magis nutriunt omnibus fugacibus, sunt concoctu faciles, uelociter subsidunt; habentquè minimum praui succi, quæ decerptæ diu pependerunt utiles sunt stomacho, egrisquè, atque cibi excitant auiditatem: in uinaceis, & ollis ser

uatæ ori & stomacho gratæ sunt; inter fructus autumnales obtinent principatum. Quare illis affluenter uescendum: Tusci uua alba utilior, utilis & arterie & renibus, carbunculis, & articularibus morbis trita sine nucleis imponitur cum ruta, sed fouere ante uino ulcera conuenit: testium inflammationi cum farina fabali aut coriã dro medetur. Gal. 2. al. Cap. 9. de bon. & ui. suc. Cap. 1. Aet. Serm 1. Dios. Lib. 5. Cap. 3.

NOCENDI. Nam recentes aluum turbant, & stomachum inflant: innocentiores quæ decerptæ diu pependere, ideo quòd in eis copia humoris exaruit: in uinaceis & ollis seruatæ uesicam & caput tentant: Sapa aut passo conditæ stomachum magis infestant, sunt uuæ inter fructus horceos minus noxij, tamen cum moderatione sumendæ: nam grauiter lædunt si quando hæserint, non enim conficiuntur retentæ in uentriculo, & crudum succum faciunt: Vinosis uuis utimur cum temporis spatio multam suam humiditatem exuerint, ac calor earum nimius in halitum abierit: Austeræ noxiæ coctioni in uentriculo, distributioni, & nutritioni. Acerbarum & acidarum usus uitandus: Dulces calidiore succo sentiuntur, ideo sitim stimulant; Nutrimentum ab uuis acquisitum facile euanescit, ut apparet in pinguibus uinearum custodibus. Omnium tutissimus usus est, quando carnosa fuerint, & maturæ, & mediocriter quis ipsas assumat. Conuenit cum eduntur membrana & nucleos expuere, quod difficulter conficiantur. Oportet autem non solum uuas, sed etiam omnes fructus molli cortice præditos humidos, ante reliquos cibos apponere. Dios. Lib. 5. Cap 3. Gal. 2. de al. facul. Cap. 9. de bon. & ui. suc. Cap. 1. Paul. Lib. 1. Cap. 81. Aet. Serm. 1. Actuar. Lib. 3. Meth. Cap. 18. Sim. Seth. Haly 5. Theor. Cap. 19.

VVAE PASSAE V. H.

Sunt uuæ passæ stomacho, iecoriquè salubres,
Subducunt aluum, pulmo iuuatur eis.

CALEFACIENDI. Nam calidæ sunt. Auer. 5. coll.

HVMECTANDI. Nam humidæ sunt. Auer. 5. coll.

DETERGENDI. Nam dulcibus uis quædam semper inest mediocriter detergẽdi. Gal. 2. de alim facul. Cap. 10.

SVBDVCENDI. Nam quæ sine uinaceis sunt ieiuno stomacho sumptæ prius aqua uel uino mersæ trium unciarum pondere aluum mouent, & purgant, nisi temporis tractu succi partem amiserint: & ad aluum emolliendam aptiores damascenæ (zizibum officinæ uocent) censentur: Facultate omnino adstringente sunt, quæ cum suis uinaceis manduntur, quare à cibo edi debent, nam stomachum roborant, & aluum subducunt, ut de coctoneis & piris, austerisquè fructibus traditur in dysen

teria

teria eduntur per se cum nucleis: Austeræ uentrem constipant, his multo magis acerbæ: Dulces mediam obtinent constitutionem, albæ sunt adstringentiores. Dios. & ibi Matth. Lusit. Lib. 5. Cap. 4. Gal. 2 al. Cap. 10. 8. de comp. med. secūd. loc. Cap. 7.

CONCOQVENDI. Nam uim concoctoriam crudorum humorum possident, & uim coercendi maligna. Gal. 8 de comp. medic. secund. loc Cap 7.

EXTRAHENDI. Nam mobiles ungues illitæ celerius extrahunt. Dios ibid.

IVVANDI. Nam stomachum roborant, uuis ualentius nutriunt, exiguas mordicationes quæ os uentriculi infestant, obtundunt: Alimentum ex ipsis tale qualitate in corpus distribuitur, qualis ipsarum fuerit natura, dulce ex dulcibus, austerū ex austeris mixtum ex ijs quæ sunt qualitatis utriusque particeps: Quantitate uero copiosius ex pinguibus, & dulcibus, parcius ex austeris & macris. Eduntur in dysenteria per se cum nucleis: Testium inflammationes sedant illitæ cum lomento fabarum & cumini farina: Fauos epinyctidas carbunculos enatas in articulis putredines, & gangrænas sine nucleis trita, & cum ruta imposita sanat, podagræ conuenienter cum panacis succu illinuntur. Quæ uiuaceis carent, siue hoc natum uel arte contingat mirifice leniunt; Quamobrem pectoris angustiæ, tussi, exasperatis faucibus, & renum uesicæquè uitijs maxime conueniunt, ad iecinoris affectus specifica quadam seu à tota substantia ualent, modo à granis, & seminibus suis exacinatis patiens comedat. Præstant pingues, & tenui cortice præditæ. Dios. & ibi Matth. Lib. 5. Cap. 4. Gal. 2. al. Cap. 10. de att. uic. Cap. 18. & 7. de comp. medic. secund, loc. Cap. 1. 2. 7. Aet. Serm. 1. Ply. Lib 20. Lib. 23. Cap. 1

NOCENDI. Nam putredini sunt obnoxiæ, ardorem faciunt; ponticæ parum nutriunt, eorum semina siue interna grana pectus constringunt, & obstructiones parant: Qua de causa ad thoracis morbos, & iecinoris exacinantur. Cum amygdalis esitatæ meliores redduntur. Dios. & ibi Matth. & Lusit. Lib. 5. Cap 4 Gal. 8. de comp. med. secund. loc. Cap. 7. Lib. 7 de att. uic. Cap. 10. de simpl. medic. Aet. Serm. 1. Simph. Camp. Lib. 3. p. 4. Cap. 30.

ZIZIPHA V. H.

Serica bacca rubens thoraci & renibus affert.
Præsidium, nutrit, concoquiturquè parum.

REFRIGERANDI. Nam frigida sunt in primo à temperatis excessu. Auic. Lib 2.tr.2.Cap.366.

HVMECTANDI. Nam licet sint equales in siccitate, & humiditate, sunt tamen ad humiditatem modicum declinantes. Auic.Lib.2.tr.2.Cap.366.

LENIENDI. Nam eorum decoctum tußim, & spirandi lenit difficultatem. Auic.ibid. Aet.Ser. Act.5.meth.Cap.2.

IVVANDI. Nam pectori, renibus, & uesice prosunt: Vomitionem acri concitatam humore sedant: Eorum syrupus pro spissando bilioso sanguine: ac densanda subtiliori materia ad pectus descendente maxime laudatur. Veluti pomula ipsa in decocto quod aiunt, pectorali. Sanguinis enim acrimoniam edomant, & serosum illius humorem eliciunt. Dios.& ibi Matth.& Lusit.Lib.1.Cap.137.156. Actuar.5.meth.Cap.2.Aet. Auic.Lib.2.tr.2. Cap.366. Ply. Lib.15.Cap.14.

NOCENDI. Nam parui succi poma, nec concoctioni, nec stomacho facilia; insolentibus & effrenatis pueris & mulieribus cibi grata tantum expetuntur; exiguũ præbent alimentum, sed probum succum creant. Verum ægre coquuntur, & lienem lædunt; eorum decoctum salubrius propinatur: Sanguinem crassum reddunt. Quare falluntur ij, qui ziziphis sanguinem expurgari, & abstergi contendunt, quique ea ijs commiscent medicamentis, quæ pectoris affectibus frigiditate obortis parari solent, ut recentiorum non nulli qui ziziphis nulla eorum habita ratione ad quoduis pectoris uitium indifferenter utuntur, & plerunque cum maximo ægrotantium discrimine. Aui Lib.2.tr.2.Cap.366. Dios.ibi Matth.& Lusit.Lib.1.Cap.137. 156. Gal.2.al.Cap.32. Ruell.Lib.1.Cap.ultimo. Isac:in part.diæ.

ZVCCARVM. V. H.

Thoraci & stomacho cannarum mella iuuamen
Renibus, atque aluo, luminibusquè ferunt.

CALEFACIENDI. *Nam calidum est ordine primo. Aqua autem dilutum refrigerat, sibique algentem aquæ naturam adsciscit: uetustius calidius est, & quanto albidius redditur, tanto magis caliditatis metas fugit.* Auic.Lib.2.tr.2.Cap.757. Ruell.Lib 3.Cap.22. Lusit.in 2.Dios.enar.77.

HVMECTANDI. *Nam humidũ est abscessu primo, sed antiquũ declinat ad siccitatẽ in primo: & quãto magis antiquatur, tanto magis exiccatur.* Auic.& Ruell.ibid.

DIGERENDI. *Nam sacchar digerendi, ut mel obtinet facult.* Gal.7.Simpl.med.

DETERGENDI. *Nam zuccharum detergit.* Galenus 7. Simpl. medic. 8. meth.medic.Cap.4.

DISCVTIENDI. *Nam oculorũ caligines illitu discutit.* Dios.Lib.2.Cap.75.

APERIENDI. *Nam aperit obstructiones.* Aui.Lib.2.tr.2.Cap.757.

LENIENDI. *Nam lenit pectus, & ipsius remouet asperitatem, uerum ad hoc præstantius saccharum candidum, quod in fictilibus ubi uiolaceum iulapium asseruatur, æstate concreuit, eo quòd uiolarum diluti facultate humectet, Leniatquè magis.* Auic.ibid. Matth.in 2. Dios.Cap.75.

IVVANDI. *Nam ad multos uenit usus, ganeæ præsertim: quia stomacho pergratum sit, aluo utile, & idoneum pectori: instrumentumquè habetur uitæ nitidioris, nullumquè magnificũ epulum, iam ne quotidianus quidem uictus sine saccharo placet, nulla non forma introferri solitum conuiuis, & ad principia eorum, & ad secundas quoquè mensas, unde natum sit adagium nullum ferculum corrumpi saccharo: Ventrem ad excretionem stimulat, neque sitim inuitat, neque stomachum morsu lacescit: Pecctori, uexatæ uesicæ, renibusquè prodest: lapides conterit in rene defixos: unguibus ex casu reuulsis, & uitio quod paronichion dicitur, affectis sacchar tritum, & in puluisculum redactum ac inspersum succurrit: & cum oleo amigdalino colicæ confert: Præfertur uetus recenti, quamuis magis partium tenuitate pelleat: inter res febribus ut exceßiue non calidas adnumeratur, olfactu uel suffitu defluxiones quæ à capite decumbunt arcet.* Dios. Lib.2.Cap.75. Gal.7.Simpl.medic. 8.meth.Cap. 4. de renum aff. dign. Cap.8. de rem. par. facul. Cap. 89. Paul. Lib.7. Auic. Lib 2.tr 2.Cap.757.

NOCENDI. *Nam multis obest, si quidem in calidiori uentre in bilem uertitur & prorsus transire compertum est. Pueris certe uermes & tineas creat nimis uetustus capitis dolores creat, & foeculentum sanguinem generat. Dissoluit naturam & sitim infert: Remouetur nocumentum si cum granatis muzis edatur.* Auic.ibid. Ruell.Lib.3.Cap.22. Isac.in part.diæt. Sauon.tr.2.Cap.3.rubr.24.

SOLI DEO HONOR, LAVS, ET GLORIA.

CAPITVM INDEX.

Finis primæ Centuriæ.

SIMPLICIVM QVORVM IN HAC CENTVRIA *mentio fit Facultates ſecundum locos.*

CÁPITIS.

Ad capitis dolorem ex frigiditate genitum.

Oleum amygdalinum illitum per ſe.
Amygdalæ amaræ cum aceto uel Roſaceo fronti uel temporibus illitæ.
Menta fronti per ſe illita.
Serpillum coctum adiecto roſaceo acetoquè madefactum & appoſitum.
Aniſum potum per ſe.

Ad Capitis dolo. ex calid.

Portulaca per ſe impoſita.

Ad expurgandum caput.

Braßicæ, Betæ, Cepæ } Succus naribus infuſus.
Vua paſſa cum pipere manduc.

Capitis dolores excitant.

Oliuæ flauæ, Palmulæ, Iuglandes nuces. } in cibis acceptæ.

Ad ueternoſos.

Cepa decocta, & in cibum ſumpta.

Ad ſomnum conciliandum.

Lactuca in cibum ſumpta.

Somnia terribilia, tumultuoſaquè repreſentant.

Porrum deuoratum.
Fabe, Lentes } in cibum acceptæ.

Ad ſternutamenta cienda.

Piper tritum, & naribus admotum.

CAPITIS.

Ad comitiales.

Ficus ſiccæ in cibum acceptæ.
Piper diu manſum.
Acetum mulſum potum.

Ad cerebri inflammationes quas Syriaſin uocant.

Cucurbitæ, Peponis } ramẽta ſincipiti appoſita.
Acetum fronti illitum.

Ad Melancholiam.

Ocimi ſemen potum.

Ad crapulam & ebrietatem arcendam.

Crocum ex paſſo præſumptum.
Braßica ſummo cibo ſumpta.

Ad capitis defluxiones.

Cinamomum potum.
Nuces auellanæ toſtæ, & cum exiguo piperis potæ.

Ad Capitis manantia ulcera.

Fici lacteus ſuccus cũ polẽta appoſitus.
Cicer adhibitum.
Allij cinis ex melle inunctus.
Bulbi cum cremato nitro adhibitus.

NERVORVM.

Ad Conuulſionem.

Serpillum potum.
Capparis ſemen potum.
Capparis cortex pariter hauſtus.

Ad resolutionem.

Capparis semen & cortex potus.

Ad tremorem.

Braßica in cibo sumpta.

Ad fluxiones.

Farina tritici cum apollinaris herbæ succo apposita.

Farina hordei ex aceto adhibita.

Ad neruorum dolores.

Ad neruorum uulnera.

Cochleæ terrestres tusæ & impositæ.

Butyrum illitum.

Ad neruorum craßitiem.

OCVLORVM.

Ad palpebrarum pilorum defluuiũ.

Coclheæ terrestres acu traijciuntur, ut effluat humor, quo postea palpebræ illinuntur.

Ad palpebrarum oculorum scabritiem.

Omphacium impositum.

Ad palpebrarum inflammationem.

Ad palpebrarum scabiem.

Cæpæ succus cum spodio impositus.

Fici lac inunctum.

Ad oculorum albugines.

Cochlearum putaminum cinis melle exceptus linitus.

Ceparum succus perfusus.

Gingiber illitus.

Sal impositum.

Ad oculorum cicatrices delendas.

Cochlearum terrestrium cinis cum melle impositus.

Ad oculorum nubeculas.

Cinnamomum impositum.

Cerasi gummi inditum.

Pruni arboris gummi illitum

Foeniculi succus infusus

Lactucæ sylu, lacteus succus illitus.

Ceparum succus inditus.

Omphacium instillatum.

Ad oculoruum ictus, & recentia uulnera.

Ad oculorum ulcera.

Omphacium illitum.

Ad oculorum sinus, & ægilopas.

Iuglandium ueterum nuclei triti & illiti.

Ad procidentes oculos & uuas.

Fabarum farina cum rosis, ouorum albo, & thure emplastri modo impositis.

Ad oculorum inflammationes.

Caseus illitus.

Portulaca illita cum polenta.

Intybus per se & cum polenta adhibita.

Cucurbitæ ramenta imposita.

Ad oculorum dolores.

Oui uitellus tostus addito rosaceo, & croco illitus,

Ocimi succus impositus.

Ad lusciosos.

Fabarũ farina uino macerata, & illita.

Ceparum succus instillatus.

Ad oculorum hebetudinem.

Braßica in cibo sumpta.

Thymbra obsonijs addita.

Ad oculorum fluxiones cohiben.

Crocum illitum cum humano lacte

Butyri fuligo illita.

Fabæ sine cortice commanducatæ, & fronti impositæ.

Ad oculorum lippitudines.

Portulaca, & eius succus impositus.

AVRIVM.

Ad aurium dolores.

Malorum acidorum punicorum succus cum melle coctus impositus.
Mel cum trito fossili sale infusum.
Betæ succus inditus.
Cucurbitæ ramentorum succus cum rosaceo infusus.
Porri succus cum aceto thure, & lacte inunctus.
Mentæ succus inditus.
Sal cum aceto iniectum.

Ad aurium internas inflammatio.

Crocum iniectum.

Ad aurium parotidas.

Fabarum farina cum melle & foenogreco illita.

Ad purulentas aures.

Cepæ succus impositus.
Anisum cum rosaceo instillatum.
Omphacium cum melle impositum.

Ad contusas aures.

Bulbi cum polenta impositi.

Ad exulceratas aures.

Ad aurium surditatem.

Cepe succus instillatus.

Ad aurium trunitus, & incertos sonos.

Ficus siccæ tritæ cum sinapi & liquore aliquo exceptæ iniectæ.
Mel cum trito fossile sale inditus.
Porri succus cum thure, aceto, lacteque instillatus.
Cepe succus impositus.
Acetum calidum suffitum per traiectoriũ instrumentum.

Ad uermiculosas aures.

Capparis radicis succus iniectus.
Calaminthæ succus instillatus.
Acetum infusum.

NARIVM.

Ad sanguinis narium fluxiones.

Coclheæ terrestres cum suo putamine trite, & impositæ.
Porri seminis succus cum thuris polline instillatus.
Cuminum ex aceto impositum.
Acetum tum potum, tum iniectum.

Ad trahen. per nares.

Cepæ succus infusus.

Ad cienda sternutamenta.

Ocimi semen, aut succus naribus infusus.

ORIS ET LINGVAE.

Ad erodentia ulcera.

Capparis in aceto decocta in collutione.
Sal cum polenta tostum & iniectum.

Ad oris halitum commendandum.

Anisum mansum.
Nux myristica commansa.

Ad linguæ scabritiem.

Menta confricata.

Linguæ paralisim, & in ore uesicas inducentia

Nux iuglans commansa.

DENTIVM.

Ad dentes purgandos.

Cinis cochlearum terrestrium dentibus affricatus.

Ad dentium dolorem.

Olei amurca in cupo uase ad mellis crassitudinem decocta ex aceto: aut uino, aut

mulsa colluta.

Mori corticis decoctum, aut pariter foliorum in collutionibus inditum.

Ficulneum lac lana exceptum, & cauis dentibus inditum.

Ranarum ex aqua & aceto decoctum in collutionibus.

Asparagi radicum decoctum in ore contentum.

Allij tedæ thurisquè simul decoctum in ore contentum.

Capparis semen decoctum in collutionibus: idem præstat capparis cortex, & radix commanducata.

Acetum calefactum in collutionibus.

Ad firmandos commotos dentes.

Colymbadum muria in collutionibus adhibita.

Ad dentium torporem.

Portulaca manducata.

Ad fluidas gingiuas.

Colymbadum muria in ore contenta.

Prunorum foliorum decoctum in ore retentum.

Omphacium cum melle impositum.

Acetum in collutionibus adhibitum.

Sal tostum cum polenta impositum.

Ad erosas putridasquè gingiuas.

Acetum in collutionibus.

GVTTVRIS & GVLAE.

Ad Anginam.

Mori fructus succus in æreo uase decoctus insolatusquè cum mellis exiguo illitus.

Acetum gargarizatum.

Mel gargarizatum.

Cepæ succus inunctus.

Piper cum melle inunctum.

Sal ex melle oleo & aceto illitum.

Ad gutturis inflammationes.

Lac gargarizatum.

Ranæ oleo elixæ ceruici, & colli abscessibus illitæ.

Mel illitum.

Sal tostum cum melle inunctum

Acetum gargarizatum.

Ficuum siccarum decoctũ gargarizatũ.

Ad columellam reprimendam.

Pruni foliorum ex uino decoctum gargarizatum.

Omphacium impositum.

Acetum gargarizatum.

Ad gulæ destillationes.

Acetum gargarizatum.

Omphacium impositum.

Ad faucium & tracheæ arteriæ asperitates.

Ptissana hordeacea gargarizata.

Lac gargarizatum.

PECTORIS & PVLMONIS.

Ad cruenta sputa, & sanguinis eiectiones.

Ouum tepidum bibitum.

Serpilli succus drachmarum duarum pōdere cum aceto potus.

Portulaca ad summum cocta deuorata.

Porri semen drachmarum duarum pondere cum paribus mirthi baccis.

Saluiæ succus in orbiculos concretus cũ melle sumptus.

Mentæ succus cum aceto potus.

Omphacium parce potum.

Ad phtisim seu tabem.

Pineæ nuces per se aut ex melle sumptæ

Ficus siccæ cum hisopo feruefactæ & potæ.

Lac sumptum.

Porrum cum melle decoctum.

Ad pulmonis abscessus.

Ad suspiriosos.
Ficus siccæ cum hissopo decoctæ et potæ
Aqua mulsa pota.
Satureia cum melle decocta pota.
Ad tussim.
Cinnamomum deuoratum uel potum.
Cerasi gummi cum uino diluto exhausta
Nuces auellanæ cum aqua mulsa potæ.
Ficus siccæ. deuoratæ.
Mel deglutitum
Fabæ. in cibis acceptæ.
Raphanus elixus manducatus.
Allium crudum & coctum assumptum in uetere tussi.
Piper delinctu acceptum.
Aqua mulsa pota.
Vuæ passæ albæ caro exiccata deuorata
Ad uocem expediendam.
Brassica commanducata.
Ad pulmonis inflammat.
Ocimum cum polenta illitum.
Aqua mulsa hausta.
Ad asthmaticos.
Ficus siccæ cum hyssopo feruefactæ, & potæ.
Aqua mulsa pota.
Satureia cum melle hausta.
Cuminum cum posca sumptum.
Ad renitentes excreationes.
Raphanus elixus deuoratus.
Porrum cum ptisana coctum esui datũ.
Bulbi breui coctura elixi, & in cibum sumpti.
Ad omnia pectoris incommoda.
Porrum cum melle decoctum comestum.
Thymbra melle mista ĩ delinctu sumpta.

CORDIS.

Ad defectum animi.
Cucummis olfactus.
Buglossum potum.
Melissa comesta.

Ad Cardiacam.
Intybus per se & cum polenta illita

MAMMARUM.

Ad mammarum inflammationes.
Nuces iuglandes cum ruta, & exiguo melle impositæ.
Fabarum lomentum per se, & polenta illitum.
Ad lac in mammis concretum.
Fabarum lomentum per se & cũ polenta impositus lentium farina illita.
Ad lactis ubertatem præstandam.
Ptissana hordeacea cum foeniculi semine cocta, & in cibum sumpta.
Lactuca in cibis recepta.
Ocimum deuoratum.
Eruca comesta.
Anisum potum.
Anethi aridi seminis, & comæ decoctum haustum.
Foeniculum in cibo sumptum.
Ne lac in mammis concrescat.
Menta cum polenta imposita.

VENTRICULI.

Ad uomitiones & nauseam.
Cotoneorum malorum maceratorum liquor haustus.
Palmulæ in cibo sumptæ.
Faba in posca decocta, et in cibũ sumpta
Lentis xx. grana sine cortice deuorata.
Phaselus in cibo acceptus.
Lactuca illota deuorata.
Mentæ duo tresuè rami cum acidæ punicæ succo poti.
Ad coeliacos.
Cotonea mala cruda comesta.
Mora immatura siccata, tusaquè obsonijs immista.

Faba in posca decocta & deuorata.
Aqua uel uinum in quibus ferrum extinctum fuerit pota.

Ad uomitiones ciendas.

Cochleæ uepribus inherentes deuoratæ

Ad uentriculi dolores.

Bulbi comesti.
Pineæ nuces deuoratæ.

Ad uentriculi ardores.

Portulaca cum polenta illita.
Intybus ex aceto deuorata,
Fœniculum cum frigida aqua potum.

Ad singultum.

Mente duo tresuè rami cum acidæ punice succo poti.
Aneti comæ & seminis decoctum potū.

Ad appetentiam ciendam.

Piper comestum.
Acetum in obsonijs additum.
Eruca esitata,

Ad concoctionem adiuuandam.

Eruca in cibo comesta.
Piper omne comestum.
Gingiberis usus.

Ad stomachi fluxiones.

Persici mali sicci decoctum, & bibitum.
Cotonei mali macerati liquor potus.

Iecinoris.

Ad Iecinoris obstructiones.

Amygdalæ amaræ comestæ.

Ad Regium morbum.

Cicer cum rore marino decoctum comessum.
Asparagi radicum decoctum potum, cū ficis, & ciceribus.
Rorismarini decoctum potum.

Ad hydropem.

Cinnamomum ebibitum.
Cochlearum terrestrium operimentum & caro simul contrita tumoribus hydropicorum impositum.
Cicer cum roremarino decoctum
Allium decoctum manducatum
Bulbi cum melle & trito pipere emplastri modo impositi.
Sampsuchi decocti potum
Pastinacæ erraticæ semen potum
Anisum potatum.
Ficus siccæ in uino cum polenta & absinthio decoctæ & illitæ.
Sal.

Lienis.

Ad induratos lienes.

Cotonea mala cruda cataplasmatis addita & imposita.
Braßicæ folia cum aceto deuorata.
Lupinorum farina illita.
Ad minuendos lienes.
Piperis radix illita.
Capparis semen unc. 2. pondere 40. diebus ex uino bibitum.
Aqua uel uinum in quibus chalybs, aut ferrum restinctum fuerit in potu.

Intestinorum.

Ad colicos affectus.

Amigdalæ amaræ illinctu adhibitus.
Cochleæ terrestres cum suo putamine tusæ, addita pauca myrrha & uino bibitis.
Butyrum infusum.

Ad intestinorum dolores

Nuces iuglandes cum suo putamine peruncte, & umbilico admotæ.
Ficuum cum ruta decoctum clysmatæ infusum.
Crocum in potionibus bibitum.
Melissophylli decoctū clystere infusum.
Butyrum clismatibus infusum.
Serpillum ebibitum.
Milium calefactum in sacculis adhibitū.

Piper cum lauri tenellis folijs haustum.
Sampsuchi decoctum ebibitum.
Anethi comæ & seminis decoctum.
Cumini decoctum cum oleo clystere infusum.

Ad dysentericos.

Castanearum interior tunica ebibita.
Punicorum acidorum nuclei siccati, & ebibiti, uel in deceßionibus additi.
Cotonea mala comesa cruda, uel cocta, uel eorum succus potus.
Pira tam domestica quam syluestria deuorata.
Mespila in cibum accepta.
Corni arboris baccæ edulijs, siue in defruto assumptæ.
Sorba sicca quoque sumpta.
Prunerum silu baccæ deuoratæ.
Cochleæ terrestres suis cum putaminibus ustæ esui datæ.
Asparagus altilis elixus, uel assus in cibo sumptus.
Portulaca ad summum cocta in cibis sumpta.
Melisphyllum bibitum.
Faba in posca decocta, & comesa.
Vua passa alba comesa per se cum suis nucleis.
Omphacium clyster infusum.

Ad cohiben. aluum.

Lac omne in quo igniti calculi marini ex tincti fuerint.
Caseus elixus, & ab elixatione statim se positus, moxque inassatur in cibo sumptus,
Panis triticeus siccus inueteratus come stus.
Hordeacea farina cum mirti baccis, aut siluestribus piris, aut malicorio ex uino illita.
Oriza in cibum accepta.
Lentes cum suo cortice decoctæ deuoratæ præsertim si decoquantur ex aceto cum adstringentibus alijs
Braßicæ percoctæ cibus.
Beta nigra cum sua radice, & lente decocta esui data.
Intybus in cibum accepta.
Anisum ebibitum.
Anetum haustum.
Punicorum acidorum uinum potui datũ.
Acetum cibis incoctum.
Ad ciendum, & molliendam aluum.
Persica in cibum sumpta.
Mora matura comesta.
Ficus maturæ deuoratæ.
Vellinarum ius cum sale haustum.
Lac haustum.
Caseus recens in cibo sumptus
Butyrum comestum uel bibitum
Cicer in cibo sumptum.
Beta candida, Asparagus, Lactuca, Braßica leuiter } decocta in cibis sumpta.

Ad intestinorum inflationes

Farina tritici cum hyosciami succo illita
Ocimi semen potum.
Farina hordei cum lini & foenugreci semine imposita.
Anethi comæ & seminis decoctum potũ
Cumini decoctum cum oleo clystere infusum, uel eius semen cum polenta & hydræolo maceratum & illitum.

Ad latas intestinorum tineas.

Nuces iuglandes largius esitatæ.
Mali punicæ radicum decoctum bibitũ.
Mori radicis corticum decoctum haustũ
Allium potui datum uel comestum.

Ad teretes intestinorum tineas.

Lupinorum farina cum melle lincta, uel cum aceto pipere & ruta pota.
Braßicæ semen potum.
Portulacæ succus potui datus præstat idem & semen.

Menta bibita.
Thymbra potui data.
Coriandrum cum passo sumptum.

Ad intestinorum ulcera.

Lac omne ignitis calculis calefactum infusum.

SEDIS

Ad sedis rimas.

Cancri fluuiat combusti cum melle cocto illiti.

Ad sedis ulcera.

Punicorum acid. succus cum melle decoctus illitus.

Ad condilomata.

Cotonea mala cruda cataplasmatis adiecta.
Oui uitellus assatus & ex rosaceo & croco illitus.
Anethi cremati seminis cinis illitus.
Crocum cataplasmatis inditum.

Ad sedis inflammationes.

Lens cum sertula campana, sicci rosis.
Cydonio malo malicorio, & rosaceo illita.

Ad procidentem sedem.

Malorum cydoniorum decoctum in desessionibus.
Acetum illitum, & potu adhibitum.

Ad tenasmos.

Lac ouillum, caprillum, bubumquè ignitis calculis calefactum, & clystere infusum.

Ad hæmorrhoidas ciendas.

Cepa confricata.

Ad hæmorrhoidum desluxiones.

Palmulæ illitæ.

Ad hæmorrhoidas sanandas.

Palmulæ illitæ.
Portulacæ ad summum cocta impósita.

Ad renum dolorem.

Vua passa alba in cibum sumptam.
Foeniculi comæ decoctum subditum.

Ad renum calculos & arenulas.

Cerasi gummi ex uino haustum.
Amygdali amaræ gummi ex passo sumptum.
Anisum potum.
Vua passa alba comesa.

Ad renum obstructiones.

VESICAE.

Ad ciendam remoratam urinam.

Cinnamomum potum.
Crocum ebibitum.
Pineæ nuces repurgate comesæ
Punicæ acidæ succus potus
Cerasi gummi haustum.
Mel haustum.
Ptisana hordeacea deuorata.
Cicerum decoctum potui datum.
Lupinorum decoctum haustum.
Raporum cauliculus elixus, & in cibũ sumptus.

VESICAE.

Raphanus comestus, & eiusdem semen potum.
Asparagi breui coctura elixi, & in cibum propinati.
Cucumeris semen potum.
Erucæ semen ebibitum.
Hortensis smilax in cibum data
Porrum comestum.
Cepa decocta in cibum sumpta.
Allium in cibum sumptum.
Capparis fructus comestus.

Saluiæ decoctum haustum.
Thymbræ decoctum bibitum.
Serpillum in potu sumptum.
Aneti seminis decoctum bibitum.
Petroselinum comestum.
Foeniculi decoctum potum.
Aqua mulsa in potum accepta.

Ad urinæ angustias.

Portulaca in cibum sumpta.
Asparagi radicum decoctum haustum.
Ocimi semen bibitum.
Petroselini semen potum.
Cepæ cum asparagi radicibus decoctum in potu sumptum.
Lac omne bibitum.
Cucumeris semen ex lacte et passo haustū
Vua passa alba comesa.

Ad urinæ stillicidium.

Cepæ cum asparagi radicibus decoctum in potu sumptum.

Ad Vesice ulcera.

Lac omne bibitum.
Cucumeris semen ex lacte & passo haustum.
Vua passa alba comesa.

Ad uesice uulnera.

Butyrum infusum.

Ad uesice calculos frangen.

Cerasi arboris gummi bibitum.

VIRILIVM & PVDENDORVM.

Ad uenerem ciendā stimulandāq;.

Crocum potum.
Eruca largius in cibis comesa.
Erucæ semen haustum.
Porri semen potui datum.
Bulbus manducatus.
Allium cum coriandro tritum in cibis.
Mentæ succus potus.
Anisum potum.
Lac omne haustum.
Ad augendam genituram.
Coriandrum bibitum.

Ad uenerem inibendam.

Portulaca manducata, pudendisquē inuncta.
Lactucæ semen potum.
Aneti seminis & comæ decoctum aßidue potum.

Ad testium inflammationes

Cicer cum eruo decoctum appositum.
Faba cum uino decocta cataplasmatis ad hibita.
Sal cum origano, & fermento illitum.
Cuminum cum passa uua, Fabæque lomento, aut cera impositum.
Coriandrum cum passa uua & melle illitū

Ad genitalium pruritum.

Saluiæ decoctum ex uino illitum.

Ad eos qui natura præputio carēt.

Mel triginta diebus à balneo illitum.

Ad genitalium thymos.

Thymbra apposita.

VTERI.

Ad menses ducendos.

Cinnamomum haustum, uel ex myrrha suppositum.
Amygdalæ amare admotæ.
Cochleæ terrestres cum suo operimento tusæ, & foemineis locis admotæ.
Cepæ succus pudendis illitus.
Lupinorum decoctum cum myrrha & melle suppositum.
Raphanus in cibis sumptus.
Braßicæ decoctum bibitum.
Porrum comestum.
Allij comarum decoctum in deseßionibus additum.
Capparis cortex & semen potui datum.
Saluiæ decoctum potum.
Serpillum potui datum.
Foeniculum ex uino sumptum.
Melissophyllum decoctum in deseßionibus.

Palmulæ immaturæ manducatæ.

Punicorum acinorum nuclei siccati in sole, & obsonijs inspersi coctiue sumpti.

Cotoneorum malorum decoctum fotu adhibitum.

Porri comæ decoctum ex aqua marina & aceto in deseßionibus.

Menta fotu subdita.

Anisum haustum, præsertim ad alba profluuia.

Cuminum ex aceto impositum.

Vuarum uinaceorum decoctum haustum & fotu appositum.

Omphacium inditum.

Ad secundas pellendas.

Allij comæ decoctum potu impositum.

Thymbræ decoctum haustum.

Ad expellendum foetum.

Ciceris decoctum bibitum.

Lupinorum decoctum cũ mirrha & melle fotu adhibitum.

Piper haustum.

Thymbræ decoctum potui datum.

Ad conceptionem iuuandam

Saluiæ succus potus.

Ad foetum mortuum educendum.

Saluiæ decoctum bibitum

Ad pregnantium malacias.

Vitis uinifere foliorum, capreolorumquè succus potus.

Ad uteri inflammationes.

Butyrum recens illitum.

Ad exulceratos locos.

Lac in quò igniti calculi extincti fuerint, infusum.

Ad procidentem uterum.

Cotoneorum malorum decoctum fotu adhibitum.

Acetum fotu adhibitum.

Ad uteri dolores, & erosiones.

Portulacæ decoctum clysmate inditum.

Athethi decoctum in deseßionibus.

Ad podagram.

Cochleæ terrestres suo cum putamine tusæ imposite.

Lac humanum cum opio & cera illitum.

Hordei farina cum cotoneis malis imposita.

Lens cum polẽta decocta et emplastri modo adhibita.

Raparum decoctum fomentis additum.

Braßica cum foenogreco et aceto in cataplasmate.

Intybus per se & cum polenta illitus.

Cucurbitæ ramenta impositi.

Bulbi per se & cum melle impositus.

Vua paßa à nucleis repurgata, & cum panacis succo inuncta.

Acetum calido fotu cum sulfure adhibitũ

Sal cum aceto impositum.

Ad coxendicos affectus.

Lupinorum farina ex aceto illita.

Asparagi radicum decoctum bibitum.

Bulbi per se & cum melle impositi.

Capparis semen potum

Acetum mulsum haustum.

Ad articulorum dolores.

Braßica cum foenogreco, & aceto illita.

Melissophyllum ex sale impositum.

Acetum mulsum potum.

Ad perniones.

Ficus cremate cum cerato impositæ.

Lentes cum melliloto, siccis rosis malicorio, cidonio malò, et rosaceo adhibitæ.

Raporum decoctum fomenti modo.

Betæ decoctum impositum.

Ad pedum inflammationes ex calceorum attritu.

Cepe succus cũ adipe gallinaceo impositus

Ad pedum rimas.

Cancrorum fluuiatilium cinis cum decocto melle illitus.

Ad digitorum reduuias.

Punicorum malorum succus illitus.

Acetum illitum.
Sal impositum.

Ad paronychia.

Ad scabros ungues auferendos.

Ad mobiles ungues extrahen.
Vua passa illita.

Ad contusos ungues.
Bulbi cum polenta impositi.

Ad clauos & callos
Fermentum triticeum illitum.

EORVNDEM SIMPLICIVM FACVLTATES SECVNDVM GENERA.

FEBRIVM.

Ad Tertianas.
Portu lacæ succus haustus.

Ad Quartanas.

Ad diuturnas Febres.

Ad Hepialas.

Ad Febrium circuitus.
Piper bibitum.

Ad Ethicam.
Portulaca tum uentriculi osculo, tum hypochundrijs illita.

Ad Febrium algores.
Piper haustum.

Ad pestilentes Febres.
Pimpinella quoquo sumpta.

TVMORVM PRAETER NATVR.

Ad inflammationes.
Lupinorum farina cum polenta & aqua imposita.
Acetũ in succidis lanis aut spõgijs impo.
Triticei furfures aceto acerrimo elixi imposit.
Tritici pollen exhydrælæo uel aqua mulsa illitus.
Triticus panis ex aqua mulsa decoctus imposit.

Ad Carbunculos.
Oliuæ maturæ arefactæ illitæ emarginãt
Nucũ iuglandiũ ueterum nuclei peruncti.
Lupinorum farina ex aceto adhibita.
Braßica cum sale illita rumpit.
Porrum cum sale appositum.
Coriandrum cum passa uua ex melle imposit.
Vua passa à nuclei repurgata & cũ ruta imposit.

Ad furunculos & tubercula.
Fermentum triticeum impositum.
Sal cũ uua passa, aut suillo adipe aut melle imposit.
Mori radicis liquor illitus.

Ad Gangrenas.
Punicorum succus inunctus.
Nucum iuglandium ueterũ nuclei puncti.
Cicerũ farina cũ hordeo et melle adhibita
Lentes cũ sertula campana rosaceo siccis rosis malicorio salsa aqua illitæ.
Braßica elixa cũ melle cataplasmatis addita.
Bulbi per se & cum melle impositi
Vua passa à nucleis repurgata, & cum sale imposita.

Ad Erisipelas & sacros ignes.
Crocum illitum cum refrigerantibus.
Lentes cũ melliloto, siccis rosis, rosaceo, & malicorio adhibitæ.
Braßica utraque incisa, & cum polenta emplastri modo imposita.
Portulaca cũ polẽta cataplasmatis addita

Intybi radix & folia cũ polẽta imposita.
Coriandrum cũ pane polentauè illitum.
Acetum circumlitum.
Sal cum aceto illitum.

Ad herpetas.

Lẽtes cũ sertula cãpana, rosaceo siccis rosis, & malicorio, cataplasmatis inditæ

Ad epinictidas.

Braßica concisa cum polenta imposi.
Cucumeris folia cum melle inuncta.
Porri folia cum Rhoe obsoniorum cataplasmatis indita.
Coriandrũ cum uua passa & melle impo.
Porri folia cũ Rhoe obson. Cataplasmatis indita.
Vua passa a nucleis repurgata cum ruta imposita.

Ad strumas.

Ficus siccæ coctæ & impositæ
Hordei farina cum pice & impubis pueri urina excepta imposita.
Loliacea farina cum fimo columbino ex uino decocta adhibita.
Fabarum farina cum melle & foenogreco illita.
Lens in aceto cum meliloto decocta illita.
Lupinorum farina ex aceto inuncta.
Piper cum pice impositum.
Coriandrum cum fabæ lomento adhibit.
Melissophylli folia cum sale cataplasmatis addita.
Capparis radix et folia trita & imposita.

Ad Panos.

Ficus siccæ coctæ & illitæ.
Lupinorum farina ex aceto adhibita.
Coriandrum cũ Fabæ lomento appositũ.

Ad tumores discutiendos.

Capparis radix & cõtusa folia imposita.

Ad Tumores in uniuersum.

Braßica concisa cum polenta imposita.
Cucurbita imposita.
Cepa decocta et cũ passa uua, et ficu adh.
Menta cum polenta cataplasmatis addita

Ad meliceridas.

Vua passa à nucleis expurgata trita cum ruta imposita.

Ad tumores ex ictu.

Braßica concisa cum polenta imposita.
Cucurbita emplastri modo illita.
Thymbra illita.

Ad sugillata

Caseus recens illitus.
Fabarum farina ex melle & foenogreco.
Lupinorum farina imposita.
Allii cinis ex melle
Bulbi per se aut ex oui uitello.
Acetum ex melle.
Sal ex melle inunctum.

VVLNERVM.

Ad uulnera conglutinanda.

Palmulæ immaturæ tritæ
Ocimi semen illitum.
Corna, & eorum folia imposita.

Ad fluxum sanguinem uulnerum.

Ranarum crematarum cinis illitus.
Portulaca illita.
Saluia adhibita.

Ad sanguinis grumos.

Thymbra illita.

Ad uulnera membranarum cerebri.

Butirum admotum.

Ad uulnerum inflammationes.

Fabarum farina cataplasmatis indita.
Lupinorum farina admota.

Ad infixa uulneribus extrahen.

Cochleæ terrestres cum suo operimento tusæ & appositæ.
Bulbi cataplasmatis inditi.

Ad carnis excrescentias.

Palmarum nuclei exusti lotiquè illiti.

VLCERVM.

Ad depascentia ulcera.

Oliuæ maturæ exustæ tritæ inspersæ.
Amigdalæ amaræ ex uino inunctæ.
Bete folia imposita.
Coriandrum cum pane polẽtauè illitum.

Omphacium ex aceto inunctum.
Acetum fotu adhibitum.

Ad ulcera diuturna.

Omphacium ex aceto.

Ad sinus & fistulas.

Mel infusum.
Omphacium cum aceto.

Ad ulcera in collum indurata

Capparis radix exiccata imposita.

Ad ulcera ab erudentibus prouenien.

Lac omne præsertim bubulum illitum.

Ad sordida ulcera.

Colymbades tritæ & impositæ.
Braßica cum fenogreco & aceto illita
Capparis cortex siccatus, et adhibitus.
Mel illitum.

Ad fauos.

Peponis radix ex melle.

Ad ficos.

Bulbi in cinere tosti & impositi.

Ad ulcera caua explen.

Mel infusum.

Ad ambusta

Mori folia trita ex aceto illita.
Bebæ uirentia folia illita.
Braßicæ cinis ex oui albo.
Sal ex oleo postulas prohibet.
Oleum ex cauatis asphodeli radicibus decoctum illitum.

Lvxationvm & fractvrarvm.

Ad artuum luxationes.

Asparagi radix ex aceto, uel uino adhibita.
Bulbi cataplasmatis more adhibitus.
Sampsuchi folia cũ cera cocta imposita
Sal cum farina & melle.

Ad ruptos.

Bulbi elixi in aceto, & in cibo sumpti.
Serpillum potum.
Furfures triticei in decocto rutæ elixi admoti.

Braßicæ succus cum nitro & iride potus.
Allium ex uino sumptum, & illitum.

Venenorvm.

Ad omnium uenenorum morsum ictumquè.

Cinnamomum bibitum.
Nuces comesæ.
Mel ex calido rosaceo bibitum.
Porri succus ex melle sumptus.
Piper quoquomodo sumptum.
Anisum potum.
Cuminum ex uino haustum.
Sal cum origano melle & hissopo illitũ

Ad Viperarum morsum.

Porri succus ex meri hemina haustus.

Ad serpentium & aspidũ morsus.

Rane cum sale in oleo decoctæ comesæ.
Butyrum illitum.
Cancri fluuiatiles crudi tritiquè cum asinino lacte potui dati.
Mel ex calido rosaceo bibitum.
Melissophyllum ex uino haustum & plagæ admotum.
Serpillum tum potum, tum impositum.
Foeniculum ex uino sumptum.
Acetum calidum fotu adhibitum, ubi illatum uenenum frigidum sit, frigidum uero ubi calidum.
Sal cum origano melle & hissopo inunctum.

Ad hæmorrhoi morsum.

Allium bibitum & illitum.
Merum copiosius haustum.

Ad cærastæ morsum.

Sal cum melle illitum.

Ad Scolopendræ morsum.

Sal ex melle & aceto.
Serpillum potui datum ex uino.

Ad Cenchri morsum.

Lactucæ semen cum lini semine illitus.
Satureia cũ syluestri ruta, et serpillo, et Asphodeli radice ex uino sumpta.

Ad muris aranei morsum.

Allium cum ficulneis folijs & cimino.
Hordeacea farina ex aceto mulso illita
Punicæ dulcis acini decocti & inuncti.
Porrum contritum impositum.
Serpillum ex uino potum.
Eruca ex uino sumpta.

Ad pastinacæ marinæ, scorpionis & draconis marini morsũ.

Saluiæ decoctum potum.
Ocimum cũ polẽta & aceto impositũ.

Ad morsum mustelæ.

Eruca comesta, & post eam bibitum uinum odoriferum.

Ad calcidicæ lacertæ morsum.

Portulaca percocta.

Ad rabi li canis morsum.

Cancrorum fluuiatilium cinis in uino pota.
Mel bibitum cum rosaceo calido.
Triticum commãducatum & appositũ
Cepæ cum ruta, sale & melle mixtæ.
Allium cum uino potum, & cataplasmatis inditũ.
Foeniculi radices concisæ & ex melle impositæ.
Melissophyllum cum uino bibitum, & cataplasmatis inditum.

Ad canis non rabidi morsum.

Amygdalæ amaræ ex melle acceptæ.
Cucumeris folia imposita.
Bulbi cum melle & trito pipere, cataplasmatis more impositi.
Menta imposita.

Al phalangiorum morsum.

Mori foliorum succus ciathi mensura potus.
Asparagi radicum decoctum haustum ex uino.
Melissophyllum cum uino bibitum, & cataplasmatis more additum.
Anisi semen propinatum.

Ad crocodilorum morsum.

Sal impositum.

Ad scorpionum ictus.

Intibus more cataplasmatis.
Ocimum cum polenta impositum.
Melissop hylli folia adhibita.
Sal cum lini semine.
Farina triticea ex aceto.
Oxalidis semen uino aut aqua impositũ.
Hordei farina cum uino parata.

Ad uesparum & apum ictum.

Sal cum sepo uitulino.

Ad fugand. animalia uenenosa.

Cancri fluuiatiles crudi cum ocimo triti scorpionibus admoti.

Ad uenena omnia.

Nuces iuglandes cum ruta et ficis præsumptæ.
Butyrum haustum deficiente oleo.
Raparum semen haustum.
Braßicæ. semen antidotis impositũ.
Acetum tepidum bibitum.

Ad Buprestes & pinorum erucas ebibitas.

Caricæ comesæ, & earum decoctum ex uino.
Palmulæ in cibo sumptæ.
Pyra in cibum sumpta.

Ad epotas hyrudines.

Betæ folia cum aceto bibita.
Acetum cum sale potum.

Ad epotas cantaridas.

Orizæ decoctum clysmatæ infusum.
Nuclei pini ex uino sumpti.
Cucumeris semen contritum ex mulso, aut lacte haustum.
Lac potum.
Vinum dulce liberalius bibitum.

Ad haustam salamandram.

Nuclei pinei contriti, ex aiugæ decococto poti.
Ranarum ius in quo eringij radix fuerit cocta potum.

Ad sanguinem & lac in uentriculo concretum.

Acetũ tepidũ potũ & uomita redditũ.
Braßicæ semen ex lixiuio ficulnei cineris potum.
Hordeacea farina uentriculo & aluo ex aqua mulsa inuncta.

Ad Colchicum.

Serpillum ex lacte decoctum bibitum.
Castanearum media tunica trita, & cũ sanguinariæ succo epota.

Ad solanum sonniferum.

Aqua mulsa copiose sumpta.
Vinum dulce tepidum cũ aniso bibitũ.
Amygdalæ amaræ deuoratæ.

Ad hyoßiamum.

Mori cortex potus.
Aqua mulsa largius ebibita.
Lac omne potum.
Ficuum aridarum decoctum bibitum
Nuclei pini deuorati.
Cucumis semen ex passo potui datum.
Cichorium deuoratum.
Raphanus, Cepa, Allium } ex uino sumpta.

Ad aconitum.

Vinum in quo aurum, argentum, ferrumuè candens restinctum fuerit potũ

Ad Taxum.

Acetum calidũ potũ, et uomitu redditũ

Ad Toxicum.

Cotonea mala deuorata, aut cum pulegio & aqua bibita.

Ad opium & corniculatũ pauauer.

Mel ex rosaceo calidum bibitum.
Acetum bibitum & uomitu redditum.
Sal cum oximellite sumptum.
Piper cum castoreo ex aceto mulso, uel cum satureiæ aut origani decocto ex uino bibitum.

Ad Cicutam.

Acetum bibitum, & uomitum redditũ.
Meracum uinum largius epotum, & per interualla repetitum.
Lac potum.
Piper cũ urticæ semine ex uino haustũ.

Ad ixiam.

Acetum potum, uomitu què reiectum.
Nuces iuglandes cum tresina, castorio & ruta tritæ, ita ut singula drachmæ pondus æquẽt ex uino haustæ.

Ad Mandragoram.

Aqua mulsa copiose epota, & uomitu reddita.
Piper ex aceto tritum, & ad olfaciendatum.

Ad Coriandrum.

Merum per se se uel ex absinthio potũ
Oleum potum.
Oua in oleo exinanita, & ex muria liquefacta deuorata.
Muria epota.

Ad herbam sardoniam.

Aqua mulsa liberalius pota.
Lac affatim bibitum.
Aqua calida fotu adhibita.
Oleum fotu adhibitum.

Ad fungos malos.

Mel ex rosaceo calido potum.
Melissophylli folia cum nitro bibita.
Satureia feruefacta haustaquè.
Acetum calidum potum & uomitu reiectum.
Sal cum oximelite bibitum.
Pira comesa.
Pyrastri folia pota deuorataquè.
Oua gallinacea cũ Aristolochiæ drachma ex posca deuorata.

Ad Gypsum.

Oleum ebibitum.
Aqua mulsa bibita.
Cauiarum decoctum potum.

Ad Cerussam.

Persicorum nuclei ex ptissana poti.
Caricarum decoctum haustum.

Lac calidum bibitum.

Ad argenti ſpumam.

Piper ex uino potum.

Ad Argentum uiuum

Lac copioſe potum & uomitu reiectū.
Piper ex uino potum.

Ad Calcem Sandaracham & Auripigmentum.

Lac ex aqua mulſa potum & uomitū.
Orizæ decoctum potum.

FACVLTATES EORVM QVAE corpori decorem preſtant.

DECORIS.

Ad alopeciam.

Nucum iuglandium putamen combuſtum tritumquè & impoſitum.
Nucum auellanarū crematarum cinis ex urina adipe perunctus.
Ranarum crematarum ex liquida pice
Braßica cum ſale confricata.
Bete recentia folia cruda illita.
Cepa confricata.
Allij cinis ex melle.

Ad pilos auellendos.

Oleum in quo decocta ſit ſcolopendra inunctum.

Ad capitis furfures.

Betæ decoctum admotum.
Allij cinis ex melle.
Bulbi cum cremato nitro illiti.

Ad ruffandum capillum.

Vini fæx cremata ex lentiſcino oleo tota nocte illita.

Ad denigrandos capillos.

Mori folia trita ex aceto.
Saluiæ decoctum ſepius inſperſum.

Ad pediculos & lendes necādos.

Mel inunctum capiti.
Allium cum origani decocto potum.
Betæ decoctum perfuſum.

Ad prohiben. ſolis aduſtionem.

Albumen oui inunctum.
Lupinorum farina illita.

Peponis ſuccus cum eius ſemine & farina in ſole ſiccatus & inunctus.

Ad colorem conciliandum.

Cicer in cibis ſumptum.
Crocum manducatum.
Caricæ in cibis ſumptæ.
Ceraſi gummi illitum.

Ad Cutis uitia in facie

Cinnamomum ex melle.

Ad uaros.

Porri folia cum Rhoe obſoniorum loco admota.
Bulbi per ſe, & ex oui uitello.
Cepæ ſuccus cum ſale appoſitus.

Ad cutis faciei uitia ex ſole cōtracta.

Amygdalæ amare radicum tritarum decoctum admotum.
Bulbi cremati cum alcionio impoſiti.
Cinnamomum ex melle
Cochlearum tum caro tum teſta ſimul cremata ex melle.

Ad lentigines delendas.

Allij cinis ex melle.
Braßicæ ſemen inſperſum.
Bulbi ex melle & aceto.
Cinnamomum ex melle illitum.
Tritici farina ex aceto mulſo.

Ad totius corporis nitorem.

Butirum inunctum.
Peponis ſuccus cum eius ſemine, & farina in ſole ſiccatus ex aqua.

Ad Vitiligines.

Cochlearum terreſtrium teſtæ crematæ & illitæ.
Allij cinis ex melle.
Betæ cruda folia illita.
Cepæ ſuccus in ſole inunctus.
Fabarum farina inſperſa.
Lupinorum farina impoſita.
Piper cum nitro impoſitum.

Ad Lichenas & impetigines.

Allij cinis ex melle illitus.
Cicer cum hordeo ex melle.

Mel cum alumine decoctum illitum.
Pruni arboris gummi illitum.
Sal ex oleo & aceto perfrictum.
Triticeus recens panis ex muria.

Ad papulas.

Acetum applicatum.
Butyrum illitum.
Lac omne potum cum crudo melle admixta aqua, & exiguo sale
Lupinorum Farina admota.

Ad psoram.

Sal illitum.

Ad scabiem.

Cicer cum hordeo & melle,
Ficulneorum lac inunctum.
Lupinorum farina.

Ad lepram.

Allij cinis ex melle.
Braßica concisa cum polenta adhibita
Ficulneum lac cum polenta.
Hordei farina ex aceto acerrimo & hydrelæo.
Sal ex oleo & aceto feruefactum tritici furfures ex acerrimo aceto elixi.

Ad pruritum.

Ficulneum lac admotum cum polenta.
Sal ex oleo & aceto perfrictum.

Ad elephanti asim.

Cochlearum terrestrium cinis illitus.
Serum lactis potum.

Ad clauos callos & uerrucas

Cicerum grana tot accipe quot sunt porri, & singulis granis singulas tange uerrucas, deinde liga grana cicerum in linteolo, & post tergum proijce & hoc nõ fiat in noua luna.

Mel cum alumine decoctum.

Ad Acrochordonas, & thymos & Myrcecias.

Cicer cum hordeo & melle.
Lac ficulneum cum adipe circa adiacentem carnem illitum
Mali punici uinum adhibitum.
Sal cum seuo uitulino illitum.

Ad alarum tedia.

Cardui radix cataplasmatis more adhibita.

Ad sudorem cien.

Fici maturæ comesæ.

Ad sudorem compescen.

Bulbi comesti.

Ad extrahen. exalto.

Mel appositum.

EXPELLENTIVM VIRES.

Ad uomitum ciendum.

Ad aluum emolliendum.

Aßparagorum cauliculi in cibum accepti
Beta alba deuorata.
Braßica leuiter feruefacta comesta
Cerasia recentia commanducata
Fici maturæ deglutitæ.
Gingiber quoquomodo sumptum.
Cucurbitæ integræ feruefactæ expressus succus potus.
Lac ficulneum potum.
Lentis decorticatæ decoctum primum haustum.
Pruna in cibis sumpta.
Raphanus comestus.

CVRATIONVM MORBORVM IN HAC CENTVRIA CONTENTARVM INDEX SECVNDVM SERIEM LITERARVM.

Cu-

Bulbus	Amygdalæ amaræ	Ciminum
Capparis	Anetum	Lac
Porrum	Anisum	Hordeum
INFLATIONVM rem.	Cicer.	Triticum.

DE ALIMENTORVM RATIONE HIPPOCRATIS ET GALENI SENTENTIAE.

Abluta omnia redduntur mordacitatis expertia. C.2.aph.18.
Accessione morbi cibis abstinendum. C. 1.aph.11.
Acerbum Austerum adstringens stomacho amicum. 6.Simpl.medic.
Acria & amara si edantur parcius nutriunt. 2.alim C.64.
Acria omnia calefaciunt.2.al.C.15.
Agrestia omnia hortensibus sunt acriora. 6. Simpl medic.
Alimentorum Facultatum speculatio omniũ quæ sunt in medicina utilißima.1.al.C.1.
Alimentum est id quod nutrit Hipp.de Alim.
Alimentum triplex est,id quod uelut nutrimentum est,& quod nutrimentum futurum est.Hipp.ibid.
Alimentum & alimenti species,unum, & multæ: unum quidem quatenus unum genus est: species uero humiditate,ac siccitate finitur,& in his forma ac quantitas est,& ad quædam & ad tot. Hipp.Lib.de Alim.
Alimentum auget,corroborat,incarnat,& aßimilat. ibid.
Alimenti potentia melior quam moles. ibid.
Alimentum humidum facilius transmutatur quam siccum. ibid.
Alimentum quod ægræ alteratur ægre consumitur. ibid.
Alimentum quod facile apponitur facile consumitur. ibid.
Alimento solido utantur,qui tardiore appositione opus habent quicunque uelociore, humido: quicunque adhuc uelociori indigent: per olfactum. ibid.
Alimenti uehiculum humiditas est. ibid.
Alimento irrigata singula membra capiunt alimentum. ibid.
Alimentum oblatum ubi corpus superauerit,tum nutritur corpus, ubi uero hanc occasionem transmiserit,contrarium fit,nam attenuatur,& gracilescit. ibid.
Alimentorum inuentum medicina est. Hipp. de uet.med.
Alimenta,sanitatem,atque augmentum medicina inuenit. ibid.
Alimenta intemperato sunt corrigenda contrarijs. Gal.4. Simpl medic.
Alimentum corporibus nostris accommodatißimum est quod ex his rebus conficitur, quæ nec craßi,nec tenacis succi sunt,neq; admodũ tenuis. de Bon.& uit.suc. C.3.
Alimentorum secunde qualitates etiam explorandæ. 1.alim.
Alimentum humidius ut distribuitur, ita etiam discutitur celerius. 3.alim. C.2.
Alimentis qui recte usurus est scire in primis debet,quæ nam sint in hominum cute laxitatis,densitatisquè discrimina,deinde quale sit totius corporis,postea singularũ partium temperamentum,idque an illæ proprium seruent. de.bou.uit. C.7.

cibis paucioribus sub id tempus utantur. Lib. de Sal. diæt.
Ciborum multitudinem uentriculus præ imbecillitate ac frigiditate concoquere non potest. ibid.
Cibum sumere semel in die tantū, quibusdam cōducit, alijs et prandere. Li. de uet. med.
Cibos quibus assueti sunt homines, facile ferunt, & si natura boni non sint. Lib. 2. de rat. uic acut.
Cibaria ad sanitatem optima sunt quæ modice ingesta sufficiunt, ut & famis & sitis sint medela, & pro ratione secedunt. ibid.
Cibaria ad robur optima sunt quæ carnem plurimam ac densißimam producunt, & sanguinem crassefaciunt, & pro ratione ingestarum secedunt. ibid.
Cibus ubi preter naturam plus ingestus fuerit, Morbum facit. 2. aph. 17.
Ciborum qui aceruatim & uelociter nutriunt, ueloces egestiones fiunt. 2. aph. 18.
Cibus aut potus parum deterior, uerum iucundior, melioribus quidem, sed iniucundioribus preferendus est. 2. aph. 38.
Ciborum in uentriculo mora noxia est. Lib. 4. de morb.
Cibos offeramus ea copia quantam corpus cui offeruntur superare ualeat. Lib. de loc. in hom.
Cibo quicquid sicciori substantiæ effluxit, restituimus, potione quicquid humidioris. Gal. 2. de San. tu.
Cibus & potus causæ sunt necessariæ nos alterantes. In art. med. Cap. 85.
Cibus debet similis esse nutrito. 1. de elem.
Cibaria animalibus inculpatam temperiem seruantibus, suis naturis similia conueniuntur. Iis uero quæ prauam temperiem, aut ab initio sunt sortita, aut post acquisiuerint, non similium sibi ipsis esus, sed contrariorū est utilis, 3. alim. C. ultimo.
Cibarijs dulcibus qui naturaliter se habent delectantur: Soli autem extra naturalem statu cōstituti amaris acerbis, acidisq; cibarijs delectātur C. 5. in 6. de morb. uulg.
Cibus durior ac craßior partium, alimentum corpori præstat copiosius quam humidior ac mollior. ibid.
Cibaria pinguia & lenta statim ut sumpta fuerint celeriter implent, & appetentiam euertunt. ibid.
Cibis utilitatem non uoluptatem spectamus. 2. al.
Cibi insuauitas quibusdam in causa est, cur ipsum non conficiant. ibid.
Cibos concoctu difficiles nonnulli facilius coquunt, ac melius: hi scilicet quibus est calor natura acris & mordax. 1. alim. C. 1.
Cibos consuetos facilius homines ferunt; insuetos difficilius. 2. de rat uic. acut.
Cibi insueti explorandi sunt concoctione & elixatione, seu etiā madefactione in aqua nanq; ex seminibus, aut omnino ex fructibus intumescunt, ueteremq; prorsus amittunt siccitatem duritiemq;, melioraq; & humidiora redduntur, præstantiora, quæ uero minime tumēt, pristinamq; duritiem retinent, deteriora. de bon. & ui. suc.
Cibi fastidium aut ex pituita adiacente oritur (ideoque exiccare illam ex usu est) aut à bile supernatante, & tum purgandus est stomachus, aut naturæ impotentia, & functio appetitoria reddenda. in Introduct.
Cibos nihil prorsus appetere in morbis extremam indicat extinctionem naturalis uir

Cibis

A Cibis humores mordaces auferuntur, si dum elixantur ab una aqua ad aliam transferantur. C.2.aph.18.
Ciborum intempestiuus usus noxius. 3. de Simpt.Caus.
Cibi qui tarde permeant, posteriores sumendi, qui uero celeriter priore. 2.aliment.
Concoquitur facilius quod suauius est. c 2.aph.38. 2.alim.
Concoctioni ciborum magnore perspiciendum. 11.meth.med.
Coctiones in dormientibus meliores quam in uigilantibus nec modo comestorum ciborum in uentriculo, uerum & humorum in iecore & uenis. 6. de morb. uulg.c.4.14.
Condimenta coquorum plus interdum obsunt, quam prosint. 2.alim.
Consuetis cibis utendum. 7. meth.med.c.7. 2.de rat.uic. a.
Continentius uiuendum hodie quam heri. de co.cur.an.aff.
Contrarius uictus morbis exhiben. c.1.aph.16.
Conualescentibus modicum cibi præberi debent. de op. Sect.
Corpora extenuata diu lente reficienda, quæ uero breui breuiter. cap. 2. aph.7.
Corpus à cibis nihil proficere malum. c.2.aph.31.
Corpora impura quo magis nutries, eo lædes magis. c.2.aph.10.
Corporibus carnes humidas habentibus famem adhibere conuenit, Fames enim corpora siccat. 7.aph.60.
Corrupta in uentre morborum putredinis occasio sunt. 6.de San.tu. c.2.
Crudis succis referti tenuißimam uictus rationem expostulant. de att.uict.
Dulcibus intumescit tum iecur tun. lien. de bon.& ui.suc. 13.meth.med.
Durior cibus craßiorem habet substantiam, ut mollior tenuiorem, ac proinde ille succum craßiorem gignit. 3.alim.
Edendi finis uentris impletio. 3.de nat.facul.c.13.
Edendum est sobrie & salubriter. de cur.an.aff.
Esuriens uentriculus repletur prauis excrementis. 3. de nat.facul.c.13.
Exercitatio ante cibum administranda. 2. de San.tu. de bon.& uit.suc.
Exercitia post crapulam nocent, nam caput repletur uaporibus, & in iecore aut ponderis, aut distentionis, aut utriusque sensus percipitur. 6. de Sani. tat.tu.
Facilius est impleri potu quam cibis. 2.aph.11.
Facultates nostri corporis quatuor attractrix retentrix alteratrix, expultrix. 3. de temper.
Frixa omnia flatum deponunt, uerum difficilius concoquuntur. 1.al.c.22.
Fructus, ab usu immodico fructuum horariorum abstinendum. C.3.aph.9. de bon. & uit. suc.
Fructus horarij facile corrumpuntur. 2. alim.
Fructus horarij si corrumpuntur in uentre, similes letabilibus uenenis redduntur. de bon.& ui.suc.
Fructus quos arbores ferunt, omnes fere mali succi sunt castaneis exceptis.

EIVSDEM AVCTORIS CARMINA
de vtilitate exercitii ex Galeno.

Ad D. Nicolaum Confidatum de Aſsiſio
fratrem ſuum.

CORporis hæc animiquè feret tibi commoda motus
Plethoram curat, viribus ille fauet
Atque bonum ſuccum generat, firmatquè labantem
Ventres, & perflari corpora denſa facit,
Humidaquè exiccat, demitquè ſuperflua venis,
Corpus ob hunc (gelidum quod fuit ante) calet.

Aliter.
Ad D. Io: Vrſum Lelium Gualdenſem
Cognatum ſuum.

OMnibus in vita motum exercendo parantur
Commoda, quæ precio querere nemo poteſt.
Aſſiduus vires motus cuſtodit, & auget,
Diſtribuit membris cocta alimenta ferens,
Hinc color, hincquè calor mire natiuus adauctus
Permanet hinc homini vita perennis erit:
Hic ſalubrem victum demendo ſuperflua gignit,
Hinc cruda, & viridis ſæpe ſenecta ſubit,
Temperie tandem ac motu longeuus, & acer
Corpore vir fiet, mentequè ſanus erit.
His monitus dictis, tua rura frequenter adito,
Atque ita robur erit, vitaquè longa tibi.

FINIS.

TYPOGRAPHVS AD LECTOREM.

HAbes Lector optime Centuriam de Bonitate & Vitio alimentorum integerrimi ac doctiſsimi CASTORIS Durantis Gualdenſis Medici nouiter excuſſam, in quibus quod à me minus recte (quod vt plurimum vſu euenit, quod etiam non ignorant qui artem Typographicam callent: collocatum ſit ſic ipſe vt infra emendabis ac boni conſulas Vale.

Loci aliquot in opere Ita corrigendi.

Aſparagi
ſtomacho atque, lege ſtomachoquè
Coriandrum
animumque grauant, lege, animumquè grauat
Dactilus, in verboiuuandi
ibi diaphiricon dictum, lege diaphinicon dictum.
Lactuca
atre trahit lege atque trahit.
Mala
Præludia odora lege prædulcia odora
Nux iuglans
Hæc Minus eſa arcens lege hæc minns eſa recens.
Ozimum lege Ocimum.
Ozima lege ocima.
Pimpinella
Peſtisquè medetur, lege Peſtiquè medetur.

Series Chartarum.

A B C D E F G H I K L.

Omnes ſunt quaterniones, præter A & L. qui ſunt duerni.

205